R. P. PETRI DEBUGIS, TOLOSATIS, E' SOCIETATIS JESU, ...

Pierre : de Bugis

R. P. PETRI

DEBUGIS,

E SOCIETATE JESU,

TRACTATUS

DE

DEO UNO.

R. P. PETRI DEBUGIS, TOLOSATIS, E SOCIETATE JESU,

Sacræ Theologiæ in Burdigalensi Collegio Professoris emeriti.

TRACTATUS DE DEO UNO,

DUODECIM LIBRIS COMPREHENSUS;

Quorum quilibet, post scholasticæ subtilitatem disputationis, morali, seu mysticâ Consideratione clauditur, ad pios voluntatis excitandos affectus.

NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT.

BURDIGALÆ,
Apud SIMONEM BOE' Bibliopolam viâ Iacobeâ propè Forum.

M. DC. LXXVI.

CUM SUPERIORUM PERMISSU.

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO DOMINO D.
HENRICO DE BETHVNE
ARCHIEPISCOPO BVRDIGALENSI
ET AQVITANIÆ PRIMATI.

NOBILISSIMO *cuique viro, qui se legitimum Gallum verè ac merito haberi velit, duplex ad summæ virtutis laudem via patet. Hinc quidem, ut excelsâ religionis fide adversus Ecclesiam, quæ Christi Regnum est; inde autem ut summâ fidelitate adversus hoc, quod Christianissimum est, Galliæ Regnum, omni suo fungatur officio. Non enim Christo servare supernaturalem fidem ille potest; qui fidem quam subditis naturale lumen præscribit Regi suo exhibere contemnit. Hâc utrâque viâ Majores tui (Archipræsul illustrissime & Aquitaniæ Primas) incedentes, ad summum gloriæ apicem pervenerunt, atque ad eam dignitatis amplitudinem quam tibi hæreditariam reliquerunt; & quam tu ad illos sursùm transmittere potuisses. A pluribus jam inde sæculis vestræ decus Gentilitatis eluxit in Artesiæ Comitibus; & per plurimos Principum gradus ad te pervenit. Non est facultatis meæ, neque memoriæ omnia hic recensere, quæ in utroque Regno, illo nempè quod Christi est, & illo quod Christianissimum, Heroës vestri præclara fecere facinora. Tu quidem Gentis vestræ stemmata monumentaque ignorare non potes. Si verò hujus meæ orationis subvenire velis inopiæ, redibis in memoriam eorum, quæ Majores tui honorificè in sustinendis supremarum intra Galliam dignitatum oneribus egerunt; & eorum quæ extra Europam ad illustrandam Gallici nominis Gloriam quæsitis ac deportatis terrâ marique triumphis, patraverunt.*

In belli quidem sacri contra Infideles suscepti annalibus Bethunium nomen sæpius cum ingenti laude occurrit. Quid? Quòd Galli Constantinopolin obstinatâ cruentâque victoriâ captam à se aliter fuisse, quam Bethunicæ virtute nobilitatis, gloriari non possunt? Quid? Quòd Robertus vterque difficili ancipitique navigatione Solymam transmisit; vbi Filius bellicâ sui disciplinâ parentis victor jus Hierosolymitani Regni acquisivit? Post cujus acquisitionem Regni nec mirum, nec novum esse potuit, si Principes judicarint suo satis convenientem esse fastigio stirpis

suæ cum vestra familia cognationem : Neque si recenti memoriâ is qui tunc Rex futurus erat Poloniæ non dubitavit arctissimæ affinitatis conjunctione se cum fratris tui filio devincire. Ex quâ tali duarum affinitate familiarum speretur in secuturâ olim vtrinque posteritate necessitudo sanguinis Regalis, supremaque nobilitatis excellentia.

Infinitus ero si fortè bifariàm partiri velim, quæ vestri, sivè militiæ pro Christo contra Infideles, sivè domi pro Christianissimi Regni vtilitatibus egerunt. Quamquàm Heroës isti nunquam talem suorum facinorum partitionem voluerunt; ut rationes vtriusque Regni dividerent : Sed quidquid pulcherrimè præstiterunt, id totum pro indiviso ad Ecclesiæ Galliæque simul commoda retulerunt; nec se alicubi, nisi piè Christianèque Gallos, nec nisi Gallicè pios Christianosque exhibuerunt. Ille porrò indivisus de vtroque simul benè merendi Regno affectus non magis in priscis vestris Proceribus extitit, quam in parente tuo Philippo : Qui sicut in sua per decennium ad Pontificem legatione totus Gallus Romæ; ita semper totus Romanus in Gallia fuit; Gallica Romanus negotia tractans, Romana Gallus; vtrobique gratissimus.

Quod ad te nominatìm pertinet (Archipræsul Illustrissime) Deus Prædestinatione vsus antecedente, prius quàm natus esses, aut quidquam eâ de re cogitare mererique potuisses, singulari Providentiâ decrevit, ut qui non poteras natione non esse Gallus, fores simul nativitate Romanus. Atque ita illius Numine factum est, ut Romæ (vbi Christianæ caput est religionis) eâ nascereris indole; quæ te Christi Regno addiceret, pariterque ad supernaturale commodum Christianissimi Regni destinaret.

Quare te Galliæ, cui debebaris, redditum virtus, probatissimaque vita ad Episcopalis muneris fastigium evexit, ad quod neminem eligi debere, nisi irreprehensibilem, Paulus edixit 1. ad Timoth. c.3. In quem Apostoli locum Chrysostomus; Episcopos, *inquit*, Dominus eligit, ut tanquàm Angeli cum hominibus versentur in terris; tanquàm viri cum infantibus; quasi spirituales cum animalibus. *Nec aliter quam Angelorum nomine voluit Deus à Ioanne in Apocalipsi compellandos Episcopos. Quod cum ita sit, tuum est agnoscere; quantam tibi Gratiam Deus contulerit, cùm per ipsos quadraginta & multò ampliùs annos tantùm onus humeris tuis sustinere potueris : Cui oneri Angelorum humeros vix esse pares Tridentina Synodus pronunciavit.*

Plura de te (nisi modestia tua orationi meæ modum præscriberet) dicturus, unum & alterum dumtaxat adijciam; nempè primò, quòd ea reverentia, quam adversus Christi Vicarium semper exhibuisti multùm valet ad cæterorum exemplum; & quidem eo validius quòd hac in re secutus es omnes quot quot vnquam Catholici extiterunt Præsules, sivè Latini, sivè Græci. Vnicum addam alterum, quod plura continet, publicoque famæ præconio celebratur : Te nimirùm inter omnes ætatis nostræ Pontifices, quos vitæ sanctitas exornat, erga tuum gregem & Præceptoris, & Patris, & Angeli personas facere; dum tuam Pastoris facis. Tua gregem gubernandi ratio magnam tibi authoritatem conciliat. Cum præsertim Sapientiam & Gravitatem Humanitate conditam (qualis in Ambrosio laudabatur) in tractandis negotijs adhibeas; paternâque singulos Diœcesis ordines Charitate complectaris, omnibus ipse charissimus, & summam inter illos pacem tranquillitatemque procurans. Pastor bonus cognoscis oves tuas statis Diœceseos visitationibus; & cognoscunt te tuæ. Ante illas vadis exemplo, & illæ vocem tuæ prædicationis identidem audiunt. Quod prædicationis munus Divino jure præscriptum Episcopis esse Concilium

cilium Tridentinum docet. Ac sanè vix ullum est Christianæ sanctitatis exercitium, quod huic Episcopali æquandum videatur. Non fuit præceptum Apostolis ut pascerent pauperes, ut jejunarent, &c. sed ut prædicarent omni creaturæ, *inquit Eusebius lib. 2. de fide contra Sabellium. Posteri habebunt quod in te circa id imitentur Episcopi; quando in Aquitaniæ, vel etiam Galliæ Annalibus legetur, Henricum fuisse Bethunium Archipræsulem; qui cætera inter Pontificalia munera laboriosum prædicationis officium adeò non intermiserit; ut etiam id ætatis grandioris & longinquis debilitatæ laboribus, magnâ fuerit populi sui utilitate solennioribus non rarò festivitatibus auditus.*

Ista tua Divini verbi prædicandi constantia (illustrissime Archipræsul & Aquitaniæ Primas) fecit; ut postquàm te non tantùm de rebus vtcumque Divinis, sed de ipsâ Dei naturâ, & de reconditissimis ipsius Attributis differentem audivissem; nec immensa infinitaque tua in Societatem nostram merita possem ignorare; spem conceperim, fore ut libenter pro tua singulari humanitate patereris nomini tuo hunc inscribi tractatum. In quo agitur de existentiâ essentiâque Dei, & necessarijs ejus attributis, liberis decretis, &c. Quæ frequentissimè tuarum fuerunt argumenta concionum: Nec tibi poterunt legenti non esse jucundissima, pro eo quanti facere te significas Theologiam Scholasticam, sivè qualem Catholicæ Scholæ exponunt; & quam Diadochus Photices Episcopus. Libro de perfectione spirituali definivit, Fœtum matutinum Gratiæ primumque donum Spiritus Sancti; quod mentem nostram consortem ministrantium Spirituum facit. *Vale. Et hoc qualicunque elaboratum industriâ dignare donum admittere, quod offert.*

Illustrissimæ Amplitudinis tuæ
perpetuus in Christo servus.
PETRVS DEBVGIS
Societatis IESV.

ERVDITO LECTORI.

CVM ij qui tractandam suscipiunt primam Theologiæ partem (quæ de Deo est secundùm essentiam Vno) in illius Doctrinæ sublimitatem nobilitatemque exponendam longis Prolegomenis excurrant: Nos ea omnia, quæ in ejusdem elogium vulgò afferuntur, ad hoc unum redigimus, quòd nempè humano generi post Adami lapsum nulla sit residua Sapientia præter Theologiam, sicut integro Procemialis dissertationis exposuimus libro. Attinet autem hic eruditum admonere Lectorem.

Primò. Quandoquidem rerum, licèt eximiarum, insipida cognitio (cùm dici nequeat sapida Scientia) Sapientiæ nequaquàm meretur nomen: Ideo par videtur fuisse, ut post explicatas arido scholasticoque more summas veritates; de illis ipsis mysticas & pias, quæ voluntatem suavi afficere gustu possint, contemplationes adderemus sub calcem cujusque Libri. Quod institutum nos in alijs servavimus de Incarnatione Trinitateque Tractatibus. Cujus rei aliquale in suis opusculis Lessius dedit exemplum.

Secundum, quod admonere destinavimus, spectat allatas identidem idiomate Græco authoritates. Quæ verò si fortè protinùs non Latinè redduntur, id ea re evenit, quòd possint satis ex præcedentibus aut subsequentibus intelligi.

Tertiò. Quæ discutiuntur in hoc Tractatu quæstiones, eæ recensentur in illis Procemijs, quæ præmittuntur ante quemlibet Librum. Quamvis advertet Lector in procemio Libri quarti quodam factum esse amanüensium errore, ut apponantur Immensitas atque Æternitas: Et in procemio Libri quinti similiter quippiam leviter peccatum sit. Exponitur item ipso totius Tractatus initio exacta Series omnium Librorum, & capitum, earumque rerum quæ in ijs explicantur. Itaque cùm ex ijs ferè omnia facilè cognoscere Lector possit; nulla series sub finem integri Tractatus necessaria est rerum aliarum speciali observatione dignarum.

Quartò. Cùm opiniones quas defendimus idoneorum Doctorum authoritate firmentur. Clarâ tamen certâque ratione fulti visi nobis sumus quando Beatissimæ Virginis eximiam Prædestinationem & singularem confirmationem non solum in Gratia, sed in antecedente impossibilitate leviter peccandi, aut in vllam imperfectionem positivam incidendi affirmavimus libro 11. & 12. Non contenti quorumdam antiquorum jejunâ nimis, nec meritum Deiparæ exæquante commendatione. Cùm evidens sit eam ex omni creaturarum intellectualium possibilitate eminere: Nec vllus creari possit Angelus tam sublimis qui supra servorum, & administrantium spirituum culmen queat ascendere, hac interim Virgine solâ hyperduliæ fastigium possidente. Cui nos istum de Deo Creatore suo simul & Filio Tractatum consecravimus.

videri potest Suarez tom. 2. in tertiã partem disp. 4. sect. 4.

INDEX LIBRORVM, ET CAPITVM,

Omnia quæ in hoc Opere obſervatione digniora ſunt accuratiſsimè complectens.

LIBER PRIMVS.

DISSERTATIO PROOEMIALIS.

An & quomodò Theologia ſit vera & perfecta inter mortales Sapientia, pag. 1.

CAP. I. *ADAMVS veram quam habebat Sapientiam perdidit falſam appetendo.* pag. 2
II. *Ante Chriſtum in Mundo falſam noxiamque viguiſſe Sapientiam.* pag. 3
III. *Quanto Chriſtus terrenam Gentilitiamque Sapientiam deſpicatui habuerit, Cæleſtem ſuam per Apoſtolos introducens.* pag. 5
IV. *Quæ ſit natura veræ Theologiæ.* pag. 6
V. *De locis Theologicis.* pag. 9
VI. *Quæ ſit vera notio Sapientiæ.* 11.
VII. *Theologiam ſi cum probabilitate morum connectatur veram eſſe Sapientiam.* 13
VIII. *Quaſnam in Chriſtiano Theologo dotes vera Sapientia requirat.* 15

LIBER II.

De Exiſtentia Dei. p. 16
CAP. I. *VTrùm Exiſtentia Dei ſit nobis per ſe nota?* p. 17
II. *Demonſtratur exiſtentia Dei per mundi & creaturarum aſpectum.* 18
III. *Exiſtentia Dei Philoſophicis, Theologiciſque argumentis evidenter probatur.* pag. 20
IV. *Morali demonſtratione Deum probatur exiſtere.* 22
V. *Exiſtentiam Dei credere oportet propter ipſius teſtimonium Dei & nova circa hoc exponitur difficultas.* 24
VI. *Plures vno Deos eſſe non poſſe.* 25
Græcanica Deorum per Idololatriam multiplicatio. 26
Entis improducti verique Dei vnitas ac ſingularitas demonſtrativè probatur. ibid.
Examinantur quædam alia Divinæ ſingularitatis argumenta. 28
VII. *Refelluntur illi qui inter Chriſtianos vnitatem Dei, aut hæreticâ obſtinatione impugnarunt, aut animo non malo minus commodè explicantes errarunt.* 29
VIII. *Circa vnitatem Dei myſtica conſideratio.* 30
Cæcitas Idololatrarum chimæricam Deorum pluralitatem colentium. 31

LIBER III.

De Divina Exiſtentia, 32
CAP. I. *DEVS rationem entis propriè ſumptam aliquo modo ſolus poſſidet.* 33
Cum Deus dicitur non ens declaratur eſſe per exceſſum ens. 34
II. *In quo primo plenè conſtitutivo & diſtinctivo conſiſtat Eſſentia Divina.* 35
III. *An exiſtentia includatur formaliter in eſſentia & quidditate Dei.* 37
IV. *De genericis in Deo prædicatis & de modo quo ſe habeant vſque ad ipſius individuam differentiam.* 39
V. *An Attributa & perfectiones omnes ſimplices includantur formaliter in eſſentia Divina.* 39
IV. *Circa Deum ut eſt omnis eſſentiæ perfectioniſque Pelagus; pia Conſideratio.* 41

LIBER IV.

De Attributis Divinis secundùm rationes genericas consideratis. 42

CAP. I. QVid sint & quomodò concipi debeant attributa Divina. ibid.
II. Vtrùm attributa Divina includant totam essentiam & se invicem, omnia in formali suo conceptu? 44
III. Vtrùm admittenda sit distinctio ex natura rei in Divinis attributis cùm inter se, tùm à personalitatibus? 47
Excluditur distinctio formalis ex natura rei, qualem asseruit Scotus. ibid.
IV. An inter Divinam Essentiam, attributa & personalitates, dentur distincti per mentem conceptus objectivi; quales à Nominalibus negantur? 48
Proponuntur argumenta Nominalium. ibid.
Stabilitur sententia contraria. 49
Respondetur Nominalium argumentis. 50
V. An & quomodò Deus sit infinitus? 51
Naturali ratione probatur efficaciter Deum esse infinitum. 52
VI. Circa infinitas cùm Essentiæ, tùm attributorum Divinorum perfectiones, mystica Consideratio. 53

LIBER V.

De Divina Incomprehensibilitate Dei & per lumen Gloriæ visibilitate. 55

CAP. I. AN & quomodò Deus sit Incomprehensibilis? ibid.
II. Perfectiones in Deo esse virtualiter diversas, quarum aliqua videri, cætera latere possunt. 56
III. Incomprehensibilitas Dei adstruitur respectu omnis intellectus creati. 57
IV. Vtrùm Deus videri naturaliter possit ab aliqua creatura? 59
Proponuntur & solvuntur argumenta contraria sententia. 61
V. An quæ existunt creaturæ intellectuales Deum supernaturaliter videre possint? 62
Referuntur & in Catholicum sensum explicantur Patres quidam gravissimi. 63
VI. De Lumine Gloriæ. 64
VII. Quomodò Deus sit ineffabilis, & utrùm omni modo. 66
VIII. De Divinis Nominibus. 67
IX. Circa visionem Beatificam & ea quæ illi annexa sunt, Contemplatio anagogica. 68

LIBER VI.

De ijs quæ pertinent ad intellectum Dei. 69

CAP. I. AN & quomodò considerari possit in Deo actus primus seu potentia intelligendi? ibid.
II. Qualem habeat actum secundum intellectus Divinus. 72
Num tres mentis (quales nostra) operationes locum aliquo modo habeant in mente Divina? 72
III. De scientia quâ Deus perfectiones suas absolutas essentialiter intuitivèque cognoscit. 73
IV. De scientia quâ Deus perfectiones suas relativas personalesque cognoscit. 75
V. An essentialiter Deus possibiles creaturas intelligat? 77
VI. Quo Deus modo cognoscat in seipso & ex seipso creaturas possibiles. 79
VII. An & quomodò Deus cognoscat possibiles creaturas immediatè in seipsis? 80
Satisfit argumentis contrariæ sententiæ. 81
VIII. De scientia Dei practica. 82
Vtrùm practica scientia, prout est causa rerum, sit visionis; an potius simplicis intelligentiæ: Et Quomodò? 83
IX. De Divinis Ideis. 85
X. De vera quæ soli Deo competit scientia. Moralis consideratio. 88

LIBER VII.

De Scientia contingentium absolutè futurorum. 89

CAP. I. QVæ sit, & in quo fundetur propria veraque rerum contingentia. 91
II. Proponitur cum omni suâ difficultate illorum opinio, qui per scientiam contingentium advenire Deo putant perfectionem intrinsecam. 91
III. Rejicitur illorum sententia, qui censent cum Cajetano perfectionem aliquam intrinsecam quocumque modo per contingentium scientiam Deo advenire. 93
Rejicitur modus, quo aliqui nituntur hanc solvere difficultatem. 94
IV. An necesse fuerit Deum ab æterno videre

immutabiliter omnia quæ in temporum decursu vidit? 97
V. *Vtrùm Deus contingentia absolutè futura videat in causa creata libera atque completa perfecta comprehensione?* 98
An futura contingentia veritatem determinatam habeant? ibid.
Vtrùm Deus futura contingentia cognoscat in causa libera completa? 99
VI. *Refutatur modus cognoscendi contingentia absolutè futura in causa proxima. Modus item qui sumitur ex Divinis ideis.* 100
VII. *Nec in Decreto cognosci possunt futura contingentia.* 101
VIII. *Refutatur modus, quo dicitur Deus contingentia absolutè futura cognoscere per suam præsentialitatem in mensura æternitatis.* 102
Refutantur allatæ pro Cajetano rationes, 104
IX. *Explicatur verus modus, quo videntur à Deo futura contingentia absoluta.* 106
X. *Circa Divinam rerum contingentium scientiam intuitivam. Moralis Consideratio.* 108

LIBER VIII.

De Divina Scientia rerum sub conditione futurarum contingenter. 109
CAP. I. *Qualia hic intelligamus futura conditionata? Quid sit Media Scientia? Quis quæstionis hic status.* 110
Quid per Scientiam Mediam intelligatur? ibid.
Quis sit status controversiæ circa Scientiam hanc Mediam? ibid.
II. *Non dari antecedens Decretum, in quo Deus res sub conditione contingentes futuras norit infallibiliter.* 111
Decretum hoc Sanctis Patribus est incognitum. ibid.
Decreto illo antecedente libertatem creaturarum destrui. ibid.
Decretum antecedens Scientiam conditionatam non satis alienum esse ab hæreticorum Doctrina. 112
Comparatur Decretum efficax & antecedens, quod in Deo ponit Scotus cum eo quod Thomistæ ponunt. 113
III. *Nullo medio cognito indigere Deum ut norit contingentia futura sub conditione.* ibid.
Exponitur verus modus, quo Deus contingentia futura conditionata cognoscit. 114
IV. *Solvuntur quæ contra Scientiam Mediam objiciunt insuper adversarij.* 116
V. *An & quomodò Deus cognoscat futura Decreta suæ voluntatis, seu conditionata seu absoluta?* 117
Vera sententia de conditionatis Decretis Dei. ibid.
VI. *Circa conditionalem Dei scientiam, Consideratio moralis.* 118
Colligendus ex Scientiæ Mediæ consideratione fructus multiplex. 119

LIBER IX.

De Voluntate Divina. 120
CAP. I. *An detur in Deo voluntas. Et utrùm talis quæ propriè habeat actum primum?* ibid.
Num voluntas in Deo dici propriè possit potentia seu actus primus? 121
An & quomodò sit in Deo appetitus innatus? 122
II. *De libertate Dei.* 123
III. *De Divinæ voluntatis actibus circa ipsum Deum propter se amatum.* 124
Actus quo se Deus amat non solo gaudio continetur. 125
Deus ad sui amorem habet necessitatem exercitij. ibid.
In Deo suisque Personis est amor & amicitia & concupiscentiæ. 126
IV. *An Deus seipsum propter creaturas amet?* 127
V. *An & quomodò erga creaturas possibiles Dei voluntas afficiatur?* 129
Amor complacentiæ circa possibilia non est liber Deo. 130
Quomodò Deus peccatorum, quæ odit, possibilitatem habeat complacitam? 131
An Deus inæqualem habeat complacentiam ergà creaturas ut merè possibiles? 132
VI. *De prosecutivis Divinæ voluntatis actibus erga creaturas existentes.* ibid.
Deus habet erga creaturas existentes amoris affectum. 133
An & quomodò Deus creaturas existentes amore prosequi possit amicitiæ? ibid.
An præter amorem, Deus alios habeat prosecutivos erga existentes creaturas affectus? 134
VII. *De aversativis Divinæ voluntatis circa creaturas affectibus.* ibid.
VIII. *De actibus voluntatis Divinæ secundùm progressum in deliberationibus, & de ordine illorum actuum, secundùm signa rationis.* 136

IX. *De actibus voluntatis Divinæ secundùm virtutes morales.* 137
X. *De quibusdam alijs Divinæ voluntatis divisionibus.* 139
Voluntas efficax & inefficax. ibid.
Voluntas absoluta & conditionata. ibid.
Voluntas antecedens & consequens. ibid.
Voluntas signi & beneplaciti. 140
XI. *Circa Divinam in rerum naturali ordine voluntatem, moralis & pia Consideratio.* ibid.

LIBER X.

De Omnipotentia & Providentia Dei. 141

CAP. I. DE *Divina Omnipotentia,* 142 *An Omnipotentia distinguatur formaliter ab intellectu & voluntate* ibid.
Omnipotentiam esse objectivè infinitam, 143
De *Potentia* Dei *ordinata & absoluta.* 145
II. *An* Dei *circa res nostras detur Providentia ?* 146
III. *In quibus* Dei *actibus consistat formaliter Providentia, & circa quæ objecta purè physica.* 147
Quod sit objectum Providentiæ Divinæ circa res purè physicas. ibid.
IV. De *actibus Providentiæ Divinæ circa creaturarum intellectualium mores.* 148
V. *An* Deus *nostros actus liberos prædefinire efficaciter possit?* 149
Non benè actuum liberorum Prædefinitionem absolutam, illi possibilem esse admittunt qui Scientiam Mediam Deo *denegant.* 150
Non benè actuum liberorum Prædefinitionem illi negant possibilem, qui Scientiam Mediam admittunt. ibid.
VI. *An* Deus *reipsâ liberos aliquos creaturarum actus prædefiniat.* 152
Deus non prædefinit actus indifferentes, neque naturales bonos moraliter. ibid.
An supernaturales actus liberos Deus *aliquando prædefiniat ?* ibid.
VII. *Circa Providentiam; quam naturalem* Deus *erga res hujus universitatis omnes; & præsertim erga homines supernaturalem exhibet; moralis Consideratio.* 154

LIBER XI.

De Prędestinationis Mysterio & varijs ejus explicandi modis. 155

CAP. I. DE *nomine & vera significatione Prædestinationis ejusque definitione.* ibid.
II. *Quàm certum sit existere Prædestinationem bonorum & Reprobationem malorum.* 156
III. De *Gratiarum actualium varietate ac divisione; quibus electos* Deus *à reprobis discretos ad gloriam perducit.* 157
Explicatur ea Gratia quæ dicitur operans, ibid.
Quo sensu Gratia dicatur cooperans & quo subsequens. 159
IV. *Quid Calvinus & hujus temporis Novatores de Prædestinatione Reprobationeque sentiant.* 160
V. *An & quomodò voluntate antecedente* Deus *Angelos hominesque omnes ad Gloriam æternam destinet?* ibid.
Proponuntur & solvuntur quædam objectiones circa id quod Deus *velit omnes salvos fieri, & primò an omnes reprobos adultos.* 162
An Deus *velit omnes infantes pueros morientes sine baptismo salvos fieri ?* 163
VI. *Proponitur & rejicitur eorum opinio qui Scientiam Mediam non admittentes, Prædestinationem & Reprobationem asserunt fieri ante prævisa merita.* 164
VII. *An differat à præcedente opinione Augustini sententia ?* 166
Longè distare Sanctum illum Patrem ab opinione Thomistarum, & eorum qui sentiunt idem & eodem modo cum illis circa Prædestinationem & Reprobationem. 167
VIII. *Doctrina Catharini, necnon Okami & Gabrielis circa Mysterium Prædestinationis: Ac dè illa judicium. Et quid sit confirmatio in Gratia.* 168
Quid formaliter dicat confirmatio in Gratia: Et specialiter quid insignis illa quæ fuit Beatissimæ Virginis. 169
De *Beatissimæ Virginis confirmatione in Gratia.* ibid.
Quomodò Beata Virgo cum impossibilitate non peccandi potuerit mereri non peccando. 170
X. *Proponitur eorum sententia qui supponentes Scientiam Mediam volunt Electionem ad Gloriam antecedere meritorum prævisionem. Et præcipuè Suaris Doctri-*

na exponitur. 171
XI. *Non benè ab aliquibus impugnatur superior Doctrina Suaris.* 172
XII. *Refutatur Electio ad Gloriam ut explicatur & deffenditur à Suare.* 173
Difficultas circa tertium instans positum à Suare. ibid.
Difficultas circa quartum instans Suaris. 174
Difficultas circa quintum instans. 175
XIII. *Circa Prædestinationem à Dei simul gratuita liberalitate, ac nostrorum meritorum adjunctione pendente. Moralis Consideratio.* 175

LIBER XII.

De Electione ad Gloriam ex prævisis meritis, 176
CAP. I. *Ejiciuntur qui hæretico modo senserunt Prædestinationem ad Gloriam fieri post considerationem meritorum, naturalisve personarum conditionis.* 177
II. *Probatur ex Scriptura Electionem ad Gloriam non nisi ex prævisis meritis fieri.* 178
III. *Probatur ex Sanctis Patribus Electionem ad Gloriam non fieri ante meritorum prævisionem.* 179
IV. *Varij modi quibus exponitur à diversis Electio ad Gloriam post prævisa merita.* 180
V. *Quomodo Deus Electos, primò discernat? Et quis sit Gratiæ in hoc mysterio processus.* 181
VI. *Exponitur natura Gratiæ discernentis Electos à Reprobis;* 182
Quonam modo & quali Gratiâ Deus Prædestinatos Reprobosque discernat? 183
VII. *De quibusdam eximiè Prædestinatis, & in Gratia confirmatis.* 184
Quid addat suprà simplicem Prædestinationem confirmatio in Gratia? ibid.
Explicatur Beatissimæ Virginis confirmatio singularis in Gratia & in omnimoda perfectione sanctitatis. ibid.
VIII. *Quam causam habeat Prædestinatio: Et num aliquam habere possit ex parte creaturarum?* 185
IX. *Qui sint Prædestinationis effectus?* 188
X. *De Reprobatione & ejus causis.* 189
XI. *De Reprobationis effectibus.* 190
XII. *De Libro vitæ & mortis.* 191
XIII. *Circa Prædestinationis Reprobationisque mysterium ad tranquillandos aliquorum nimio inde terrore commotorum animos. Pia Consideratio.* 192
Cum Deo spei Colloquium Ιλαςήριον. 19

FINIS.

APPROBATIO D. D. RECTORIS MAIESTATIS *Ecclesiæ Burdigalensis.*

NOS Ioannes Amelin, Doctor Theologus, Rector Majestatis sancti Andreæ, & in Archiepiscopatu Burdigalensi Primatuque Aquitanico ordinarius promotor: Testamur legisse hunc Librum de Deo Vno in duodecim Libros digestum à Reverendo Patre Petro Debugis Societatis Iesu in Collegio Burdigalensi Theologiæ Professore emerito. Singulaque in illo Catholicè imprimis, imò cum summa eruditione, insignique pietate exponi. Burdigalæ anno 1673. Kalendis Octobris.

AMELIN.

Approbatio Theologorum Societatis IESV.

TRaditum nobis Superiorum nomine Tractatum hunc DE DEO VNO, à Reverendo Patre Petro Debugis emerito Theologiæ Professore compositum, nos infrascripti Societatis Iesu Theologi recognovimus; testamurque, non modo nihil Fidei aut Christianis moribus repugnans, sed nihil etiam nisi absolutum, viroque in rebus Theologicis exercitatissimo planè dignum in eo reperiri. Nova ergo hæc lucubratio, non minori vtilitate, quam cætera ab ipso jam edita, in lucem prodibit. Burdigalæ 24. Augusti anno 1674.

CLAVDIVS BATIDE

NICOLAVS LEGIER
Theologiæ Scholasticæ Professor in Collegio Burdigalensi Societatis Iesv.

BERNARDVS CHASTELET.

Licentia R. Patris Provincialis Societatis IESV.

LVDOVICVS DVPRAC Præpositus Provincialis Societatis IESV in Provincia Aquitaniæ, potestate ad id mihi factâ ab admodùm Reverendo Patre nostro Ioanne Paulo Oliva Generali ejusdem Societatis IESU, facultatem concedo, ut Reverendi Patris Petri Debugis, ex eadem Societate Theologi Tractatus DE DEO VNO trium ex nostris Theologorum, aliorumque multorum judicio approbatus, typis mandetur, in quorum fidem has litteras manu nostrâ subscriptas, & officij nostri sigillo munitas dedimus Fonteniaci 17. Iulij anno 1676.

LVDOVICVS DVPRAC.

SVMMA PRIVILEGII REGII.

NOS LVDOVICVS DVPRAC Præpositus Provincialis Societatis IESU in Provincia Aquitaniæ juxta Privilegium concessum à Christianissimis Regibus Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decemb. 1605. Ludovico XIII. 14. Februarij 1611. Ludovico XIV. 23. Decemb. 1630. quo prohibetur omnibus Librarijs & Typographis, ne Libros ab ejusdem Societatis hominibus compositos, absque Superiorum permissu imprimant: SIMONI BOE' Bibliopolæ concedimus, ut hunc Tractatum DE DEO VNO imprimere possit. Datum Fonteniaci 17. Iulij an. 1676.

LVDOVICVS DVPRAC.

R. P. P.

R. P. P.

DEBUGIS,

E SOCIETATE JESU THEOLOGI.

TRACTATUS DE DEO UNO SECUNDUM ESSENTIAM.

LIBER PRIMUS.

DISSERTATIO PROOEMIALIS.

An & quomodò Theologia sit vera & perfecta inter mortales Sapientia.

1. IN MORE *positum est, institutóque Authorum, qui scriptis suis quandam scientiam pertractandam suscipiunt, quemadmodùm nominatim in ipsorum etiàm consuetudinem venisse Theologorum videmus, ut in ejus, quod navant, operis aditu atque vestibulo, aliquandiu consistant, & totius exhibeant prospectum naturámque scientiæ, quam sunt exposituri; eorum instar, qui ad excellentem aliquam Basilicam accedentes, ipsam frontispicii majestatem externam considerant, & ex ea quænam intus ædium partes lateant, conjiciunt. Sic & nobis jam priùs quàm ad majora disputationum de Divinitate negotia aggrediamur, considerandi se offerre plurimi possent superliminares, ut ita loquar, supremæ hujus scientiæ tituli, & nonnulla perstringenda capita, qualia in omnibus discipli-*

narum prolegomenis ferè occurrunt : nempe quæ sit Divinæ hujus doctrinæ dignitas? Num evidenter procedat , ut scientia? Num obscurè , cum nulla formidine ; ut fides? Num probabiliter solùm , ut opinio? Quæ sit ejus in tanta quæstionum multitudine unitas? Quæ dignitas? Quæ necessitas , seu utilitas? Quodnam ejus objectum? Quod subjectum , &c.

2\. *Quæ tamen ferè omnia cum à Logicis in proprio de scientia tractatu , & communiter ab omnibus ad satietatem in earum quas tractant scientiarum , prolegomenis explicentur , atque jam passim trita pervagatáque sint, omittenda judicavi. Verùm quia necessaria saltem videtur proœmialis aliqua dissertatio ; In ejus maximè dignitate sapientiæ , quæ vel ipso Theologiæ nomine præfertur , hærebo. Quod dum præstabitur , occurret ejus declarandum quà formale , quà totale objectum & cætera omnia. Id verò imprimis ex dicendis eminebit , solam Theologiam esse totius orbis decus , salutémque mortalium , post factam ejus jacturam sapientiæ , quam Deus Adamo originalem, & toti humano generi transmittendam infuderat. Quare nihil magis ad rem videtur esse , quàm ut veram hanc de Deo scientiam pro summo ejus Elogio ostendamus , eam esse sapientiam quam Salomon ait ipsis Regum sedibus præponendam.*

3\. *Id nos probare suscipimus hoc libro, quem ideò dissertationis instar præmittimus.*

Et sanè , sive Sapientiam esse dicamus , scientiam per altissimas & summas causas ; sive illam velimus dictam esse sapidam scientiam : Constat nullam esse facultatem quæ tam sublimes contempletur omnium rerum causas , aut quæ cum sapore tam suavi , tamque grato gustatu veritatem ullam proponat , ac Theologia. Quæ tota in excelsissimæ causæ, primique rerum omnium principij contemplatione versatur; Et quæ veritates æternas circa sectandam virtutem (licet alioquin difficilem & Adami posteris acerbam) proponit , quantumvis fastidiosæ voluntati , ut cælestes quosdam sapidissimos favos. Quare præsens de Deo uno Tractatus , Divinam hanc facultatem ostendet, solam esse sapientiam post peccatum primi Parentis humano generi residuam.

4\. *In hujus primi Libri primo capite explicabitur, quomodò Adamus veram quam habebat sapientiam perdiderit; falsam appetendo. In secundo, Quomodò ante Christum falsa noxiáque sapientia viguerit. In tertio , Quanto Christus terrenam sapientiam despicatui habuerit, cælestem suam per Apostolos introducens. In quarto , Quæ sit natura veræ Theologiæ. In quinto, Agetur de locis Theologicis. In sexto , Quæ sit vera notio sapientiæ. In septimo Theologiam ostendetur , si cum morum probabilitate connectatur , veram esse sapientiam. In octavo , Quasnam in Christiano Theologo dotes vera sapientia requirat.*

CAPUT I.

Adamus Veram , quam habebat , sapientiam perdidit , falsam appetendo.

CVm immortalis hominum animus velut mente Divinâ decerptus sit , necesse est , ut unde prodiit, eodem referatur : & naturali pondere ad summam illam, cum cujus natura congruit , sapientiam quodam modo adhærere , multò magis appetat , quam corpora ad suum ex quo præcipuè constant , elementum vergere videamus. Illi tam insitæ naturalique propensioni Deus morem gerens, Adamum in mundo , non solùm ut habitatorem & incolam , sed præcipuè velut spectatorem locavit , ut tantam rerum pulchritudinem contemplatus, ipsius Dei cognitionem eximiam capere , & in eum amore inflammari posset ; atque ita per naturæ velut spatia & gradus ad rerum omnium principium perveniret. Quod ut animo ad se ipsum meliùs advocato faceret ; cum introduxit in amœnum secessum & Paradisum ; in quo poterat jucundissima perpetui veris suavitas , lectissimorum florum , plantarumque varietas , magno quodam pulchritudinis velut profuso clamore sapientiam Creatoris sui excellentiamque testari.

2\. Vt per ea omnia , quæ mundus vbique suspi-

cienda creaturarum spectacula proponebat, posset Adami mens ad sublimem cognitionem Divinitatis adduci, non tantùm naturæ dotes illi Deus eximias concessit, quæ magnæ forent instrumenta sapientiæ; sed & plurimas ipsi perfectiones insuper addidit, supra dignitatem juráque naturæ. Illud est quod de Adamo nascente comperisse se testatur Ecclesiast. cap. 7. his verbis *Hòc inveni quod fecit Deus hominem rectum quis talis ut Sapiens est?* Cùm rectum nuncupat hominem, præstantiam illam indicat, quæ omnia ea sapientiæ instrumenta, easque gratiarum accessiones contineat; quibus Theologi constare volunt, cum ipsius naturæ statum integræ, tùm justitiam quam vocant originalem; tùm Dei amicitiam perfectam. Beatum illum in Adamo statum paucis his verbis Scriptura complectitur Sap. cap. 2. *Deus creavit hominem inexterminabilem procul corruptione.* (ἐν ἀφθαρσίᾳ.)

3. Nihilominùs cùm ipsum oportuisset cæterarum exempla secutum creaturarum (quæ omnes argutissimæ Divinam sapientiam innatis vocibus celebrabant) Divinæ ipsi sapientiæ acceptum referre totum humanæ suæ sapientiæ decorem; Angeli perduellis sequi maluit prærogativam exempli: atque unde sapientissimus erat, indidem argumentum captavit insaniæ, nimio scilicet sapientiæ insanivit amore; & per ipsam, quam possidebat, sapientiam, insipientissimus evasit, juxta illud Ezechi. cap. 28. *Elevatum est cor tuum in decore tuo; perdidisti sapientiam tuam in decore tuo. Angeli & animæ decor* (inquit Bernardus serm. 7. in Canti.) *ipsa sapientia est, ut non sit aliud in decore suo, quam in sua sapientia perdidisse sapientiam.* Ænigma scilicet fuit in Adamo cùm culpa, tùm pœna, non enim aliud fuit hæc & illa; quam habere eo modo sapientiam; ut idem sit eam & habere & perdere. Cùm nimiùm sapuit, non sapuit satis. Ab iis nempe radiis, quibus per ipsam sapientiam circumfusus fuerat, non tantùm velut adustione infuscatus est, sed & fulgore obcæcatus; dùm suus animi aciem perstrinxit splendor: & mentis luminibus offecit ipsa sua tùm cognoscendi sciendique sublimitas, & tùm eximia virtutum pulchritudo.

4. Vbi enim Genes. cap. 3. narratur, Evam sciendi cupiditate à Diabolo tentatam vidisse lignum aspectu delectabile. Textus Mosaïcus habet *Nechemad lehaschil*, hoc est, optabile ad intelligendum, & ad scientiam prudentiamque (ut interpretantur Hebræi) comparandam. Itaque Adamus accedente uxoris jam circumventæ impulsu, eam carnis affectavit prudentiam, quæ, cùm ex Apostolo, mors sit, exitialem toti humano generi exitum attulit. Et quoniam immoderatione sapientiæ perditum homines Dæmon ibat, ad illud corruptæ sapientiæ negotium serpentem adhibuit, animal astutissimum, venenosæque prudentiæ. Sub hujus nimirùm forma strophas ipse suas agebat, & sophismatum ejaculabatur virus dulcedine conditum fraudulenta verborum.

5. Vt primùm Adamus ille qui in medio lapidum ignitorum ambulabat, sapientiæ ornamenta in superbiam vertit, eodem loci temporisque vestigio in judicium incidens Diaboli eandem sensit, quam iste, severitatem, omni spoliatus ornamento ac decore; iis omnibus minis quibus illum Deus insecutus fuerat in rem ipsam conversis. *Dum plus vis esse* (ait in caput Ezechielis 28. Hieronymus Adamo loquens) *quam conditus es, & magis sapere, quam à Deo acceperas, etiam id perdidisti, quod habebas; & pro pulchritudine atque doctrina, deformitas te atque stultitia possederunt.* Nec verò illud deformitatis ac stultitiæ dedecus Adamo privatìm adhæsit, hæreditaria scilicet omnibus relicta mortalibus (cum immoderato inutilia noxiáque sciendi appetitu) insanitate mentis, & earum ignoratione rerum, quibus humanorum erga Deum officiorum ratio continetur.

CAPVT II.

Ante Christum in mundo falsam noxiámque viguisse Sapientiam.

1. CVM igitur, ex quo Adamus sapientiæ naufragus naturam à se propagatam omnibus spoliavit animi dotibus, tam valdè inter homines pervagatam insaniam experiamur, nihil tanti ad beatam vitam est momenti, quam ut ex mentis corruptione, quâ naturaliter mersi sumus, conemur tandem existere. Sic tamen, ut cùm sapere studemus, veram consectemur sapientiam; caveamúsque scopulos ementitæ prudentiæ. Quidquid enim eximium est atque præstabile, fraudulentâ multarum rerum, quæ falsam illius speciem gerant, similitudine solet ita circumveniri; ut, quæ assimulata sunt, debitam ei laudem arripiant. Eo scilicet modo, quo (ut ait Irenæus in procemio) adulterinas factitiasque gemmas non rarò videre est majore fulgore quàm veras collucere.

2. Sapientiam consimiliter experimur in fraudulentæ prudentiæ quæ illam assimulet comparatione laborare. Primò quidem Iacobus Apostolus tres docuit esse partes falsæ perniciosæque sapientiæ. Quarum una terrena sit, Animalis altera, tùm denique tertia Diabolica: pro numero scilicet earum concupiscentiarum, à quibus manare omnia quæ in mundo sunt vitia asseruit Ioannes in Evangelii sui cap. 1. non potuit sanè primus homo de terra terrenus, sapientiam nisi terrenam posteris suis hæreditariam relinquere. Cùm item ex Paulo primus idem homo factus sit non in spiritum vivificantem, sed in animam viventem; par illum fuit animalis duntaxat vitæ prudentiam in nos transmittere quæ non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, sed stultitia est illi. Quemadmodum & Diabolicam necessarium fuit ut in posteros suos idem Adamus diffunderet; cui non aliam Diabolus quàm suam sibilo inspirare serpentino poterat: ex illo velut Cerbero tria se erigunt noxiæ capita sapientiæ, quam omnibus inter Adami posteros viguisse retro sæculis ille deprehendet, qui oculos ad ultimam antiquitatis mundique nascentis memoriam converterit.

3. Sethi quidem plerosque nepotes veram sapientiam & sanctam ab Adamo traditam disciplinam per omnes aureæ suæ progeniei gradus ad Noëmum usque conservasse Scriptura testatur. Eosque virtuti deditos refert Iosephus lib. 1. antiquitatum, syderalem scientiam & cœlestium rerum cognitionem excogitasse. Inter illos autem Enochus cum Deo ambulans præcipua insignis fuit sanctitate. Qui & librum reliquit illustre sapientiæ monumentum: cujus mentionem Iudas fecit Apostolus. Quia verò plurimi eadem cum ipso stirpe nati (ex eorum nempe numero, quos Angelos filiosque Dei nominabant) à Caïnitis depravabantur, missus ipse primariorum Patriarcharum suffragiis fuit, ad hos ab impietate

revocandos. *Enochus placens Deo cùm esset* (inquit Irenæus lib. 4. cap. 30.) *Dei legatione ad Angelos fungebatur.* Hi autem salubria viri sanctissimi monita negligentes, Caïni filiarum, contra quas fas erat amore capti cum impio genere affinitate se devinxerunt; & in ejus non magis familias transiere quàm mores. Qui porrò ex implicatis Caïni, Sethique affinitatibus nati sunt, ut Gigantæam naturam, sic & vecordem in circumveniendis obtruncandisque mortalibus industriam, quæ tota illorum sapientia fuit, præ se tulerunt.

4. In græcis fragmentis omnimodæ historiæ Eusebii quæ Scaliger edidit, referuntur ab Abideno & Apollodoro decem Chaldæorum Reges, quos fuisse Gigantes ait Chronicon Alexandrinum. Quorum primus fuit Alorus, qui regnavit saros decem, sive 98. annos (est enim quilibet sarus apud Chaldæos spatium novem annorum & duorum circiter mensium, teste Suida & Hesichio) Cùm hoc primo cæteri Reges impleverunt spatium sarorum 120. quod spatium colligit 1183. annos diluvio proximos; ante quos ab Adamo fuerunt anni 472. ἀβασίλευτοι. Inter cæteros illius temporis Gigantes numerantur ex Caïni stirpe quindecim Reges, qui Ægyptum dominatu tenuerunt Sacerdotes & magica imprimis sapientia insignes. Apud quos Chamus in Ægypto ante diluvium fuit; atque ab iis incantationes, artemque magicam didicit; & ipse filium suum docuit Mitsraimum, qui deinde illud capessivit Imperium. Si quis distinctiùs notionem sapientiæ quæ ibi tunc viguit habere desiderat, potest Oedipum Kircheri consulere. Ex dictis potest specimen sumi ejus sapientiæ quæ sexdecim ab orbe condito sæculis celebrabatur & magno erat in pretio.

5. Sed etiam illis post eluvionem temporibus, quæ (ut ex Varrone Censorinus notat) μυθικὰ seu fabularia vocata sunt ab Ethnicis quod remota ob vetustatem ab omni memoria, poëticis referta sint commentis, certum est quandam magni nominis fuisse sapientiam, ab ea valdè abhorrentem; quam Noëmus à majorum gentium Patriarchis acceptam suis deinceps posteris tradiderat; cujus veræ sapientiæ neglectum Noëmus etiam ipse vidit inter suos magnâ quidem abundantes, sed perniciosâ solertiâ. Ex eorum enim disciplinâ prodiit Zoroaster magicas professus artes. Eluxit & indidem politica bellicaque prudentia in Nino & Semiramide quorum ille Zoroastre debellato, & omni Asia subacta, Imperium in urbe sui nominis Ninive locatum propagavit. At Semiramis Imperio quibusdam præstigiis interverso & Babylonem translato, bellis victrii-que audaci supra sexum facinore dominationem suam latissimè propagavit. Sic istorum temporum sapientia terrenis caducisque distenta negotiis circa cœlestia Divinàque caligavit.

6. Paucis post sæculis exorta est illa Theologia quam (ut Augustinus refert) Poëtarum fuisse propriam asseruit Varro, quoniam mortalibus ficta Numina fabulasque Divos ad cultum proponebat; nec aliundè quàm ex Poëtis (quos Tertullianus dedecoratores Deorum vocat) Religionum ceremonias ac ritus hauriebat. Quæ Theologiæ corruptio uno simul tempore, gentium omnium orbem invasit, postquàm tres Noëmi filii, Semus, Chamus, & Iaphetus mundi ex asse hæredes, terrarum partes tripartitò inter se diviserunt. Hujusmodi facta inter tres fratres orbis integri partitione: quam ex mente Divina & jure Divino factam Noëmus filiis suis indicavit, quando ductis sortibus assignavit suas unicuique regiones.

7. Ipse Noëmus plusquàm trecentis quibus diluvio superfuit annis obliterata in posterorum animis esse conspexit universa sua Divinæ sapientiæ dictata. Nec ullus assequatur ut dicat quantâ sanctus senex affectus sit tristitiâ, cùm in ipsius conspectu degeneres inter indocilesque prognatos, increbuit profanus cultus Membroti honore Divino consecrati, sub nomine Beli seu Baalis apud Chaldæos, seu Iovis apud cæteros Ethnicos. Tuncque mythicæ apparuerunt rudimenta Theologiæ; nec non ejus, quæ in naturalem civilémque ex Varrone distinguitur. Verùm illos omnes qui se ubivis terrarum amatores cultoresque profitebantur esse, sapientiæ Græci Philosophi celebritate nominis superarunt. Qui tantam omni Græciæ ac præcipuè Athenis gloriam doctrinæ pepererunt; ut vix unquam ullus Athenas, quin doctas adderet, nominaret; nec dubitaverit Plato illas sapientiæ Prytaneum appellare creditaque sit apud eas non tantùm alta nutritàque, sed & nata gentilitia omnis eruditio atque prudentia, quæ humanam vitam expolit.

8. Post septem celebres Græciæ Sapientes, de quibus ait Augustinus lib. 18. de civit. cap. 24. Socrates non modò sapiens, sed omnium sapientissimus hominum Delphico fuit oraculo denunciatus. Ab ejus schola prodiere multi sapientiæ professores, nobilissimus inter illos extitit Plato, qui omnem præceptoris, cùm nulla starent ejus scripta, disciplinam posteritati transmisit. Ex illius Academia prodiit Aristoteles & novam Peripateticorum scholam instituit; nec parùm ejus quem audierat Platonis luminibus obstruxit, nequaquam illius imitatus gratum erga Præceptorem animum. Novam & Zeno severioris, Epicurus autem voluptariæ sapientiæ sectam introduxit: quos multi sequi professi sunt, variis tamen viarum divortiis.

9. Philosophi porrò illi omnes, velut sophorum in Græcia Senatus, id sibi assumebant, ut toti mundo suæ prærogativa authoritatis præscriberent quid de natura rerum & omni morum, humanæque vitæ honestate censendum foret. At quantùm in suis judiciis à germana sapientia abessent, ille intelliget qui de eorum vita moribusque vel ipsos Ethnicos, & nominatim Diogenem Laertium legerit. Sed pro certiori ejus rei argumento produci potest religiosioris fidei testis Apostolus, qui summos græcanicæ Philosophiæ Doctores depingit ad Rom. cap. 1. Aristotelem (ut aliorum varia facinora omittam) subdit Theodoretus in tantam Idololatriæ impietatem raptum fuisse, ut uxori suæ, quæ ipso spectante cesserat à vita, soleret rem Divinam facere, offerreque sacrificia iisdem illis Religionibus quibus Cereris sacra continebantur. Θυσίαν τελευτηκυίᾳ γυναικὶ εἴωθει προσφέρειν ὁποίαν Ἀθηναῖοι τῇ Δήμητρι.

10. Perspicuum habetur ex dictis quàm vesana fuerit eorum omnium sapientia gentilium, quos oraculorum instar venerata est antiquitas. Quantùm ab illa discedendum sit admonet Apostolus Coloss. 2. *Nemo vos*, inquit: *decipiat in subtilitate sermonis per Philosophiam, & inanem fallaciam.* Videbat scilicet ipse Apollonium Thyaneum, & ejusdem farinæ plurimos alios sub Philosophorum nomine Magos, orbem circuire; & quicquid hæreticorum prodibat id temporis non aliundè, quàm ex prophanæ Philosophiæ paludibus tanquam locustarum agmina excitari. Quare non magis eleganter quam verè, Tertullianus hæreticos velut progeniem ex antiquâ Philosophorum stirpe procreatam inducit his verbis:

Hæreses Philosophiâ subornantur. Indè Æones & Trinitas hominis apud Valentinum; Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate: à Stoïcis venerat. Et uti anima interire dicatur; ab Epicureis observatur. Et ut carnis restitutio negetur; de una omnium Philosophorum schola sumitur. Et ubi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus intervenit. Et ubi materia cum Deo æquatur, Zenonis disciplina est. Eadem materia apud hæreticos volutantur; iidem retractatus implicantur. Itaque nullos intensiores prædicationi suæ hostes experti sunt Apostoli quàm Philosophos, dum Iudæi signa peterent, φιλοσοφιζῶντες Græci sapientiam quærebant suæ similem. Quam cùm divini Verbi præcones, qui sublimiorem afferebant, non exhiberent, pro insanis spermologis rejecti sunt.

11. Steterunt protinùs in acie structâ Sophorum legiones, qui quadrato velut agmine sub diversis sectarum vexillis prodeuntes, syllogismis, definitionibus, ac divisionibus instructi, dialectico stratagemate totiùs machinas ingenij, sophisticasque captiones ad fidem Christianam propulsandam admovebant. Navabat egregiam Philosophis operam eloquentia: quæ instar crepitaculi mirificè tintinnabat; Atque in toto Græcorum resonabat imperio. Quod imperium propterea in Mystica Nabucodonosoris statua velut æneum tinnulumque repræsentabatur. E regione verò Apostoli *Non in sublimitate sermonis, non in persuasibilibus humanæ Sapientiæ verbis, sed in virtute sapientiam loquebantur, Dei non hujus sæculi, nec principum hujus sæculi qui distruuntur.* Opponebantur carnalibus humanæ Philosophiæ armis cœlestis arma Philosophiæ potentia Deo. Atque tandem apparuit plura de Gentilitiis Scholis effata quæ summam veritatis authoritatem obtinuerant, pernicioso esse errore imbuta. Qualia sunt: Ex nihilo nihil fieri; à privatione ad habitum non dari regressum: nisi insit, accidens esse non posse: Corpora sic aptari loco, ut nec unum corpus plura occupare loca, nec unus locus plura possit capere corpora: Quæ Mater sit, Virginem esse non posse: Mundum ex æterno tempore fuisse: Omnem substantiam per se subsistere, non per aliud posse, &c.

CAPVT III.

Quantò Christus terrenam Gentilitiamque Sapientiam despicatui habuerit, Cœlestem suam per Apostolos introducens.

1. ILLAM verò prophanam sapientiam usque eò neglexit, atque aspernatus est Christus; ut cùm ad suam conflandam Ecclesiam delectum hominum habuit, non ipsa è florentissimis Academiis lumina, sed ex fæce piscatorum ad se vocarit rerum inscios omnium ac rudes. Non per Oratores & per Philosophos docere piscatores, sed per piscatores erudire voluit Oratores atque Philosophos. Vnde potest mens Christiana vtilissimum capere documentum, quanto sit ducenda despectui sæcularis omnis Gentilitiaque sapientia; cum Deus illos qui eâ excelluerunt, quosque posteri omnes velut numina quædam mirati sunt, pro nihilo habuerit. Nec Aristotelem in naturæ indagatione omnique Philosophiâ sagacitas; nec Platonem sermo is, quem vulgò Divinum, & à Ioue, si in terris versetur, usurpari dignum prædicabant; nec facultas dicendi Demosthenem, sive Tullium, nec similes alios variarum scientiarum Principes sua illa naturalis, quæ nullam in rebus humanis comparationem habeat excellentia commendare Christo satis potuit; ne illos negligens præteriret. Mysteria gloriæ suæ Deus abscondit à sapientibus, & prudentibus sæculi. *Quæ stulta sunt mundi elegit, ut confundat fortia; & ignobiles mundi, & contemptibilia elegit, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret.*

2. Si Christus scientiarum Dominus artes humanas naturalemque sapientiam in aliquo loco numerasset, dubium non est quin iis excellere suos voluisset Apostolos; qui in omni mundanarum scientiarum genere obscurassent illarum Professores, horumque luminibus omninò suæ obstruxissent sublimitate sapientiæ: Verum illud inane scientiarum decus, in quibus mortalium vanitas laureolam velut in mustaceo quærit, suis ille contemnendam præconibus esse duxit. *Non legitur in Evangelio* (inquit sanctus Augustinus lib. 1. de actis cum Felice Manichæo cap. 10.) *Dominum dixisse mitto vobis paracletum qui vos doceat de cursu Solis & Lunæ; Christianos facere volebat non Mathematicos. Venturum autem dixit Paracletum, qui nos inducat in omnem veritatem.* Quo nomine, veritatem eam intellegit, quæ mentem illuminans, necessaria est ad salutem; & Christianos facit Doctos esse à Domino, illiusque docibiles Dei, qui sedet super Cherubin, hoc est super plenitudinem scientiæ, ut idem Sanctus Doctor exponit in Psalm. 19. *Cherubinis* (inquit lib. 9. de civ. cap. 22.) *omnis corporalium temporaliumque rerum scientia, quâ inflantur Dæmones, vilis est: Non quod illarum ignari sint: Sed quod illis Dei quâ sanctificantur, Charitas, chara est.* Quare summa illa est Christianæ religionis commendatio, & manifestum quò Divina censeri debeat, argumentum; quod ad eam tanto successu fundandam Apostoli accesserint ab omnibus imparati scientiarum humanarum præsidiis. Illorumque non est dissimulanda, nedum inficianda inscientia; sed potius venditanda, & cum aliquo ostentationis genere glorianda.

3. Quapropter valde illam Chrysostomus altercationem improbat, quam ait ortam fuisse aliquandò inter Christianum, qui Paulum ipsi etiam Platoni eloquentiâ disserendique subtilitate præstare defendebat; & Gentilem, qui Apostolum illum contendebat rerum omnium imperitum, expertemque sapientiæ: Vtroque suam (inquit, homilia 3. in Epist. ad Corinth.) partem infirmante ἀμφοτέρων ἐν τῇ πρὸς ἀλλήλους μάχῃ τὰ ἑαυτῶν καταλυόντων. Christianus enim Gentilium, Christianorum autem Gentilis causam agebat. Nam quid Christianæ Religioni ad gloriam illustrius esse potest, quàm si Gentilis causam obtineat? Atque Paulum illum, qui Scholas omnes Philosophorum expugnavit, constet nullas litteras novisse, & omnis fuisse eruditionis expertem? Quid ex adverso Ethnicorum impietati accommodatius & magis Evangelij dignitati contrarium; quàm Apostolum humana præ Platone pollentem sapientiâ pugnam cum Gentilitiarum Scholarum robore commisisse; & ab iis reportasse victoriam? Itaque inquit Chrysostomus, cùm Gentiles inscitiam Apostolorum objiciunt, illam

nos profiteamur & verbis etiam exaggeremus; Platonis, aliorumque Sapientum Ethnicorum prophanam extollentes facultatem & mirabile in illis asserentes fuisse à naturâ ingenium, literaturam, cogitationem. Quò enim altius id esse constiterit, è quo emineas; tantò necesse est te sublimius extolli.

4. Verumtamen quamvis illi qui naturâ & marte suo nihil poterant, utpotè rerum omnium imperiti, priusquam in Christi Apostolos conscriberentur; cùm Paulus quidem inter Opifices, & in arte scenofactoria versaretur; cæteri autem ex Naviculariorum fæce agrestes essent, atque despecti: Nihilominus illis demùm erudiendis Spiritus Sanctus longè excellentiora concessit, quàm aliis exercitatio & humana disciplina tribuere soleat. Postquam διδακτοὶ τοῦ θεοῦ ut scriptura loquitur, in lucem splendoremque rerum gerendarum prodierunt; non jam dicere possumus, nec indoctum Petrum, quantumvis mundanæ cùm Philosophiæ, tùm Eloquentiæ non modo despicientem, sed hostem; nec ignarum Paulum, neque rusticum Ioannem, &c. Quorum unusquisque pronunciare de seipso poterat, *Et si imperitus sermone non tamen scientia.* Petrus indoctus? Quem Dionysius Areopagita, in eo qui est de divinis nominibus librò, scribit fuisse τὸν κορυφαίαν καὶ πρεσβυτάτην τῶν θεολόγων ἀκρότητα. Paulus ignarus? Quem idem Areopagita vocat communem omnium solem τὸν κοινὸν ἡμῶν ἥλιον. De quo Origenes testatur non defuisse Christianos, qui cum ausi sint dicere Spiritum, à Patre missum, & à Christo promissum, qui docturus nos esset omnia. Ioannes Rusticus? Piscator indoctus? Quem idem Dionysius Epist. 10. solem appellat Evangelij & veræ Theologiæ parentem; Asterius verò politissimus scriptor spongiam ait ad Christi pectus æternorum doctrinâ Mysteriorum infectam, & ipsius torrente Divinitatis imbutam ὁ μέγας θεολόγος Ἰωάννης· οἷον σπογγία τις τῷ στήθει τοῦ μονογενοῦς παρακείμενος, κἀκεῖθεν ἑλκύσας κεκρυμμένης σοφίας τὸν γνῶσιν. *Vnde vox illa* (inquit Hieronymus Epist. 103. ad Paulinum) *in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum? quàm doctum obsecro nomen illud* λόγος *quod multa significat? Nam & verbum est, & ratio, & supputatio & causa uniuscujusque rei per quam sunt singula quæ subsistunt; Quæ universa rectè intelligimus in Christo. Hoc Doctus Plato nescivit: Hoc Demosthenes eloquens ignoravit.* Hactenus Hieronymus.

5. Quantam Christus ex illis Thesauris qui in ipso sunt absconditi sapientiam deprompserit, ut eam in hos piscatores, & navicularios effunderet, vel inde intelligitur; quòd ij non tantum si cum Ethnicis Philosophis, quos erroribus vitiisque cæcatos fuisse constat; sed etiam, si cum divinis antiquæ legis Doctoribus qui *Rhoim.* Seu videntes ob luminis vim interni, à scripturâ 1. Regum cap. 9. nominantur, contentio fiat, longe superiores in sapientiâ & sublimium rerum cognitione reperiuntur. Cùm enim Moses exempli causâ ex congressu & colloquio Dei descendens, varia proponebat legum genera, totque prodigia patrabat; quid aliud quàm in rerum futurarum versabatur umbris, aut quandam velut picturæ & imaginum ænygmaticarum scenam instruebat; ex formâ, quam per sublimes illas quidem, sed altius quam ad Symbolicum apparatum non ascendentes Dei revelationes accipiebat? Vt si quis opifex ligneam Sphæram elaboraret, atque in eam illigaret Lunæ, Solis, cæterorumque syderum motus juxta descriptionem sibi à perito Mathematico datam; sed tamen ipse rerum cursuumque Cœlestium rationem non nisi confusè obscurèque intelligens. Apostoli animos illorum, inter quos Christianam sapientiam loquebantur ad rem ipsam veritatemque ab illis antiquæ legis umbris traducebant: Figurarum, Typorumque Propheticorum explicabant Antitypos, atque velut solida rerum ipsarum palpanda corpora exhibebant.

6. Non unius illi porrò Iudaïcæ Gentis, ut Moses, at omnium terrarum gentiumque Prophetæ extiterunt. Illi sale sapientiæ suæ universum orbem persperserunt, & Cœlestis Doctrinæ radiis illustrarunt juxta Christi effatum; *Vos estis sal terræ; vos estis lux mundi.* Lux nempe mundi quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quare ordinem Apostolicum Liturgia Divi Marci appellat Lampadem duodecies lucentem Δωδεκάφωτον λαμπάδα. *Hi mundo traditi sunt in Magistros* (ait Bernardus serm. in die Sanctorum Petri & Pauli) *quibus securè me committere possim; quia notas mihi fecerunt vias vitæ. Quid Petro sapientius, cui non caro & sanguis revelavit? Paulus sapientiam & medullam sacrorum sensuum, non à primo vel secundo, sed à tertio Cœlo largiter asportavit. Hi sunt Magistri nostri qui à Magistro omnium vias vitæ plenius didicerunt. Quid ergò nos docuerunt? Non piscatoriam artem, non scenofactoriam; non Platonem legere; non Aristotelis versutias inversare; non semper discere, nunquam ad veritatis scientiam pervenire. Docuerunt me vivere.*

7. Atque Deus illud agreste naviculariorum genus à se probè instructum, Platonicis, Peripateticis, Stoïcisque objecit eo successu: Vt hi afflictâ suæ sapientiæ dignitate, omnique Philosophiæ authoritate prostratâ jacuerint: Illi autem amplificatis gloriæ insignibus in lucem & in eum emerserint splendorem, qui cætera omnia lumina obscuravit. Vera sapientia perdidit falsam sapientiam. Et quamquam stultitia prædicationis in cruce sit: Illius tamen stultitiæ ministri: Barones (inquam) hi nostri contra Sophos opinione sui inflatos sapientiam loquebantur, quæ cornicum oculos configeret; sapientiam autem non hujus sæculi, sed in Mysterio absconditam, quæ Christus est. *De qua sapientiâ absconditâ noni Psalmi titulus* (inquit Hieronymus Epist. 103.) *Prænotatur, pro occultis filij; in quo sunt occulti omnes Thesauri sapientiæ & scientiæ; & qui, cùm in mysterio absconditus esset, prædestinatus est ante sæcula.* Denique tota sapientia Græculorum cum summâ intollerantiâ se jactantium, ita confusa, fractaque est, ut Christianæ stultitia Religionis victrix in pugnæ campo steterit; & spoliatis castris hostilibus, vexillum sui triumphi Crucem toti adorandam mundo erexerit.

CAPUT IV.

Quæ sit natura veræ Theologiæ.

1. UT Dei appellatione veteres abusi sunt eam ad Dæmonia transferendo, sic & Theologiæ nomine; quod nugatoriis fabularum narrationibus accommodarunt. Vnde antiquissimi Poetæ

Orpheus, Hesiodus, &c. qui prima Idololatriæ principia tradiderunt, vocati sunt Theologi, ut notavit August. lib. 18. de civit. cap. 14. in eoque sensu Eusebius lib. 1. de præp. Evang. cap. 7. Atque lib. 2. cap. 1. & seq. explicat qualis fuerit Phænicum, Ægyptiorum, Atlantum, Phrygum, Græcorum Theologia. Varro autem inter Latinos tria genera Theologiæ distinxit apud eundem Augustinum lib. 6. de civitate cap. 5. Primum genus nominavit μυθικὸν seu fabulosum; quod Poëtæ tractaverunt: Alterum φυσικὸν seu naturale in quo Philosophi versati: Tertium πολιτικὸν seu civile, quod spectat populum, & maximè Sacerdotes. Subdit porrò illorum trium generum primum quidem esse accommodatum Theatro, secundum mundo; tertium vrbibus. Verumtamen quantùm Idola à Deo vivo ac vero; tantum illa Gentilitia Theologia differt à sacra & merè supernaturali. Dixi mere supernaturali; quatenus nempè articulis fidei & veritatibus à Deo immediatè revelatis continetur. Licet Theologia prout in scriptis Sanctorum Patrum & in Christianorum Scholis explicatur, habeat insuper, præter articulos fidei & revelationes divinas, quædam quæ humanum purè ingenium sivè ex lumine naturali, sivè ex doctrinâ acquisitâ vtilissimè superaddit.

2. Porrò ut distinctiùs atque dilucidiùs videamus quid Theologiæ nomine, inter Christianos intellitur. Notandum est apud quosdam Patres Θεολογίαν primò tam angustè sumi ut non ad omnia revelata extendatur; sed ad ea tantùm, quæ in Deo locum habent; sive absoluta ea sint & essentialia, sive relativa & personalia. Ita Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioannem, ait illum Evangelistam incipere à mera Theologia, hoc est à sermone de verbi Divinitate, & postea progredi ad sermonem de Incarnatione ἐξελαύνειν λόγον ἐξ ἀκράτυς Θεολογίας εἰς ἐξήγησιν οἰκονομίας τῆς σαρκώσεως. Eodem modo Nazianzenus orat. 38. distinguit Theologiam à consideratione incarnationis ταῦτα περὶ Θεῦ πεφιλοσοφήσθω τὰ νῦν ὅτι μὴ θεολογία προκείμενον ἡμῖν, ἀλλ᾽ οἰκονομία. De Deo, inquit, *à nobis hactenus dicta sufficiant, non enim propositum nobis est agere de Theologia, sed de Incarnatione.* Illo sensu Ioannes Apostolus præ cæteris appellatur Θεολόγος quod initio sui Evangelij τὸν Ἰησοῦν ὁ θεολόγησε. Et Dionysius ad Demophilum scribens, vocat eos Dæmonas, qui Iesum dicebant esse Deum θεολογοῦντας τὸν Ἰησοῦν

3. Secundò apud ipsos etiam Patres paulò laxiùs Theologia ad ea omnia extenditur, quæ Deus revelavit; non de iis tantum quæ sunt intra ipsum; sed de alijs etiam quibuscumque rebus. Quomodò intra illius objectum omnes fidei includuntur articuli. Atque his duobus modis sumptam Theologiam asseri debet cum D. Thoma necessariam esse aliquo modo ad salutem; ratione nimirum veritatum revelatarum, quas continet, non tamen quarumcumque, sed illarum quas explicitè credere debemus; quales veritates sunt Trinitatis, Incarnationis, &c. Sunt enim aliæ veritates plurimæ revelatæ quas non est necesse ita explicitè credi.

4. Tertiò denique Theologia (postquam præsertim methodo & ratione quadam certâ tradi in scholis cæpta est) sumitur non tantum prout eas omnes complectitur revelationes, quas Deus sivè de seipso, sivè de rebus creatis protulit; sed etiam provt plurima continet alia, quæ ad illarum revelationum explicationem & elucidationem afferuntur; earum nempè defectus, causas, & quæcumque adjuncta detegendo; earundem probationes ex Philosophiâ variisque aliis disciplinis, aut ex sanctorum Patrum authoritate sumendo: Similitudines item, aliaque hujusmodi addendo quæ faciant ad faciliorem intellectum, ad ornatum, &c. Sivè deniquè (quod præcipuum est) ex rebus revelatis conclusiones eliciendo, quæ certitudinem mediatè ab illis Divinis revelationibus accipiant.

5. Vnde apparet Theologiam, provt hac tertiâ notione sumitur duplici munere contineri, prius quidem munus est; quo articulos fidei, quemadmodum jam dicebam, tantâ exponit ratiocinationum vbertate, verborumque copiâ, ut lucem latè diffundens, difficultates tollat aut minuat, quæ res divinitùs revelatas, utpotè fidei obscuritas, circumfusasque caligine, comitantur. Cui muneri deservit interpretationis id donum quod Prophetia nominatur Ephes. 4. *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam vero Prophetas.* Eodem pertinet simile donum gratuitum quod 1. Corinth. 12. vocatur fides & distinguitur à prima Theologicarum virtutum; estque magna quædam intelligentia; dicendique facultas ad explicanda ea, quæ debent à Christianis credi, mysteria. Secundum hujus ἐξηγητικῆς Theologiæ munus est; ut ex ipsis fidei articulis, tanquam ex principiis, seu præmissis, conclusiones eas eliciat, quæ licet non sint propriè de fide, cum non divinæ revelationi immediatè, sed rebus revelatis subjiciantur per discursum & formam syllogisticam; proximè tamen accedunt ad fidem, & mediatè certitudinem alti cujusdam ordinis à revelatione accipiunt, si per evidentem consequentiam deducantur. Atque has, quas vocant Theologicas conclusiones argumentando deducere pertinet maximè ad munus Theologi: Taliumque cognitio & assensus conclusionum vocari propriè solet Theologia.

6. Cum duplex prædictum munus antiquissimum sit, & à sanctis non tantum novi, sed etiam veteris testamenti Patribus vsurpatum: Nihilominus tota hæc disciplina longè illustrior evasit postquam Petri Lombardi Parisiensis Episcopi studio in unum corpus redacta, & ratione methodoque tradita est. Eaque tunc Scholasticæ Theologiæ nomen accepit: Sivè quòd ii qui fuere deinceps Theologi, Petrum Lombardum ut Magistrum agnoverunt, illumque sub absoluto Magistri nomine tanquam eius discipuli Scholasticique coluerunt. Sive potiùs honorificum Scholasticæ nomen huic facultati tributum est, ob subtiliorem limatioremque rerum tractationem: Quare illius professores insignes mos obtinuit appellari Scholasticos, hoc est ingenio eruditioneque præcellentes. Quâ ratione Hieronymus lib. de scriptoribus Ecclesiast. in Serapione scribit, ipsum Serapionem virum doctissimum ob ingenij elegantiam Scholastici cognomen adeptum: Gregorius lib. 10. Epist. 2. vocat Matheum Scholasticum & clarissimum virum. Sic Gennadius Prosperum Aquitanicum asseruit esse sermone Scholasticum. Tales & primis Ecclesiæ temporibus dicebantur Præsbyteri quidam doctissimi, qui præficiebantur Scholæ Christianæ ad Proselytos erudiendos. Quales fuerunt, Pantenus, Clemens Alexandrinus, Origenes & alii. Eademque laudis significatione reperiuntur inter prophanos multi ob ingenij præstantiam dicti Scholastici; ut ex titulis quibus-

dam Epigrammatum Græcorum in Anthologia constat. Hoc in genere Theologiæ Scholasticæ excelluit præcipuè Academia Parisiensis Sorbonica, cæterarum Scholarum princeps & mater. In quâ D. Thomas & illi ferè omnes, qui celebre nomen olim in hac facultate adepti sunt floruerunt.

7. Hanc vero Scholasticam Theologiam licet complectatur principia & veritates eas revelatas, quas credi necessarium est ad salutem, certum est nihilominus alia plurima continere, quæ non tantum creditu necessaria ad salutem non sunt; sed quæ ne quidem revelata: Quorum aliqua nec evidentiam, nec certitudinem, sed eam solum probabilitatem habeant, quæ ratiocinatione humanâ, & doctorum authoritate nitatur. Fatendum tamen est hanc ipsam, qualis in Catholicorum Scholis traditur Theologiam esse, si non singulis, saltem vniversæ Ecclesiæ necessariam, ad refellenda & coarguenda mendacia recentium hæreticorum. Qui quod vexari se convincique Scholasticis argumentis experiantur, hujus scientiæ subtilitatem calumniantur; nec attendentes hoc Theologiæ genus profectum esse potissimum ab Augustino; cujus laudes, dum vafrè extollunt, non possunt authoritate suâ nisi minuere. Advertendum est, præter sacram Theologiam, de qua hoc capite actum est, dari aliquam veram, sed merè naturalem; quæ scilicet circa Deum, prout naturali lumine cognitum versatur. Ea vero non aliud est, quàm Metaphysica; de qua non disputamus.

8. Divus Thomas quæst. 1. Deum asserit esse sacræ de quâ hic agimus, Theologiæ objectum; cùm formale art. 3. 5. 8. vbi vult hanc scientiam in iis quæ docet niti Deo revelante; tum etiam totale per attributionem art. 7. vbi affirmat in illa nihil considerari, nisi vel Deum, vel quod ordinatur ad Deum. Atque ex hoc dupliciter sumpto objecto nascitur quædam tum actuum, tum habituum Theologicorum unitas; quæ sufficiat ad constituendam Theologiam unam. In objecto quidem formali, nempè in revelatione Divina; vnitatem habent, non solùm omnes immediatè revelatæ propositiones; sed etiam omnes illæ conclusiones quæ pendent evidenter; sivè à duabus præmissis revelatis, sivè saltem ab earum alterâ revelatâ; & propriè vocantur conclusiones Theologicæ. Quamvis enim tales conclusiones multæ sint, & distinguantur ab invicem specificè, vel etiam genericè; tamen in eo similes sunt, ut mediatè subsint revelationi divinæ (quatenus ex revelatis propositionibus deducuntur) & eatenus in unum velut cumulum aggregantur. In objecto autem per attributionem totali similitudinem habent, non tantum conclusiones illæ, quæ,ut dixi, Theologicæ propriè nominantur, sed etiam latissimè omnia, quæ quocumque modo in Theologiâ locum habent; & ad præcipuum illius facultatis objectum, nempè ad Deum supernaturaliter cognitum habent aliquem attributionis ordinem. Nihil enim in Theologiâ consideratur, quod vel Deus non sit vel non ordinetur ad explicandas res divinas. Vnde intelligis vnitatem totius Theologiæ non esse nisi moralem; eo modo quo multitudo hominum per ordinem ad eundem Ducem est unus exercitus. Quod genus vnitatis non impedit, quominus ad eandem scientiam diversissimi tum actus, tum habitus pertineant, evidentes, opinativi, incerti, obscuri, cum certitudine, speculativi, practici, &c.

9. De vnitate Theologiæ longè aliter, & valdè obscuriùs statuunt Thomistæ, præsertim recentiores. Docent enim scientiarum universim unitatem desumendam esse ex objecti ratione formali *sub quâ*. Nam distingunt in objecto, cùm scientiarum, tum potentiarum, duplicem rationem formalem: Nempè *rationem qua* & *rationem sub quâ*. Rationem formalem, *qua*, eam dicunt entitatem rei, quæ assumitur ut medium ad conclusiones probandas in scientiis; & quæ in potentijs harum actus terminat. Ratio formalis, *sub qua*, in scientiarum quidem purè naturalium objectis dicitur abstractio à materiâ seu immaterialitas; verbi gratia abstractio à solâ materiâ singulari, pertinens ad objectum Physicæ; abstractio à materia non tantum singulari, sed etiam sensibili, pertinens ad objectum Mathematicæ; ac tandem abstractio, ab omni materia, tùm singulari, tùm sensibili, tùm intelligibili, pertinens ad objectum Metaphysicæ. In objectis vero potentiarum, ratio formalis *sub quâ* est denominatio quædam extrinseca desumpta ab ipsarum actibus; visibile, audibile, &c. Dicunt igitur hi authores, distinctionem & unitatem scientiarum totalium naturalium, & potentiarum, attendi dumtaxat secundum variam distinctionem jam explicatam rationis formalis *sub quâ*. De unitate vero Theologiæ (utpotè pertinentis ad ordinem non purè naturalem) aliter statuunt, eamque dici volunt habere unitatem, non ùt scientias purè naturales, nec omninò ut potentias modo jam supradicto; sed quod omnia quæ tractat, habeant eandem rationem in genere scibilis: Nimirum divini luminis revelationem, quatenus pendent à principiis revelatis, atquè adeò pendent à revelatione: Atque sic interpretantur D. Thomam art. 3.

10. Tantam porrò constituunt unitatem Theologiæ; ut velint omnes Theologicos actus esse unius speciei; quia putant propositiones revelatas quæ sunt Theologica principia, nullam habere diversitatem; cum eandem habeant omnes revelationem Divinam aut eandem Dei authoritatem, cui innitantur. Non tamen constituunt in aliis scientiis tantam unitatem; fatenturque in iis reperiri multos actus specie distinctos; quod eorum objectum habeat scibilitatem solum genericam, & variabilem pro diversitate principiorum & mediorum; à quibus, ipsi actus, seu conclusiones pendent. Vbi advertit Molina (qui non multum abest à Thomistis) in art. 3. disp. 2. & 3. unitatem specificam omnium actuum Theologicorum haud intelligendam esse quandò conclusiones non pendent à duabus præmissis, quæ sint ambæ revelatæ. Si enim earum una non sit revelata, fatetur hic author scibilitatem specificè distingui; dummodo fiat comparatio inter conclusiones; in quarum syllogismis non reperiatur eadem ipsa præmissa non revelata; alioqui diceret Molina, si id explicaret, non specificè distingui conclusiones, quales sunt duæ horum syllogismorum: Omnis homo est risibilis, Christus est homo, ergo Christus est risibilis: Et omnis homo est risibilis; Ioannes Baptista est homo; ergo Ioannes Baptista est risibilis. Hi enim & alij similes discursus Theologici, cum eandem habeant majorem, distingui non possunt specie per minorem, utpotè vtrobique revelatam, atque adeò secundum illos specie indistinctam.

11. His circa unitatem Theologiæ, quoad actuales assensus, constitutis; docent vlterius isti; habitum Theologicum esse unum. Inter hos tamen Molina disp. 3. vult unum unitate solum specifica. Alij Thomistas inter plurimi majoris unitatis amantes docuere in unoquoque homine gigni Theologicum

habitu;

habitum qui circa omnes actus sit una numero qualitas simplex: quod etiam de cæterarum scientiarum habitibus affirmat; sed hæc Doctrina, sicut ea (quam num. 8. & 9. fusè idcircò explicui, quia satis est celebris) parum videtur probabilis. Quidquid enim proponitur est voluntarium; ut ostenditur à Philosophis ad quos ea propriè pertinent. Quare de unitate Theologiæ sivè quoad actus, sive etiam quoad habitus id tenendum est quod num. 7. exposuimus. Idemque cum proportione dicendum de naturali Theologia, quæ circa Deum non per supernaturales revelationes; sed solo naturali lumine cognitum versatur; quæ nihil est aliud quam Metaphysica.

12. Denique hic addam non audiendum esse Aureolum; qui ut refert Okam quæst. 3. prologi, voluit Theologiam non esse elicitivam conclusionum ex præmissis revelatis, neque esse adhæsivam, sed tantum declarativam. Movetur; quia si Theologia contineret assensum conclusionis eductæ ex articulis fidei; is assensus vel scientia esset, vel opinio; neutrum dici potest: Cum nec habeat evidentiam nec formidinem; ergo, &c. Sed contra; nam ut benè ait Okam, quoties discursus ex assensu præmissarum ita movet ad assensum conclusionis; ut si alia causa assentiendi non adesset, ex eo solum intellectus assentiretur conclusioni; talis discursus verè est adhæsivus; atqui Theologicus discursus movet eo modo intellectum. Nec ratio Aureoli valet. Videbimus enim infrà, an actus & habitus Theologiæ appellandus sit scientia seu potiùs sapientia, an opinio, an fides. Quod totum etiam intelligitur ex eo quod jam supra diximus actus & habitus Theologiæ aliquos esse deductos ex propositionibus revelatis, & vocari propriè conclusiones Theologicas: aliquos alios esse opinativos; aliquos scientificos; aliquos practicos; aliquos speculativos. Capite autem sexto & septimo infra explicatur; quomodo Theologia sit verè propriéque sapientia hominum viatorum. Id enim est quod præcipuè ostendendum suscepimus in hac procemiali dissertatione. Quoniam verò Theologi media, quibus ad argumentandum & suos eliciendum assensus vtuntur, desumunt ex certis quibusdam locis, agendum breviter de his capite sequenti.

CAPVT V.

De locis Theologicis.

1. Qvemadmodum Rhetores & Dialectici varias velut capsas ac sedes, quibus argumenta seu media ad probandum idonea distinguerentur, assignarunt, locosque appellarunt; unde & nomen arti Topicæ: Sic etiam Theologi suorum habent argumentorum certa quædam distincta cubilia; de quibus luculenter duodecim libris disseruit Canus occasione doctrinæ, quam tradidit D. Thomas q. 1. art. 8. ad 2. hos locos Theologicos numero decem ex eodem Cano bene Molina cap. 8. sic enumerat. Vt primus sit authoritas sacræ scripturæ: Secundus traditiones conservatæ in Ecclesia: Tertius authoritas Concilij generalis conjuncti cum summo Pontifice: Quartus definitio summi Pontificis: Quintus authoritas Concilij Provincialis à sede Apostolica confirmati: Sextus authoritas omnium Sanctorum Patrum: Septimus authoritas Concilij Provincialis à summo Pontificè non confirmati; maximè si tale Concilium sit antiquum, & communi usu in Ecclesia receptum: Octavus authoritas vnius aut plurium Patrum; ubi alij non refragantur, nec non authoritas omnium aut ferè omnium Doctorum Scholasticorum: Nonus ratio naturalis, quæ aliquando ex ambabus præmissis suis elicit conclusionem Philosophicam Theologiæ utilem; aliquando autem propositioni uni suæ alteram propositionem revelatam adjungit, aut etiam duas assumit revelatas, ut eliciat conclusionem Theologicam: Decimus denique authoritas Philosophorum illustrium, aut historiæ cujusdam benè approbatæ.

2. Non attinet longam nunc disputationem de singulis locis instituere. Tantùm de illis vniversim consideratis dicam, non eandem esse omnium authoritatem. Nam ad Theologiam propriè pertinent octo solum priores; & nonus quando in præmissis adhibet propositionem aliquam revelatam. Cùm enim proceditur ex ratione purè naturali, nec non ex authoritate Philosophica, aut merè historica; probationes non sunt Theologicæ nisi reductivè; quatenus eas Theologia pro suo in scientias inferiores dominio ad revelati explicationem objecti dirigit. Inter illos verò, qui Theologici propriè censentur, sex primi habent authoritatem infallibilem. Et quidem primus, nempe scriptura sacra, non debet sumi, ut proponens acceptabilemque reddens revelationem, sed ut ipsamet existens revelatio. Scriptura enim est locutio ipsa Spiritus Sancti: Idemque dici debet de traditione Ecclesiæ objectiva. Alij autem loci Theologici revelationem, solùm proponunt, aut detegunt, faciuntque extrinsecè credibilem.

3. Circa scripturam quæritur hic, quot sensus in ea sint Theologis ad argumentandum vtiles. Vt huic quæstioni respondeatur, advertendum est scripturam sacram sub iisdem verbis posse plures habere sensus. Primò literalem, qui etiam vocatur Historicus; quem scilicet voces immediatè faciunt; quatenus res seu conceptus objectivos significant. Secundò spiritualem seu mysticum; quem non voces sed res per voces significatæ faciunt; quatenus & ipsæ, significant vlterius quippiam. Deus enim, qui est præcipuus scripturæ author, potest non solum voces & scripta ad aliquid significandum instituere, quemadmodum faciunt homines; sed etiam res ipsas gestas, & narratas; quod communiter non faciunt homines. Quarè sola scriptura sacra id privilegium habet inter omnes disciplinas; ut in ea non tantum voces significent; sed etiam res, quæ vocibus substant; sint vlteriorum conceptuum rerumque significativæ. Vnde totum regnum Iudaicum; & quidquid in eius serie gestum est, ait Augustinus, nihil aliud fuisse quam magnum quendam eorum quæ in Ecclesia Christiana contigerunt Prophetam.

4. Spiritualis sensus subdividitur, juxta diversitatem materiæ, circa quam versatur; in Allegoricum, Tropologicum & Anagogicum. Nam id quod significatur per res in scriptura narratas, vel pertinet ad statum Ecclesiæ militantis; & tunc, si conducit ad fidem, nascitur sensus allegoricus; vel conducit ad mores; & existit sensus Moralis, seu Tropologicus; vel pertinet ad statum Ecclesiæ triumphantis; & habetur Anagogicus; quo scilicet ad superiora, & sublimiora velut ascendimus; atque ad hunc sensum refertur quod spectat ad statum damnatorum. Sumi potest horum omnium sensuum exemplum ab historia exitus Israël ex Ægypto; & introductionis in terram promissam; quandò Ægyptij cum suo Pharaone qui (ut vult Eusebius) vocabatur Cen-

chres, fluctibus maris absorpti πανσρατιᾷ periere. Etenim per sensum literalem in scriptura, significatur id quod est verè gestum per Moysen sub prædicto Cenchte Pharaone trecentis post Iosephi deportationem in Ægyptum annis, auctâ per aliquot Reges persecutione; quam in Israëlitas Amenophis Pharao excitarat. Per sensum autem Allegoricum eadem ipsa res quam sensus literalis significavit, designat ulteriùs eductionem generis humani per Christum ex Diaboli jugo, & transitum in Dei gratiam. Per sensum item Tropologicum significat eadem res liberationem à servitute vitiorum, & transitum in virtutis libertatem. Per sensum denique Anagogicum indicat illa ipsa res introductionem in gloriam; vbi Cælestis Ierusalem, & terra promissa, &c. indicat simul impiorum detensionem ad inferos, & sub amarissimis fluctibus submersionem.

5. Tertiò tribui potest scripturæ accommodatitius sensus; hoc est qui locum ipsius scripturæ transfert ad eam rem; quam nec litteraliter voces; nec spiritualiter seu mysticè res vocibus significatæ designant: Quatenus eadem verba, quæ in aliquo negotio usurpantur possunt in alio propter aliquam similitudinem vsurpari. Vnde vides hunc sensum non tam scripturæ inesse, quàm advenire per adaptationem accidentariam & extrinsecam. Sic nos quod Ecclesiasticus cap. 44. dixit de Noe, *Inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*; transferimus ad quemcumque Sanctum Pontificem, confessorem; licet is nec significetur per verba prædicta, nec per ipsum Noë talibus verbis significatum. Atque in hoc sensu accommodatitio multi sunt Concionatores; caveant ne nimii. In eodem vsurpantur Tobiæ. 1. hæc verba desumpta ex cap. 8. Amos; *Dies festi vestri convertentur in lamentationem & luctum.* Putat Iansenius Gandavensis Evangelistas fuisse nonnunquam eo sensu accommodatitio usos: Vt cùm Mathæus cap. 2. refert verba Ieremiæ ex cap. 31. *Vox in Rama audita est, Rachel plorans filios suos:* Quandoquidem quod de strage facta tempore captivitatis dictum est, non videtur aliter quam per accommodationem transferri ad cædem illam infantium, de qua Mathæus agit.

6. Porrò circa istos scripturæ sensus jam enumeratos & explicatos, certum est literalem à Spiritu Sancto esse semper intentum; certum item sæpè intentum esse spiritualem sivè Allegoricum, sivè Tropologicum, sivè Anagogicum. Nam talem sensum ut à Deo loquente intentum Epistolæ Pauli & alij non rarò indicant libri Canonici, dum aliquas veteris testamenti historias explicant. Talis Allegoricus sensus est in his verbis, *Os non comminuetis ex eo, &c.* Reperiuntur similiter, & peti possunt ab Interpretibus alij cùm Tropologici, tùm Anagogici sensus. Quod autem attinet ad sensum accommodatitium, non apparet illum fuisse unquam intentum à Spiritu Sancto, aut potuisse intendi, cùm ea verba primò dictaret quæ accommodantur. Omnis enim sensus quem aliquis significare intendit; aut significatur per verba & litteralis est, aut significatur per ipsas res significatas, & est spiritualis. Dixi, cùm ea verba primò dictaret; quia si aliqui scriptores canonici utantur verbis præcedentium scriptorum canonicorum in accommodatitio sensu; oportuit Spiritum Sanctum quandò accommodationem faciebat eadem verba secundo dictare cum intentione hujus accommodatitij sensus. Adverte, aliud esse, quòd Spiritus Sanctus cùm verba primo dictaret intenderit futuram eorum accommodationem; & aliud quod intenderit tunc significare id quod per sensum accommodatitium importatur.

7. His positis facilè responderi potest quæstioni superiùs propositæ, circa horum sensuum utilitatem, & vim ad argumentandum. Patet enim magnam esse argumentationis efficacitatem, quandò sensus, ex quo argumentum desumitur, intentus est à Spiritu Sancto; non autem aliàs. Quarè semper valida sunt argumenta, quæ fundantur in sensu literali; non quidem eo qui ad solam literam, (quæ cruda & malè intellecta occidit) apparens tantum sit, sed vero atque germano. Quæ autem fundantur in sensu spirituali non semper valent; sed tantum quoties constat vel ex aliqua alia scriptura, vel ex Patrum consensu illum fuisse à Spiritu Sancto intentum: Quæ denique in accommodatitio tantùm sensu fundantur, necessarium est semper esse imbecilla. Imo quando contingit ipsam accommodationem factam esse à quodam posteriori scriptore Canonico, nequidem tunc accommodatio valet ad probandum; cum non ad eum finem, sed tantum ad illustrandum seu explicandum afferri potuerit à tali scriptore. Quomodò enim Evangelista, verbi gratiâ, uti potest loco antiqui testamenti ad probandam eam rem quæ non fuit significata, nec intenta à Spiritu Sancto in loco illo?

8. Quæritur vlteriùs, nùm possint esse in aliquo scripturæ loco sensus literales simul plures, eo modo, quo videmus sæpè spiritualem conjunctum esse cum literali quem supponit, & quem sibi habet subordinatum. Respondeo Michaël quidem Medina & alij nonnulli censent nequaquam posse reperiri. aut saltem non reperiri reipsà aliquem locum scripturæ, in quo certum sit plures sensus literales simul contineri. Quare cùm varij Patres seu Doctores afferunt diversos tales sensus literales, non est necessarium juxta hanc sententiam eos omnes sensus veros esse. Præferendam tamen existimo doctrinam Sancti Thomæ aliorumque multorum, quos refert Vasques disp. 17. c. 22. in iisque est præcipuè Augustinus, qui lib. 12. confess. cap. 30. & 31. ait multos scripturæ locos habere plures simul sensus literales. Quod eâ exaggeratione asserüit; ut scriptores sacros & nominatim Moysem, voluerit cognovisse quidquid veri ad explicationem verborum, quibus ipsi vtebantur venturum erat in mentem posteris; imò & multo plura. Certum tamen videtur contrarium. Nam posteris, plures sub eadem litera historici sensus venerunt cum probabilitate aliqua in mentem; qui sensus non potuerint à Deo omnes intendi. Cùm inter illos qui probabiliter defenduntur sint aliqui contradictoriè oppositi.

9. Vasques disp. totâ 18. multos affert locos, qui censentur à quibusdam authoribus habere plusquam unum sensum literalem. Inter quos locos ipse non admittit alium nisi hunc solum Isa. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Vbi duplici sensu significari fatetur duplicem Christi generationem, æternam, & temporalem: Quod tamen diffitetur in loco isto alio Psalmi 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Qua in re hic Doctor parùm loquitur consequenter. Nam generationem temporalem quidem non negat, intelligi his Psalmi verbis *Filius meus es tu: Ego hodie, &c.* quæ Paulus actorum 3. refert ad Christi resurrectionem. At negare non debuit; quin eadem idem Paulus referat Hebr. cap. 1. ad æternam generationem: Vt Augustinus in Psalmo 2. Chrysost. Theophil. Anselmus, &c. intellexerunt. Quæ generationis æternitas

aptè significatur illo adverbio *hodiè*. In æternitate enim non est nisi hodiè, unum nunc, & unum instans fixum ac stabile. Omitto persequi alios locos à Vasque prolatos; in quibus non desunt qui duplicem item sensum literalem agnoscant; & de quibus ex instituto disputant interpretes. Volo tamen unum hic novum advertere, quod ad rem de qua disputamus traho; & omninò huc pertinere existimo.

10. Supponendum est, quod nullus ignorat, vetus testamentum iis esse Hebraïcis scriptum notis, quæ omnes destitutæ vocalibus, consonantes sint. Vnde fit Calvinistas, novatoresque similes (dum rejectis traditionibus unâ se dicunt stare velle scripturâ in eo solo idiomate quo fuit à Prophetis exarata) non habere vllam vtilem veteris testamenti partem ex solis consonantibus, quæ nec intelligi nec audiri, pronunciarive possint; nisi traditiò idoneas, vocalium notas substituat. Cum igitur hæc quam nunc dicebam sit Hebraïcæ scripturæ conditio; qualis fuit donec post Christum; variæ sunt excogitatæ à Iudæorum Doctoribus notæ punctorum, ut per eas designari possit, quænam in singulis verbis substituendæ, sint pronunciandæque vocales; assumamus (exempli gratia) ex Genesi vltimum capitis 71. versum, vbi est hæc vox muta, quatuor habens sine vllis vocalibus consonantes, *Hmth*. Quæ vox potest esse pro varietate punctorum vocalium, sive *Hamittah* (id est lectus in quo quiescendi causâ reclinamur) sive *Hamatteh* (id est Virga seu Baculus; quo inclinari sustentarique aliquis potest.) Constat autem quatuor prædictas consonantes quæ absque vocalibus sunt in textu Canonico, habere duplicem sensum literalem. Vt nempe ex Spiritus Sancti intentione significent lectum in Geneseos suprà dicto capite quadragesimo septimo; *Adoravit ad caput lectuli* (*Hamittah*.) & denotent item virgam apud Paulum ad Hebræos cap. 11 juxta 70. interpretes; *Conversus ad fastigium virgæ eius* (quam nempe virgam gerebat Ioseph sive ut sustentaculum, sive instar sceptri, velut summus in Ægypto magistratus.) Patet igitur cùm ex Genesi, tùm ex Paulo, easdem quatuor litteras consonantes nudas & ut vocalibus destitutas duplicem reipsa habere sensum Canonicum literalem. Similis est observatio in voce *Chieb*, & *Cheab*. Sub iisdem enim consonantibus, *Chieb* quidem significat idem quod flagellat, ut patet ex cap. 12. ad Hebræos, *Filium flagellat*: *Cheab* autem proverb. cap. 3. significat *Sicut Pater*: Versu 3. *Sicut Pater in Filio complacet sibi.*

11. Petes num scriptores Canonicos necessarium fuerit semper intelligere aliquem sensum sive literalem, sive mysticum suorum verborum. Respondeo videri quidem certum illos non ita Prophetasse; ut penitùs ignorarent quod dicebant, sicut contigit Caiphæ Prophetanti, & fortè Balaamo ariolo. Quare veritatem semper aliquam (saltem literalem) suorum verborum intellexerunt, nec non sæpe aliquam spiritualem seu mysticam: Præsertim quando sensus sive literales; sive mystici aliquam inter se conformitatem habebant. Imò Deum existimo scriptoribus sacris prius revelasse rem ipsam scribendam, quàm verba; & eorum arbitrio, genio, stiloque, ut plurimùm reliquisse modum, characteremque scribendi. Vnde apparet in Isaya & Paulo perpetua verborum granditas; in eodem Paulo difficilis & minus apta verborum coagmentatio cum admirabili quadam vbertate sapientiæ. In Amos Pastoralis suavitas; & in alijs non paucis pedestris oratio.

12. Possent circa varios superiùs enumeratos locos Theologicos varia quæri; verbi gratia, nùm ex quacumque editione Scripturæ peti possint argumenta? Quam sit infallibilis authoritas vulgatæ? Item quanta sit authoritas Conciliorum sine summo Pontifice? Quo loco sit habenda summi Pontificis sine Concilio authoritas, loquentis ex cathedra, & fidei controversias definientis, atque circa eas quid tenere debeant vniversos fideles edocentis? Et alia similia. Sed ea explicantur in tractatu de fide. Tantum circa decimum locum admoneo posse aliquando in historia proponi definitiones & acta Conciliorum, nec non decisiones ac decreta summorum Pontificum, sensum item communem, ac traditionem Ecclesiæ; In quo casu argumenta desumpta ab historia sunt vere Theologica, & propriè non pertinent ad decimum locum; sed vel ad primum, vel ad tertium, vel ad quartum, &c.

CAPVT VI.

Quæ sit vera notio Sapientiæ.

1. QVAM sit retrusa, & abdita Theologicæ natura Sapientiæ declarare Ægyptios voluisse Plutarchus testatur in eo qui de Iside est Osirideque tractatu. Cùm in ipso aditu vestibuloque templorum collocabant Sphingas; ut earum occursu aspectuque singuli, priusquàm in locum religiosum se inferrent; admonerentur rerum sacrarum doctrinam Divinamque Theologiæ Sapientiam occultissimè latere; ac magnum esse mortalibus Ænigma quidquid ad Divinitatem pertineret. πρὸ τῶν ἱερῶν τὰς Σφίγγας ἱςᾶσιν, ὡς αἰνιγματώδη σοφίαν τῆς θεολογίας ἐχούσης.

Atque nominatim in vrbe quam appellabant Saï fuisse memorat idem author fanum patriis religionibus consecratum Minervæ, sivè sapientiæ, Isidi apud ipsos nuncupatæ (quam παρὰ τὸ εἴδειν, quasi Εἴδησιν, Græci suo sunt interpretati sermone) quo in fano incisum erat, ac litteris inscriptum uncialibus illud ipsius de se Theologicæ Sapientiæ elogium: *Ego id sum, quod & fuit, & est, & erit: Nec inter mortales quisquam peplum quo tota obvolvor, auferre potuit; nec me vllus aliter quem per hujus pepli involucra perspiciet.*

2. Quod Gentiles illi de abstrusis Theologicæ Sapientiæ latebris per Mythicam Matæologiam tradiderunt; id ipsum Dionysius cap. 1. de divi. nom. per mysticam Theologiam subliniùs docuit. Cum *Divina lumina occultis interpretationibus dixit nobis fuisse tradita, & quibusdam velis rerum corporatarum involuta.* Divinæ siquidem Scripturæ nobis Cœlestem Sapientiam non denudatam velo (qui pudoris ornatus est) sed opertam quasi peplo, non secùs ac verecundam virginem exhibent. Quod quidem eo velamine, quod faciei loquentis Moysis obtendebatur, significari poterat. *Hoc velamen* (inquit Hieronymus ad Paulinum) *Non solum in facie Moysis; sed & in Evangelistis & Apostolis positum est. Turbis salvator in Parabolis loquebatur, & contestans mysticum esse quod loquebatur; dicebat qui habet aures audiendi audiat. Nisi fuerint aperta vniversa, quæ scripta sunt ab eo qui habet clavem David, qui aperit & nemo claudit; claudit & nemo aperit, nullo alio reserante pandentur.* Di-

vinam verò Sapientiam indicat is quem supra retuli Dionysius illustrissimam quidem per se;ac radiantem esse; verùm nostram lippitudinem solam ei officere; nec ipsam nisi offusâ suâ luce operiri; & ita latere, ut ubi ea resideat, quove loco investigari debeat mortalibus sit ignotum. De hac sciscitatur Iobus cap. 28. *Sapientia ubi invenitur? Et quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium eius. Vnde ergo Sapientia venit? Et quis est locus intelligentiæ? abscondita est ab omnium oculis viventium.* Evolavit scilicet illa post conceptum ab Adamo scelus è conspectu mortalium, seque ex eorum consortio subduxit.

3. Certè nequidem in earum aliqua scientiarum liberalium, quibus studia ipsorum etiam Christianorum ad laudem insigniora continentur, sedem ac domicilium vera hæc, de qua sermonem instituimus, Sapientia collocavit. Habet Philosophia (quod & ipsa præfert interpretatio nominis) aliquam cum Sapientia conjunctam necessitudinem. Emendata inquam illa Philosophia & Spiritus Christiani perflatu à falsis purgata opinionibus iis, quas vetus, quas recentior Academia, quas Lyceum, & porticus, & omnes Ethnicorum Scholæ pepererunt. Illa tamen Christianorum Philosophia, quamvis exuta erroribus, longiùs à perfectæ Sapientiæ majestate abest. Quod si Metaphysicam quæ pars Philosophiæ summa est, amplissimo Sapientiæ nomine, tum Aristoteles, tùm cæteri passim consecrarunt: Sapientiam illi non aliam intelligunt, quam primarum causarum, quibus res naturales continentur, humanam scientiam.

4. Quare cum humanas omnes scientias Theologia longè multùmque superet, strui controversia potest, nùm & quomodo ipsi summum adscribi possit Sapientiæ decus. Quas enim Aristoteles lib. 1. Metaph. cap. 2. veræ Sapientiæ vel tribuit perfectiones, vel conditiones apponit; eæ in illa omninò locum habere videntur omnes. Primò enim rerum humanarum divinarumque notitiam complectitur à sensibus maximè remotam. Deinde tam exploratis principijs progreditur, nullæ ut queant reperiri æque certæ notitiæ; quantumvis evidentes in se sint. Illa tertiò est una quæ primam rerum omnium causam, divinæque numen naturæ tam obscuræ mortalibus, tamque difficiles explicatus habentis conabitur exponere; atque cunctas æternarum & corporis expertium rerum notiones evoluit. Itaque quartò (quod maximè consentaneum Aristoteles ait esse Sapientiæ) tanquam omnium præceptrix sibi summam assumere potest authoritatem docendi, & ad omne officij munus instruendi. Denique quintò; dùm cunctis non tantùm scientiis, sed humanæ vitæ rationibus dominatur quæ per se ipsam expetatur dignissima est. Ex quibus ab Aristotele assignatis conditionibus omninò conficitur veram non alibi certiùs quam in ipsis Theologiæ studiis quæri & investigari posse Sapientiam.

5. Præsertim cum in Christianæ fidei capita, effataque Divina sic inseratur, ut cum illis velut confundi, & in unum videatur concrescere: Sicut per insitiones Arbor una diversæ alterius Arboris, in quam insita est, vim trahit & ex eiusdem succo vernoque humore suas tùm gemmas protrudit, tùm proprios fructus edit longè meliores, atque grandiores. Qua in re contra communem rei rusticæ disciplinam, rationem insitionis invertit Paulus Rom. 11. Atque Augustinus in Psal. 72. ait Apostolum eo loco significare duo miracula: Prius est, quod pravæ & agrestis arboris, nempe Oleastri, ramus inseratur optimæ Olivæ; cùm fieri contrarium soleat: Alterum quod non ex oleastro seu ramo insito pravi, sed ex ipso olivæ trunco optimi proveniant fructus. Consimili, seu Apostolico insitionis Mysticæ genere accidit; ut nostra Scholastica de rebus Divinis disciplina, cùm ea sua quæ tradit dogmata, velut surculos in oracula quæ afflatu Spiritus Sancti fusa sunt inserit, sempiternæ veritatis indolem videatur contrahere, & velut ex ipsius Dei Sapientia suos fructus producere.

6. Nec desunt qui ut eosdem esse dicimus & riui & fontis ex quo deducto facta est, latices; atque eundem in vtriusque gustatu saporem percipimus: Ita ipsius Theologiæ, eandem quam divinæ fidei, ex qua deducta est, putent authoritatem esse; atque illius effata cum Scoto censeant, divinam, quâ fides constat, revelationem sapere, quasi hujus nativa germina. Quin & eo sunt cum Cajetano progressi nonnulli; ut hanc nostram de Deo scientiam sub summum beatorum mentium lumen (quod gloriæ vulgò appellamus) pronuncient esse subjectam; & illius esse quandam velut appendicem porrectionemque. Non secus ac Philosophi disciplinas illas, quas ipsi subalternatas vocant, superioribus quibusdam scientiis, ita volunt esse subditas & obnoxias; ut dùm illustrantur manante ex iis lumine, unam cum ipsis quodammodo scientiam efficiant, & ad eas velut quædam ipsarum continuationes, appendicesve pertineant. Verùm quamvis hæc de Theologia opinio parùm cum Dialecticis de scientiarum subalternatione præceptis conveniat: Nec ea luminis gloria, quæ Beatorum mentem perfundit ad nos vsque vllo radio fluat ac manet; neque Cœlestis illa Divinæ Sapientiæ laus cum nostrate Sapientia quicquam conjunctum habeat aut commune: Tamen hæc ut originem ex obscuræ nostræ fidei trahit effatis; ita etiam nobilitatem indidem trahit illi suæ origini consentaneam; & errare in judicando non patientes, sequitur vias, quando ex propositionibus revelatis suas conclusiones evidente discursu elicit.

7. Sed præcipua nostratis est hujus Theologiæ nobilitas; quòd eâ quâ par est religiosâ veneratione summam & increatam quam adoramus investiget, atque in natura Divina contempletur Sapientiam; quæ (ut Iobus ait cap. 28.) *Abscondita est ab oculis omnium viventium.* Et cujus (inquit Baruch. cap. 3.) locum solus Deus intelligit; *Solus qui scit vniversa novit locum eius. Hic est Deus noster, & adinvenit omnem viam disciplinæ.* Atque hanc tam excellentem Sapientiam in Deo proprium locum habere non soli Prophetæ Sancti, sed & ipsi Philosophi Ethnici cognoverunt. De illa enim Aristoteles sic scribit Ἡ γὰρ τιμιωτάτη Σοφία ἣν μάλιστα θεὸς ἔχει. *Divina scilicet est Sapientia pretiosaque admodum, quam maximè Deus possidet.* Cujus lumen veritatis etiam alij ante Aristotelem Philosophi aspexerant, nominatimque Simonides, teste ipso Aristotele. Omnibus sanè Christianâ doctrinâ excultis in promptu illud est; in Divinitate maximè extare eminereque Sapientiam: Atque Divinas inter personas, primam quidem esse Sapientiam fœcundam consubstantialis parentem luminis: Alteram verò esse Sapientiam genitam, lumenque de lumine: Tertiam Denique à scriptura vocari Spiritum Sapientiæ, intellectualisque luminis: Sicque mirifica in sacrario Trinitatis intimo peragi Sapientiæ generantis, & Sapientiæ generatæ mysteria; tandemque vtriusque radios inexplicabili fœcundæ voluntatis ardore in Sapientiæ Spiritum inflammari.

8. Qui Sapientiæ Spiritus in Ecclesia Catholica Scholas afflatu suo Theologicas excitat; ut rerum Divinarum Mysteria, & omnem Catholicæ fidei disciplinam viâ rationeque explicent. Theologiam, qualem Catholicæ Scholæ exponunt, Diadochus Photices Episcopus tomo 5. Bibl. Patrum in libro de Perfectione Spirituali cap. 67. vocat *Fatum matutinum gratiæ, primumque donum Spiritus Sancti, quod mentem nostram consortem ministrantium Spirituum facit.* Quatenus facit, ut Theologi cum iis spiritibus, sint contra Religionis hostes ad indefessam pugnam collocata præsidia: Dum interim contra hostes congredientibus, prælioque dimicantibus ipsis Theologis, cæteri fideles in otio privatim securi degunt; & latent sub ea velut bellicæ tutelâ sacrâ virtutis. Illo septæ propugnaculo piæ mentes nuptialem Christi sortitæ thalamum blandiori pietati indulgent; & sub umbra illius quem desiderant sedentes langorem amoris fatentur; & fulciri floribus stiparique malis delicatulæ petunt. Ea illa est sexaginta fortium turma, qui lectulum Salomonis ambiunt ex fortissimis Israël. Hæc sunt præcipua Conciliorum ad conatus hæresum refutandos convocatorum robora: Quibus si Ecclesia nudaretur, ipsam hostes omni suæ haberent obuiam & opportunam injuriæ; nihiloque melior illius foret, quàm arcis omni præsidio destitutæ & obsessæ conditio. Hæ sunt selectæ Cerethi & Phelethi legiones; in quibus positum erat præcipuum Davidici momentum exercitus. Hi sunt Divinæ militiæ principes; qui de Cœlo missi virtutem exerant velut Angelicam; dum cunctos sub diversis hæreticorum vexillis hostes dissipant, & districtâ rationis superniquè luminis acie confodiunt. Non enim propriè homines alijs armis, quam eruditione pugnant, luceque doctrinæ; quæ si pietati conjungitur, & in religionis causa versatur, invicta nimirum Angelisque par est.

9. Ex quo fit, ut omnia in unos ferè de Schola Theologos odia hæreticorum ardeant: Quemadmodum nostro ipso tempore auditi sunt novæ quidam sectæ hæretici ad fidem Concilio Tridentino abrogandam dicere contemptim Scholasticorum Theologorum illud fuisse Concilium. Ita nimirum convenit ut hæresis sibi constet; atque ut posteriores exortique nuper hæretici in vestigia majorum suorum incurrant. Suæ profecto Luterum Calvinumque agitabant illicò furiæ, ubi illis Divi Thomæ vel Scoti nomen, quod ferre se negabant posse, insonuisset. Atque usu compertum est, vel unum è Scholasticorum disciplinâ depromptum argumentum extricare omne genus eorum Dæmoniorum, quæ fidei controversias implicant & intricant.

CAPVT VII.

Theologiam, si cum probabilitate morum connectatur veram esse Sapientiam.

1. VERA Christianaque Sapientia duabus omninò partibus continetur; quarum altera intellectum perficit, altera voluntatem. Et quidem primò quod ad intellectum pertinet, naturalem Sapientiam affirmat Aristoteles tum ex primorum notitia principiorum constare, tum etiam ex eorum scientia, quæ ab ipsis principiis colliguntur. Ait scilicet Sapiéntiam esse Νῦν hoc est intelligentiam immediatam principiorum; & simul Ἐπιστήμην, quæ caput habeat quatenus ad prima ascendit resolviturque principia; atque ita rerum sit, earum quæ maximo in honore pretioque, habentur Ἐὶν ἂν ἡ Σοφία Νῦς καὶ Ἐπιστήμη τῶν τιμιωτάτων ὥσπερ κεφαλὴν ἔχουσα. Quod Sapientiæ decus ille adscribit Mataphysicæ; at quantò magis id nos decus supernaturali debemus asserere Theologiæ; quæ cum sit notitia Divinarum planè rerum, tam exploratis fidei licet obscuræ principiis progreditur, nullæ ut queant reperiri æquè certæ notitiæ, quantumnis evidentes in se sint. *Habet enim*, ut scribit Augustinus Epist. 222. *Oculos suos fides quibus certissimè videt verum esse quod non videt.* Atque ita Christiana Theologia caput habet nempè fidem; per quam attingit sublimissimam rerum causam; & Divinæ numen naturæ, licet obscurum, perspicaci contemplatur acie.

2. Idque habet nostra hæc Theologia, quod ad Sapientiæ laudem maximè pertinet; ut alias omnes notitias supergrediens, dignitatem quandam sibi vindicet, velut Architectonicam (sicut idem Aristoteles de ipsa Sapientia scribit.) Quod ut intelligatur, considerandum est; illos solos à nobis propriè appellari Sapientes qui sublimes primorum in unaquaque re principiorum cognitiones habent. Quo modo in splendidarum ædium constructione illos, qui Architecti & totius operis sunt authores, nemo est qui Sapientiores esse non judicet Latomis, & omni eâ operarum conductâ multitudine, quæ solum manuum ministerium locaverit (hæc enim eo fere modo suum obsequium exhibet, qua mallei, asciæ, tollenones, similiaque inanima instrumenta) cum non nisi alieno pulsu moveatur; eiusque rationem quod agit nequeat reddere. Latomum si rogaveris quid ita lapidem poliverit, aut in quadrum redegerit; operarium item aliquem alium, cur arenatum apportet, cur eo ferrumine cæmenta componat? &c. Sibi id ab Architecto, quâ de causâ nesciat, præscriptum fuisse respondebit. At si forte Architectum ipsum consulas; sine mora docebit, facto ita opus fuisse: Altiusque rem totam resumens, causam illius reddet arcanam, & suprema totius artis consilia reteget. Ichnographiam, & in ea fundamentum omne rudimentumque operis exhibebit: Ex Orthographiæ Scenographiæque integræ contemplatione rationem sumet à primis usque Architectonicæ principiis. Vt totum ædificium egregiam possit præstare firmitatem, hic intergerinum dicet parietem, illic columnarum ordinem destinari; huic muro firmando præparari anteridas. In iis quæ operarij cæco moliantur obsequio quædam porticum; quædam fornicem spectare; huic pilæ incumbam destinati ad fornicationis arcusque pondus excipiendum. Cætera denique persequetur omnia; & quò pertineant inferiorum ministrorum conatus indicabit. Ex jam dictis apparet cur sapientiores Architectos quam mercenarias operas æstimemus. Non enim Sapiens quis censetur ex eo quod agat, sed ex eo quod rationem cur agat norit οὐ κατὰ τὸ εἶναι πρακτικὸν ἀλλὰ κατὰ γνωρίζειν αἰτίας, inquit Philosophus.

3. Hactenus eas dotes Sapientiæ Theologicæ, quæ ad intellectum pertinent prosecuti sumus. At nisi morum bonitas, quod voluntatis ornamentum est, accedat; quantâcumque quis eruditione excellat, σοφιστὴς poterit non σοφὸς dici. (Constat autem

quantùm sit Σοφία τῆς Σοφιστείας ἀλλότριον, (ut ait Philo Iudæus libro de Cherubim.) Qui Sophistico modo, hoc est solo ingenij acuminè res divinas tractaret; cùm sacram Doctrinam subtiliter quidem, at ἀνεπιστημόνως doceret, censendus esset τεχνολογεῖν, οὐχὶ θεολογεῖν ut Basilius loquitur Epist. 18. Non ergo sufficit ad Sapientiam ea rerum altissimarum & τιμιωτάτων notitia; quæ defectù probitatis sit insulsa, & saporis expers, nec dici queat Sapientia seù sapida scientia jucundissimam secum trahens gustandi suavitatem. Antiquos sanè Philosophos à vera sapientia longissimè abfuisse docet Apostolus; quamuis illos testetur primam omnium causam sufficienter ex ipsa naturæ facie cognovisse. *Insipiens fuit cor eorum, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Neque putandum est cum Salomonis infatuatum est cor, illum ab omni penitus cognitione quâ mortales omnes superabat fuisse illicò destitutum: Sapientiam nihilominus sine cunctatione amisit; quia scientiam illam quam habuit superstitem, sapidam item gustatuque jucundam non habuit; nec illi, ut ante sanctitatis ac rectæ rationis favus sapuit. Ex dictis eminet nullum verè Sapientem esse, qui non omni virtutum genere floreat, & ipsis congruentes virtutibus actiones non habeat.

4. Quæ cùm ita sint, dubitari non potest, quin Christiana Theologia sola verum inter mortales sapientiæ & decus obtineat, & nomen mereatur. Habet enim pro suis principiis revelatas divinitùs propositiones; quæ licet non sint per se notæ, ac intrinsecè evidentes: Habent tamen certitudinem ex authoritate Dei revelantis majorem, quàm sit ulla certitudo ex evidentiâ quantâcumque naturali. Adde quòd hujusmodi revelatæ propositiones habent cum intrinseca revelationis obscuritate extrinsecam ob argumenta credibilitatis evidentiam; quantam non habet meridiana lux Solis. Habet & alias hæc sacra Doctrina conditiones omnes (ut numero primo jam ostensum est) quas Aristoteles veræ Sapientiæ adscribit. Illud verò nominatim ei competit, ut velut præceptrix summam queat assumere sibi authoritatem docendi, & ad omne officij munus inducendi quoscumque mortales: Quorum vulgus (quid autem ferè aliud est in mundo quam vulgus?) omnem suam decurrit ætatem; simile iis, qui passim sequuntur corvos testâque lutoque, securum quò pes ferat: Neque est (juxta eiusdem Satyrici verba) aliquid quo tendat & in quod dirigat arcum.

5. Sanè illos etiam ipsos advertimus, qui vivendi rationem innoxiam ita sequi videntur; nihil ut in ipsis appareat, quod populi rumor multum accuset, aut leges condemnent Sapientiæ studium procul habere; vitam agentes, quasi in eam fortuitu ac tempestate delatos: Neque venit illis in mentem cogitare de sua rerumque omnium origine; quid simus, aut quidnam victuri gignamur. Administrationes negotiorum, hoc est majorum nugas, perpetuo quodam laborum orbe continuant, nescij quâ tandem vtilitate vel fine. Quod stultitiæ genus (nisi per Theologicæ Sapientiæ monita remedium adhibeatur) ad mortales pertinet vniversos; ipsos etiam sæpissimè, qui rationes Regnorum procurant, juraque populis dicunt. O quam isti saperent si Divina jura nossent: Quæ jura illas eorum vanitates damnant, insaniasque falsas & fascinationes nugacitatum; quibus implicati desipiunt aliqui tunc maximè; quando suas de pace, de bello sententias, atque de sciscendis legibus responsa trutinant; & suam illam, quæ absque ullo Cœli aspectu de terra est, Sapientiam elato supercilio librant. Salutaria Principibus documenta suggerit ore Thomæ Aquinatis Theologia in illo quem ipse scripsit ea de re libro: Suggerit & ore Ambrosij sic loquentis in Apologia David: *Rex quod per justitiam non licet, nec per potestatem licere cognoscat. Non enim solvere debet potestas justitiam, sed justitia potestatem. Nec legibus Rex solutus est, sed si peccat leges suo solvit exemplo.* Verùm præstat audire ipsius monita Spiritus Sancti. *Ad vos* (inquit Sapien. cap. 6.) *Reges sunt hi sermones mei? Vt discatis sapientiam, & non excidatis.* Et paulò ante dixerat: *Audite Reges: Altissimus interrogabit opera vestra. Horrende & cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his qui præsunt fiet.*

6. Illius supremæ, quam Theologi explicant, & quâ Deus in mundi gubernatione vtitur, Politices laus hæc summa est. Quòd sic à primo mundi ortu non minus sapiens ac utilis fuerit ipsius Dei per Præfectos amentes terrarum gubernatio, quàm per cordatissimos administros. Quidquid in impiorum infideliumque Principum imperio seu per socordiam seu per improbitatem geritur id totum Deus ex inordinato reducit ad ordinem. Sic in Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorumque Monarchiis passus est orbem ferè terrarum omnium, pernicioso impiorum Regum imperio gubernari; Quæ scilicet perversa Regum est; ea Dei est optima gubernatio, regressu ipso progredientis; & quò destinavit, ipsa mora tarditateque properantis, atque averso gressu devioque tandem itinere pervenientis. Ex quo accidit, illum non modo permisisse, ut mundus sæpe diuque à mortalium nequissimis regeretur; sed etiam suo suffragio jussuque fecisse, ut talia naturæ propudia ad regale munus assumerentur. Quomodo Ieroboamum quidem & Iehu in Israëlitarum; Hazael autem in Syrorum regno collocavit.

7. Quandoquidem vix ullus inter homines reperitur, qui non in rebus, quà suscipiendis, quà exequendis consilio labatur, & stultorum, ut scriptura testatur, infinitus est numerus; sola Theologica Sapientia censeri debet ars vera bene vivendi; quæ omnes à recto rationis itinere deerrantes ad vitæ laudabilis callem dirigere possit. Illa enim una nobis indicat quod sit bonum summum; & finis; qui nullam ipse ad rem, ad eum autem omnia referantur, & in quo tandem vltimò mens possit humana consistere: Qui finis alius esse non potest, quam Deus, hujusque possessio. De hoc siquidem fine Theologi tractant in Divi Thomæ prima parte; in qua disputant de essentia existentiaque Dei, & hujus Trinitate; in eademque parte deinceps exponunt, quomodo idem sit & finis ultimus, & primum principium; ex quò Angeli, hominesque per creationem, cum cæteris omnibus rebus profecti sint. Deinde in 2. D. Thomæ parte de Peccatis agitur, per quæ ab illo summo bono vltimoque fine recedimus: Posteà de Gratia disputatur; per quam ad illud summum bonum, nempè ad Deum, reditur; ac postmodum de Virtutibus quà Theologicis quà moralibus. In vltima tandem parte exponuntur causæ extrinsecæ salutem consequendi. Quas inter Christus principaliter, Sacramenta instrumentaliter operantur.

CAPUT VIII.

Quasnam in Christiano Theologo dotes vera Sapientia requirat.

1. QUAMTUMVIS ea vera sint, quæ in Scholasticæ Theologiæ commendationem cap. 6. num. 4. & seq. diximus. Nihilominus certum est, si eam illotis manibus vel professores tradendo vel auditores accipiendo contrectent; & nisi quæ jam exponam pericula evitentur, germanam illam Theologicamque Sapientiam ad quam in hac vita mortales aspirare possunt; non usquequaque consistere in argutiore Scholarum disciplina; licet ex fidei efflorescente principijs. Innumerabilia enim habet, quæ tum ex Philosophia, tum ex alijs scientiis derivata, tum ex humano rationis sensu deprompta variis sæpe explicantur erroribus. Neque rarò accidit, ut cùm rerum, de quibus testimonium Deus dixit, causas & consecutiones naturali sagacitate; (quod proprium Theologorum est) inquirimus, in ipso disputandi ratiocinandique itinere decoremus, & vias sequamur longius à veritate devias. Vt enim fuit aliquando, cur Romani ab auxiliaribus militibus suos in acie legionarios perturbari quererentur, atque confundi; sibique illos impedimento esse, qui subsidio venerant. Sic nos sæpe Catholicam experimur Theologiam ab iis copiis laborare, quas in auxilium assumit extrinsecùs; & pellucidos eius ac bellisfluentes ex Divino fonte latices illâ, quâ in unum cum ipsis confluente augentur, propanâ & velut palustri aquâ inquinari. Ex quo fit, ut quanto aliquis in excogitandis concludendisque rationibus subtilior, & ingenio est acutior Theologus; quoque plura foris doctrinarum sibi comparat instrumenta; eò sibi gravius præsentiusque periculum conflet, æternas ac divinitùs confirmatas veritates per humana explicandi mendacia. Ex quo periculo conficitur (nisi illud Doctores Catholici vitare conentur) quam in Scholis profitemur Theologiam, si per seipsam spectetur, longè à veræ Sapientiæ perfectione remotam esse.

2. Cum enim quælibet cognitio quò fuerit minùs certa, eò minus perfectionis habere censeatur: Quàm imperfectas æstimari nostras omnes humanas cognitiones æquum sit, vel inde constat, quòd in earum quantavis probabilitate nemo nisi vel insanus, vel quid ab alijs dicatur ignorans, formidine vacet. Sanè inter Theologorum duas, verbi gratia, sectas, quò pluris vnam, eò minoris in multis quæstionibus alteram feceris; & cùm alterorum sæpè laus in alterorum reprehensione posita sit: Si vtrosque ob doctrinæ veritatem laudare volueris; vtrosque necessarium est ut falli & errare fatearis; cum illi se invicem sic impugnent in controversiis plurimis; ut neutra Schola verum possit, nisi alterâ errante, docere. Atque ita vtrique adversaretur, qui faveret ac studeret vtrique: Vtramque faceret deceptionis in quibusdam rebus officinam, qui vtramque templum faceret Sapientiæ: Hoc est qui talem hanc & illam haberet, qualem & seipsam vnaquæque, & alteram alterâ habendam esse contendit.

3. Nec vero ingeniosas tantum experimur Scholarum rixas Catholicos inter piosque Doctores exoriri; verùm etiam hujusmodi videmus aliquando disputationes ἐριστικάς ad perniciosos spectare contra orthodoxa placita errores. Vt enim in sola virtute bellicâ non est sita Ducis alicujus de republicâ bene merendi sapientia; non paucos si quidem legimus, qui armis patriam viriliter ab hostibus defenderant, suorum pŏstea civium libertatem (quod Athenis fecit Pisistratus) oppressisse; vel etiam bellum patriæ suæ intulisse; ut de Caruncano perhibetur, aut, sicut de Themistocle, ad hostium ipsorum partes transivisse. Ita experientia nonnunquam docuit veram Sapientiam non semper in ea consistere argutiore pugnacioreque Theologiæ disciplina; fierique posse ut qui in illa bene instructi fuerint, nihilo inde cordatiores saniore sque sint, imo in ipsam, orthodoxam religionem sacræ eruditionis instrumenta convertant. Quod in Luthero aliisque contigit qui ex Theologorum exedris prodeuntes, sacrâ notitia ad fidem adulterandam abusi sunt. Quod quidem; & si non Theologiæ vitium, sed illorum pravitas fuit; certissimo tamen indicio est Theologiam, nisi cum sanctitate jungatur, in eo collocandam esse genere Sapientiæ; quæ ut bono sui usu ædificare; sic etiam malo inflare possit; illiusque dulcedinem quasi mellis esse; in quo sumendo temperantia in primis laudatur.

4. Quò pertinet prudens illa viri admodum pij sivè Thomæ à Kempis sivè Gersonis admonitio de moderandâ etiam in Theologicis rebus, sciendi cupiditate. *Quia plures* (inquit ille lib. 1. de Imit. Chr. cap. 3.) *magis student scire quam benè vivere, ideo errant. O! si tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia, virtutes inserendas, sicuti ad movendas quæstiones! non fierent tanta mala, & scandala in populo, nec tanta dissolutio in cœnobiis.* Ad candem nos in literarum studijs moderationem non uno loco instruit divus Bonaventura aliique Divinâ Sapientiâ conspicui. Cum enim contentionem quis animi magnam adhibet, fieri non potest, quin studio illo sciendi succus animæ, quo voluntas impinguari solet, absumatur; & (ad eum fere modum, quo in lucernâ inflammata oleum) totus velut exhaletur.

5. Cogitet verus germanusque Theologus quàm turpe sit aliquem, dum in subselliis de Divina substantia disputat, non Dei, sed suæ gloriæ servire, & vana ostentatione efferri, ac dum popularem auram captans, illustribus Trinitatem probat argumentis, nequaquam se Trinitati probare: De splendore Gratiæ, eâ spoliatum disserere; atque modestiæ humilitatisque naturam cum animi sublatione tumoreque commendare. *Errat* (ait Augustinus de agone Christi cap. 13.) *quisquis veritates Divinas se putat cognoscere atque propugnare cum adhuc nequiter vivat, nec vitiorum sordes eluerit: Non enim* (ut similiter dixit Nazianzenus orati 33.) *omnium est, de Deo, rebusque Divinis disputare: Sed eorum dumtaxat qui tam corpus quàm animum repurgarunt: Impuro enim rem puram attingere ne tutum est quidem. Quemadmodum nec ægris oculis Solis radios intueri.* Egregiè in hanc sententiam Rupertus prologo in Evangelium Ioannis: *Omnes, inquit, carnalium sordes affectuum ab oculis cordis abstergendæ sunt eis, qui in Schola Christi venerabilibus student literis; ut hanc Aquilam* (Ioannem) *sequi valeant, quam cordis munditia, juvit, ut claritatem Solis æterni, plus cæteris Divinæ visionis animalibus, irreverberata posset mentis acie intueri.*

6. Denique statuat apud se germanus eoque no-

mine dignus Theologus, debere hujus Divinæ Sapientiæ professorem esse non modo vitijs exutum; sed fide charitateque præstantem, atque adeo cæterarum omnium virtutum choro stipatum. Si enim Quintilianus ullum quantumuis eloquentem neget verum Oratorem esse posse, qui vir bonus & probus non sit: Negare nos potiori jure possumus eum esse verum Theologum qui subtilitate ingenij doctrinaque excellens, non item sit Sanctus moribusque perfectus. Quod si hæc divina scientia professorem nanciscatur non tantum ingenio præstantem & litteris instructum multis atque reconditis, sed etiam omni virtutum laude cumulatum; dubitari non potest, quin ea vera sit summaque Sapientia. Quæ tanquam omnium præceptrix, & ipsorum etiam magistra Principum, supremam sibi assumere possit authoritatem omne officij munus præscribendi, humanumque genus infatuatum, & mentis insanitate corruptum salutarium perspergendi documentorum sale. Atque hæc in præsenti libro, quem ad sacræ commendationem Theologiæ præmisimus, hactenus disserta sint: Vt id, quod unum intendebamus constet; Scholasticam nempè Theologiam inter Catholicos veram & germanam esse Sapientiam. Quo vel solo elogio laudes continentur omnes; quas alij, dùm hanc scientiam aggrediuntur in suis fusè Proœmiis accumulant.

7. Ad extremum non omittam & illud addere, quòd hujus disciplinæ professores ad eam pro dignitate tractandam prætio futuræ etiam mercedis excitare debet: Nempè tanto apud Deum in prætio haberi operam in orthodoxæ fidei capitibus exponendis propugnandisque collocatam, ut eximijs etiam Christianæ Sanctitatis officijs præponatur. Vt enim dicit Eusebius secundò libro de fide contra Sabellium: *Non fuit præceptum Apostolis ut pascerent pauperes, ut jejunarent, &c. Sed ut docerent omnes gentes, & Evangelica Doctrina capita prædicarent omni creaturæ. Qui religionem secundùm veritatem docet illiusque profligat hostes, sibi vitam æternam, & iis omnibus quos docet acquirit.* Deniquè maximè ad sacræ Theologiæ Professores pertinet Sapientiæ ipsius apud Ecclesiasticum ita loquentis cap. 24. *Qui elucidat me vitam æternam habebit.* Et hoc Angeli ad Danielem cap. 17. *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi Stellæ in perpetuas æternitates.* Vnde habetur quantam mercedem accurati in Theologia Lectores expectare debeant in Cœlo præcipuâ Doctorum Aureolâ coronandi.

LIBER SECUNDUS.

De Existentia Dei.

CVM nullum justius bellum judicetur; quam illud quod (ut est in proverbio) suscipitur pro aris & focis; quid de illâ censendum erit pugnâ; quæ non pro aris committitur, sed pro Deo, cujus solius intuitu aræ venerationem habent, sacræque censentur? Sanè quàm impium æstimatur instituere, Gigantum more, cum Deo certamen; quale nullum extra fabulas invenitur: Tam ea necessaria est, quam hoc libro adversus Atheos inimus, certatio; velut ei auxilium (si fas dicere) laturi Deo; à cujus omnipotentiâ præsidium atque suppetias universi expetunt, & implorant. Eiusdem, scilicet, cui subvenimus; freti subsidio debellandos suscipimus eos; qui Cœlo minantes, bellum summo Numini execrandâ Atheïsmi perfidiâ denunciant. Sic igitur postquam capite primò veritatem existentiæ Divinæ per semet notam nobis non esse ostenderimus; ad creaturarum de illa testimonium cap. 2. recurremus; easque contra Atheos concitabimus; ut universa natura Deum religiosis undique vocibus suum esse authorem parentemque prædicet; vtque omnes mundi partes conditois sui laudibus personent, horum iteratione verborum; ipse fecit nos & non ipsæ nos. *Et sic omnis natura id agere incipiat, quod in Sapientiæ libro facturæ esse prædicitur, cùm* pugnabit orbis pro Deo contra insensatos. *Deinde evidenter capite tertiò Atheos Philosophicis & Theologicis argumentis convincemus. Quemadmodum & cap. 4. demonstratione sumptâ ex primis morum principiis. Nec non cap. 5. ex ipsiusmet*

ipsiusmet Dei de sua existentia testimonio. Quem vnicum & sinè collegâ esse cap. 6. probabimus. Postmodùm qui vnitatem & singularitatem ipsius impugnant. cap. 7. confutabuntur, & stolidæ impietatis coarguentur. Caput tandem vltimum profligatis Dei hostibus, illi suæ veritatem existentiæ & sui numinis vnitatem singularitatemque gratulabitur.

CAPVT I.

Vtrùm Existentia Dei sit nobis per se nota.

1. ILLIS qui de Deo disputant duo sunt investigatu cùm difficilia cùm necessaria, (inquit Philo Iudæus lib. 1. de Monarchiâ.) Priùs est εἰ ἔστι τὸ θεῖον. ἕνεκα τῶν ἐπιτηδευσάντων τὴν Ἀθεότητα. Hoc est, *An Deus sit: Propter Atheos:* Posterius, τί ἐστι κατὰ τὴν οὐσίαν, *quid sit in essentia sua*: Propter eos scilicet qui eum esse credunt. Quod ad prius attinet; nos quidem in tractatu de Trinitate lib. 1. integro existentiam summi entis contra Atheos demonstratione multiplici probavimus; eumdemque locum præsenti libro rursus tractandum suscipimus, allaturi quod novum ad ejusdem probationem veritatis occurrerit. Quod pertinet ad posterius de ipsius essentia Dei sequentibus disputabimus in hoc tractatu libris.

2. Hic vero ante omnia disputationis aliquid habet, nùm propositio, quâ Deus esse affirmatur sit nobis per se nota; hoc est, vtrum sit talis, ut sola terminorum explicatione indigeat, probationis autem additione nullâ: Eo modo quo hæ propositiones per se notæ apparent; *Duo & tria sunt quinque*; *Totum est majus suâ parte*, & similia. Affirmant Albertus, Abulensis, Argentinas, &c. probantque, 1. Quia existentia, quæ est prædicatum hujus propositionis (*Deus existit*) pertinet ad quidditatem subjecti: Ergo ille, cui fuerit explicatum clarè subjectum eius propositionis, & qui perceperit quid sit Deus; attendet statim in Dei quidditate existentiam includi: Et sic prædicta propositio ei per se nota erit. Probant 2. Quoniam ea propositio (*Deus est*) seu (*Deus existit*) à nullo negari potest. Tertiò demùm; quia sunt Patres, qui asserant Dei notionem omnibus hominibus à naturâ informatam esse; quam notionem Græci, πρόληψιν, dicunt. Quod enim Deus existat, primum est luminis naturalis absolutè principium: Asserit autem Aristoteles. 1. Top. cap. 1. vnumquodque principium esse fide dignum. Quare idem Philosophus addit quæstiones aliquas sensatione opus habere; ut si quærat aliquis, an calidus sit ignis: Aliquas admonitione, & increpatione; ut si quæratur an sint honorandi parentes: Hanc vero quæstionem punitione dignam esse; si quis in dubium vocaret, nùm sit providentia. Rationes hujus prioris opinionis non concludunt.

3. Ad primam enim respondebunt Athei pro suæ impietatis defensione, existentiam quidem pertinere ad illius quidditatem entis, quod homines Deum vocant, & cujus conceptum sibi proponunt. Sed ante omnia stabiliendum esset, illud ens primum, eiusque conceptum esse quid reale; non autem figmentum. Quemadmodum si quis assereret notam esse per se hanc propositionem, *chimæra est partim leo partim draco*; propterea quòd in quidditate chimæræ includitur pro prima eius parte, leo, & pro postrema draco, &c. Responderetur chimæram, & eius quidditatem seu essentiam non realem, sed fictam esse. Ad secundam rationem facile est negare quod asserit. Docet enim experientia repertos esse nimis multòs eò dementiæ prolapsos, ut existentiam negarent Dei; neque admitterent eam, quam Patres asserunt, ingenitam à natura notionem Dei; atquè ita non cognoscerent vllum primum principium rerum omnium. Vnde habetur ad tertiam rationem responsio. Nec allata Philosophi authoritas huc faciet, Atheorum perversitate suppositâ; quæ in Deo rationem esse primi principij non admittit.

4. Ex adverso igitur Scotus, Henricus, & alij quam plurimi censent propositionem, *Deus est*, non esse notam per se; licet evidentissimè, certissimèque demonstretur. Et eodem vergit eaditque sententia Divi Thomæ; quam non benè passim aliqui tertiam, ac velut mediam afferunt. Quatenùs asserit prædictam propositionem esse quidem *per se notam secundùm se*; quoniam eius prædicatum sivè existentia est de quidditate subjecti: At non esse *per se notam secundùm nos*. Sane existentiam esse de quidditate Dei nec Scotus, nec vllus negat: Quare illi, qui negant cum Scoto notum esse per se, quod Deus sit; id intelligunt de notitia per se quæ sit secundum nos sivè nostra, atque ita non differt ab ijs Divus Thomas. Quamquam, si rem ipsam objectivè sumamus, dubium non est, quin dum subjectum & prædicatum sine medio & per se reipsa junguntur; objectum dici possit esse non quidem *per se notum*, sed *per se cognoscibile*: Nihil enim propriè notum est actu nisi secundum nos; licet res talis sit secundum se, ut absque medio cognosci posset ab intellectu perfectiori. Hanc porro Scoti sententiam; quòd nobis non sit per se immediatèque notum Divinitatem existere; probat ipsa primò experientia. Nam fuisse olim non paucos legimus; qui licet perciperent optimè terminos hujus propositionis (*Deus est*) omnem tamen præ insana impietate de Divino Numine opinionem ex hominum animis exurere studuerint. Quales extiterunt Diagoras & Theodorus, cognomento vterque Atheus, Prodicus Ceus, Protagoras Abderites, aliique nimis multi, & vtinam temporibus nostris nulli.

5. Adducitur & hæc altera in istius sententiæ probationem ratio: Quia, ut propositio quæ existentiam Dei affirmat, esset *nota per se* deberemus habere proprium, & quidditativum conceptum Dei; atqui non habemus; ergo, &c. Hujus syllogismi majorem improbat Vasques: Quia licèt, inquit, non habeamus quidditativum conceptum Dei; tamen id non impedit, quominus hæc propositio queat esse nota per se (*Deus est, aut non est*:) Ergo & hæc propositio (*Deus est*) potest esse nota per se, quamuis proprium non habeamus conceptum Dei. Verumtamen quod objicit Vasques non infirmat vim syllogysmi facti; nec impedit veritatem prædictæ majoris.

Respondérique potest in hac propositione (*Deus est*) in qua determinatè & non disjunctivè asseritur existentia, debere necessariò haberi notitiam quidditativam subjecti; alioquin existentia de illo assereretur, quod nescitur, possibilene sit ens, an impossibile? At diversa est ratio in hac altera propositione (*Deus est, aut non est*) cum enim in ea asseratur disjunctivè existentia aut non existentia, necessarium non est cognosci subjectum, & aliquod ens determinatè possibile. Nam sivè possibile sit, sivè impossibile, conveniet ei alterutrum, aut esse, aut non esse. Cujus ratio est, contradictoriorum immediata oppositio. Quomodo & chimæram necessarium est aut esse aut non esse; quamvis illius quidditativus conceptus, vel nullus haberi supponatur; vel qualis ficititius haberi potest, ignoretur.

6. Tertia hujus sententiæ ratio formari sic potest. Vt esset nota per se Dei existentia, deberet esse per se nota existentia causæ primæ, & entis summè necessarij, à nulloque dependentis; quale Deus est: Atqui certum est non deesse qui causarum quæ dependeant vnæ ab alijs infinitam seriem defendentes, negent earum collectionem; & consequenter inter illas primam causam nullam agnoscant, neque ens vllum necessarium, ac independens.

7. Quartò scripturæ authoritas est, *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt cognosci*: Ergo Deus non per seipsum nec immediatè cognoscitur. Valet consequentia: Dum enim scriptura illos qui in Dei ignoratione versantur reprehendit, non supponit ipsos aliter Deum quàm per creaturas potuisse cognoscere: Neque aliud eis objicit, quàm quòd *à magnitudine speciei & creaturæ, cognoscibiliter creatorem, ut poterant, non viderint*; Sapientiæ c. 13. & Paulus Rom. 1. cùm Philosophos reprehendit, quòd Deum non glorificaverint postquam illum cognoverunt, non illum ab iis aliter fuisse cognitum significat; quàm quòd Deus ipse per creaturas manifestavit se illis: *Invisibilia enim ipsius*, inquit, *à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*; *itavt sint inexcusabiles*. Ex quibus locis habetur, opus discursu esse per creaturas, ut Deus ab hominibus intelligatur.

8. Quintò denique ex objectionibus, quas Athei faciunt contra illas rationes, quas infra proferemus ad probandam existentiam Dei; atque ex difficultatibus, quæ circa illas occurrunt intelligitur, quàm non sit nobis per se, & immediatè nota veritas existentiæ Dei; quamtumvis alioqui certa, & evidentissimè probata rationibus. Quales autem eæ sint rationes, & quæ media, quibus veritatem illam demonstramus, res ipsa poscit ut deinceps exponamus: Atque sequenti jam capite ab illis incipiemus argumentis, quæ sunt magis ad populi captum.

CAPVT II.

Demonstratur existentia Dei per mundi & creaturarum aspectum.

1. CVM ex dictis constet existentiam Dei non à nobis cognosci per se, ac immediatè; necessarium est, ut aliquod ad eius probationem adhibeatur medium. Non potest quidem vllum dari à priori, cùm divinitas nullam existentiæ suæ causam præexistentem habeat; licèt non repugnet quædam eius attributa metaphysicè & virtualiter originari ab alijs attributis prioritatem rationis habentibus; quomodo volitivum oritur ab intellectivo. Varia tamen dari possunt media probandi existentiam Dei, vel à posteriori & ab effectibus creatis; vel ab incommodis & absurdis, quæ ab Atheismo sequuntur. Addi possunt & aliqui naturales discursus, ex Metaphysica præsertim desumpti. Argumenta quæ à posteriori colliguntur physica fere sunt, & à creaturarum desumpta conspectu. Quamvis autem nos omnia hujusmodi ad creaturas pertinentia fusè 1. de Trinitate lib. prosecuti simus eo dictionis charactere, qui forte ῥητορικώτερος, quàm pro Theologo videri posset; tunc mihi tamen is visus est suo accommodatus argumento; utpotè non tam in disputandi subtilitate, quam in rerum pulcherrimarum, ex quibus mundus constat, descriptione collocatus. Nunc ea ipsa de re ad creaturas spectante σχολαστικωτέρως, si quid insuper occurret, addemus.

2. Sed priùs rejicienda occurrit sententia Petri de Alliaco q. 3. a. 2. & quorumdam aliorum Theologorum; qui, ut indicat Divus Thomas, 1. contra gentes c. 13. negarunt demonstrari posse existentiam Dei; solâque revelatione eam constare voluerunt: Quamquam non inficiati sint tantam esse naturaliter hujus veritatis probabilitatem, & tam evidentem credibilitatem; ut homines per solum naturale lumen obligentur ad Dei confessionem & cultum: Erronea est illorum sententia; & indubitata esse debet contraria doctrina omnium Theologorum: Quàm valde verisimile est tradi in Scriptura; quæ dum loquitur de Dei existentia utitur verbis quæ significant, eam per creaturas manifestari, conspici, videri, enarrari. Sed quidquid sit de sensu locorum Scripturæ, per se apparet eas esse perfectissimas demonstrationes, quibus existentiam Dei probamus.

3. Et primò quidem habet Deus pro sui testimonio *totum hoc quo sumus, & in quo sumus*; ut dicit Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 10. Nulla enim est in mundo Creatura; quæ non innatâ religione, naturalique Theologiâ contra Atheos ita contendat; ut tota in argumentum formata seipsam in illos, tanquam evidens medium, certumque telum vibret. Quid enim aliud Elementa clamant, dum invicem confligentia, se per discordiam ipsam implacabilem concorditer fovent, perque mutua detrimenta conservant; nisi summum aliquem esse moderatorem ac Dominum, cui velut hero famuli ad nutum obtemperent; ne, dum sæviunt, inimicitias ad internecionem usque promoveant: Στοιχεῖα (ut inquit Athanasius contra Gentes) ὥσπερ δοῦλα δεσπότου ὑπακούοντα εἴκει καὶ πείθεται. Hoc est, *Elementa, ut serva, sui Domini dicto audientia obsequuntur*. Admirabilis sanè creaturarum singularum perfectio, & vniversarum, inter ipsas ordo suum indicans conditorem, nobis præit quànam religiosâ mente subsequamur. Nimisque stolidus ille est (inquit Nazianzenus orat. 34.) qui talia Deum demonstrantis naturæ vestigia non sequatur: Λίαν ἀγνώμων ὁ μὴ ταῖς φυσικαῖς ἑπόμενος ἀποδείξεσιν. Omnia in mundo dicunt Deus est: Solus dicit insipiens in corde suo *non est Deus. Publicam mundi linguam* (ait Chrysostomus) *solus insipiens vult evertere.*

4. Erectos ideo, celsosque natura statuit homines, ut attendant imprimis, quàm pulchrum sibi, quàm

inſatiabile cœleſtium orbium ſpecies præbeat ſpectaculum; in cujus contemplatione non defuerunt, qui ſummum ſuum bonum reponerent; ſi tot, tamque variorum aſtrorum, quæ Cœlis infixa ſunt, decus, vim, & æquabiles motus intueri cominùs poſſent. Cujus ſpectaculi cauſa natum ſe in terrarum ſolo Anaxagoras dicebat; nec recuſabat Eudoxus è vita diſcedere, poſtquàm ad Solem propius ſpectandum accedere ſibi licuiſſet. Certe nihil ſaltem magis in promptu eſt mortalibus terram incolentibus, quàm ut naturæ Sydereæ pulchritudinem ſuſpicientes ex æternorum illorum luminum intuitu in ipſius divinitatis lucem cogitatione toti excedant. *Quid poteſt eſſe tam apertum tamque perſpicuum quando Cœlum ſuſpicimus, quàm eſſe aliquod numen*, inquit Cicero 2. de naturâ Deorum. Porro non ſolum eſt mirabilis, in altis Dominus, neque tantùm prædicatur eius gloria in exelſis, & magnificentia ſuper Cœlos: Sed ut in parvis eſt maximus, ſic in imis excelſus, & in profundis apparet altiſſimus. Neque humiliùs Elementa infima, quàm Cœli enarrant ſui gloriam conditoris: Ita ut gemino choro Cœleſtibus terreſtria, & ſummis ima reſponſent. Audiendus in eam rem Auguſtinus ſermone de verbis Domini: *Interroga mundum, ornatum Cœli, fulgorem diſpoſitionemque Syderum, Solem diei ſufficientem, Lunam noctis ſolatium: Interroga terram fructificantem, herbis ut animalibus plenam, & hominibus exornatam: Interroga omnia, & vide, ſi non ſenſu ſuo tanquam tibi reſpondeant Deus fecit nos.*

5. Vniverſus hic mundus, ut in Dei laudibus modulandis canorus, & auditu jucundiſſimus eſt; ſic & viſu ipſoque aſpectu quaſi legendum proponit, quod ab omnibus debetur adverſus Deum pietatis munus; atque in eo religionis officio præſcribendo eſt velut quidam immenſus ritualis codex. *In hunc librum* (inquit Chryſoſtomus homil. 9. ad populum Antioch. *Idiota & ſapiens intueri poſſunt; atque non Cœli tantum percipere convenientiam, ſed & diei & noctis ordinem cum omni diligentia ſervatum. Quo ſcilicet modo dies & nox totum per annum diſtribuuntur; & tanquam in libra & bilance, totius ſpatij longitudinem diviſerunt. Cùm cogitaveris quomodo velut ſorores quadam cum æqualitate annum totum diſtribuunt; eum qui ordinavit admiraberis.*

6. In hoc libro ſeu codice (ut ingenioſè Piſidas ait) tot characteres ſeu literæ apparent quot creaturæ; quas vir ſapiens debeat unas cum alijs ſyllabatim connectere; ut in mundi naturaque ſchola diſcipulus aſſiduus ex iis verba orationemque compingat, quam velut pro ſcripturâ ſacrâ habeat interpretarique conetur. Idque eſt, quod ſignificant hi verſus ipſius Piſidæ.

προσκαρτερήσας τῇ σχολῇ τῶν κτισμάτων
καὶ συλλαβὰς μὲν εὑρέτως τῆς κτίσεως,
καὶ εἰς ἑαυτὰς συντεθείσας, ἐχμάθη.
καὶ ῥητορεύων ἐκφράσῃ τὰ κτίσματα.

Sic ille magnus Antonius, licèt in ſtudiis earum literarum, quæ plurimi ab hominibus fiunt, minimè verſatus; in vniverſæ tamen naturæ publicâ, ut ita loquar, Bibliothecâ operam aſſiduam ponens, & in hanc mundani velut Evangelij commentationem incumbens, interiorem atque reconditam Chriſtianæ Philoſophiæ ſcientiam adeptus eſt, & inter ſui temporis viros eruditiſſimos atquè ſapientiſſimos celebratus: utpotè in hac mundi vniverſitate, (quam Baſilius nominat παιδευτήριον τῆς θεογνωσίας, hoc eſt, Gymnaſium ſeu Scholam in qua Dei declaratur & evidenter percipitur exiſtentia) diligentiſſimus creaturarum auditor vocem proferentium, quæ non per aures, ſed per oculos in mentem incidat noſtram.

7. Id ab aliquibus vanâ oſtentatione factitatum legimus; ut ædibus operibuſque à ſe exædificatis ſua paſſim nomina; & elogia in æs & in lapides inciſa apponerent ad memoriam æternitatis: Quemadmodum nimio plus Imperator olim Trajanus uſurpavit. De quo dictum eſſe à Conſtantino haud ſinè ſale perhibetur, ejus nomen, (ideircò quod in omnibus ædificiorum ſupercilijs proſtaret, ac per muros velut ſerperet) parietariæ inſtar videri. Verùm non inani oſtentatione, ſed optimo ac neceſſario jure factum eſt, ut omnes vbique mundi partes, reſque etiam ſingulæ nomen ſapientiſſimi ſui Architecti velut cælatum altiſſimèque inſculptum exhiberent. Nihil enim æquè in iis rebus, quibus hæc vniverſitas continetur, eminet, ac divinæ imago expreſſa ſapientiæ atque potentiæ.

8. Egregiè Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 3. ait hunc orbem cui pulcritudo nomen mundi & Κόσμε indidit, conſtare ſubſtantijs tam perfectis, & præ ſe inſignia divinitatis præferentibus; *vt Philoſophi, de quorum ingenijs omnis hareſis animatur, illas Deos eſſe pronunciaverint: Vt Thales aquam, ut Heraclitus ignem, ut Anaximenes Aërem, ut Anaximander vniverſâ Cœleſtiâ, ut Strabo Cœlum & terram, ut Zeno aerem & atherem, ut Plato ſydera.* Eodem referri poteſt, quod Clemens Alexand. narrat, ſydera fuiſſe primos ob ſui pulcritudinem perfectionemque conſecratos Deos; Atque propterea Græcum illis nomen Θεῶν fuiſſe inditum παρὰ τὸ θέειν, ob admirabilem in currendo mundumque peragrando concitationem. Ea ſanè concitatio vim Dei Creatoris oſtendens, tanta eſt; ut ipſam etiam mentis humanæ celeritatem infinitis partibus ſuperet: Quemadmodùm illicò deprehendet quiſquis velocitatem ſuæ cogitationis experiri volet, & cum ipſorum ſyderum pernicitate contendere. Cum enim ſingulis horis Sol amplius quingenta leucarum millia percurrat; ſtellæ vero ſub Æquatore fixæ trigecuplo velociores ſint; conficiant ſcilicet qualibet hora quindecim leucarum milliones; nullus erit homo, qui ſi cogitatione ſua leucas, nullâ omiſſâ leucâ, velit percurrere ſingulas, non inveniat elapſâ horâ, cum jam ſydera prædictum leucarum numerum prætervolatint, vix potuiſſe ſe pauca leucarum millia ſigillatim cogitando numerare, ac mente percurrere. Quæ ſydereorum motuum pernicitas oſtendit immenſum, quod percurritur, firmamenti ſpatium; atque adeò infinitam creatoris vim poteſtatemque deprædicat. Quid autem? Si de ſpatiis diſputemus, quæ Deus ſupra firmamentum creavit vſque ad Empyreum altero tanto majora, quàm quæ à terris ad ipſum firmamentum excurrunt?

9. Ex earum perfectione mirabili creaturarum, ex quibus mundus conſtat, tam evidens redditur exiſtentia Dei; ut hanc nullus, niſi rationis penitus expers, ignorare poſſit. Quare Auguſtinus ad illa Chriſti apud Ioannem verba, *Manifeſtavi nomen tuum hominibus*, ſic ſcribit: Quaſi diceret Chriſtus; *non illud nomen tuum, quo vocaris Deus; ſed illud, quo vocaris pater meus, Nam quo Deus dicitur, vniverſa Creatura, & omnibus gentibus, antequam in Chriſtum crederent, non omni modo potuit hoc nomen eſſe ignoratum.* Hactenus ille. Vnde mirabile eſt oriri

potuisse perversum illud dialecticæ genus, quod aliquos impulit, ut mundi perfectionem omniumque rerum aspectabilium pulchritudinem ponant pro ratione certâ, quò nullus earum effector ac molitor necessarius extiterit; sed ipsæmet res per se solas, suæque necessitate præstantiæ in existendi lucem eruperint. Perinde ac si quis animum à tabellâ optimè pictâ nollet ad Protogenem vel Appellem traducere; sed omnem artificij gloriam ipsi tabellæ, propterea quod elegantissimè picta esset mirificèque elaborata, tribueret: Illam eo magis ad artificem non intelligens pertinere, quò plus haberet excellentiæ; eòque longiùs à seipsâ, cùm nondum authoris beneficium senserat, abfuisse; quò postea lucubratior apparet. Contra hoc insipiens dialecticæ genus insistit Chrysostomus in psalmum 13. *Non est ædificator? Et quomodo domus facta? Non est Architectus? Et urbem condidit. Non est musicus? Et quomodo in mundi lyra apparet concentus? Non est Auriga? Et quomodo quatuor elementorum currus agitur? Non artifex? Et quis, velut discum aureum in mensa, solem in Cœlo posuit?*

10. Non hic omittendum; cùm de illustri creaturarum perfectione agitur; quod Divus Chrysostomus orat. 12. ait, homines intra hunc mundum in medio Divinitatis undique se prodentis versari; itaut eius ignari esse non possint, varijs circumlustrati & circumfusi quà Cœlestis quà citerioris naturæ luminibus. *ἐν ἔξω τῦ θείυ διακοσμένοι κ̀ περιλαμπόμενοι πάντοθεν μεγάλοις φάσμασιν.* Apud Tertullianum superiùs citatum invenies productum hoc argumentum de admirabilitate earum rerum, quæ minimæ etiam contemptibilesque censentur. Qualia sunt apum ædificia, formicarum stabula, aranearum retia, bombycum stamina. Ex quibus ipsis rebus nos argumenta sumpsimus evidentia in primo libro de Trinitate.

11. Quem librum qui consulere voluerit inveniet copiosè expositum; quomodo Cœli, tùm suæ magnitudine molis, tùm mirabili ornatu syderum, speciosoque formæ aspectu enarrent gloriam Dei; & Religioso celebrent superioris Theologiæ concentu; dum interim terræ globus infimus virenti pulchritudine, diversorumque ubertate fructuum, & mirabili animalium varietate melodiam Cœlo consonam in sui laudem fundit Creatoris. In quibus animalibus minutissimæ quædam bestiolæ tam exiguæ, & (ut ita loquar) tam ferè nullæ sunt; ut vix ac ne vix quidem appareant in suam evanescentes parvitatem; & licèt punctum exiguitate æquent; nec illarum partes (pro eo quantulæ sunt) mentis dividere possit nostræ subtilitas; non minus tamen acutè divinas laudes suorum usu organorum & mollibus articulorum commissuris, ac suarum actionum mirabilitate concinunt; quàm prægrandes ac portentosæ belluæ: Adeò ut in illis majus sit esse tam parvas, quàm in his esse tam magnas.

12. Lucet & in omnium operationibus animalium, & earum etiam rerum quæ cogitatione carent, alicujus causæ intelligentis, & ad finem certum ea quæ fiunt ordinantis, atque promoventis directio. Illa autem intelligentia; quâ res ad finem quem ipsæ non norunt diriguntur, & cujus opus est quicquid natura operatur (juxta illud Sapientum axioma, *opus naturæ, opus est intelligentiæ*) asseri debet esse Deus. Verùm & in prædicto illo de Trinitate libro longè illustriora protulimus Divinitatis indicia ex rationalis naturæ contemplatione & uel ipsa constructione corporis nostri; in quo partium, organorumque varietas atque usus tam evidenter Deum testatur; ut nullum sit os, nulla fibra; quæ non suo Authori acclamet, *Domine quis similis tibi?* Denique ibidem Atheis ostendimus quomodo, si seipsos agnoscant, suæ illis anima, & sensuum, ac præcipuè rationis ingeniique vires Deum assiduissimo acutissimoque clamore intùs ingeminent, atque testentur.

CAPUT III.

Existentia Dei Philosophicis, Theologicisque argumentis evidenter probatur.

1. QUOD superiori capite protulimus argumentum, cur Deus sit, sola ferè oculorum inspectione continetur; nec ea constat ratiocinandi subtilitate; quæ ullius, quantumuis hæbetis ingenij, captum facultatemque superet. Sed nec ullæ inveniri possunt aures tam obtusæ, ut ad voces eas surdæ sint, quæ à creaturis omnibus, (ut ait Chrysostomus homilia nona ad populum) *Tubâ clariores emittuntur, cùm Deum prædicant eâ pulcritudinis linguâ, quam nec Scytha, nec Indus, nec Ægyptius, nec ullus quamtumuis Barbarus ignorare possit.* Nunc agendum est cum illis; qui solertiùs ingeniosiùsque impij, Philosophicis fallacijs captionibusque rem agunt, ut Atheismum defendant. Quorum ut argutias Metaphysicâ; Theologicâque soliditate, & Sanctorum simul Patrum admixtâ authoritate coarguamus; statuendum imprimis cum Augustino nobis est; talem eius entis, quod Dei vocabulo declaratur, notionem omnibus naturaliter impressam esse mortalibus; ut cogitetur aliquid, quo nihil melius sit, neque sublimius: *Non potest* (inquit lib. 1. de Doctrina Christ. cap. 7.) *Quisquam inveniri, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum esse consentiunt, quod cæteris omnibus rebus anteponunt.* Ea veritate suppositâ primum se offert ad probandam Dei existentiam argumentum.

2. Cum enim à natura illam homines habeant informationem Dei, ut is perfectionem omnem possibilem contineat in se; vel formaliter, si ea perfectio simplex sit; vel, si secùs; saltem eminenter: Dubium non est, quin actualis existentia perfectio sit simplex; & talis ut melius sit eâ potiri, quàm carere. Unde necessariò conficitur, quam Dei naturam perfectissimam omnes homines naturaliter intelligunt ac definiunt, eam existentiâ formali carere non posse: Quod si Atheus aliquis rejiciat communem illam; quam omnes habent Dei notionem; esseque dicat entis notionem chimærici ac meram allucinationem; seque solum eximi eo quo ducuntur omnes errore; amentissimum se evidentissimâ demonstratione probabit: Qui præ suo sensu judicium aspernetur omnium, & suffragia rationalis naturæ pro nihilo habeat.

3. Præterea nullus est, qui non Dei nomine illud ens intelligat, quod & æternum, & à se solo sit. Unde secundum nascitur argumentum. Negari siquidem non potest; quin à tali aliquo ente mundus & quæ in mundo videmus, producta sint omnia.

Mundus enim (ut Damascenus docet paulo post citandus) *nec à se ipso esse potuit, nec ab eo qui non sit æternus.* Primò quidem non potuit esse ex se ipso. Nam quod à seipso, nec ullius ope conditoris existit, oportet in omni genere perfectionis infinitum esse, cum agens, à quo certis definiretur limitibus, nequaquam habuerit, quominus toto prodiret possibilitatis impetu. Atqui sensu carere oculorum illum necesse est, qui Cœlum ex omni parte apertum atque patens non sic intuetur, ut advertat mundum non vltrà progredi; & horizonte definitum non habere interminatam immensámque magnitudinem; sed nec hanc ita certis circumscriptam regionibus; quin glebâ vel cespite uno major minorve esse potuerit. Indidemque constat causam mundum habuisse, & æternam, & non aliunde, quàm ex se ipsa existentem; quæ illius amplitudinem ad libitum certamque mensuram, seu restringeret, seu ampliaret. Secundò nec potuit æternus esse mundus cum eo, quem videmus rerum, generationumque cursu. Ex quo rerum cursu evidenter habetur creaturarum causam aliquam dari; quæ prima sit, nec aliam sui causam habuerit. *Quæ creata sunt* (ait Damascenus lib. 1.) *prorsus ab aliquo condita sunt. Oportet autem conditorem increatum esse; nam si etiam ille creatus est, etiam ab aliquo creatus est; donec ad increatum aliquid (atque adeò æternum) procedendo perveniatur. Increatus ergo conditor est, & immutabilis. Hoc verò quid aliud esse potest, quam Deus?*

4. Ea necessitas perveniendi ad primum aliquod & improductum ens, ex consideratione rerum, quæ unæ ex alijs oriantur, patet in hominum genealogia; qualis v. g. describitur in Lucæ Evangelio; Etenim cùm videamus homines ab ijs parentibus nasci, qui & ipsi habeant parentes ex parentibus itidem ortos; nec non qui avos, proavos, abavos, atavos, tritavos, & longâ serie majores ἄνωθεν numerent; necessarium est ad primum tandem generis totius authorem ascendendo pervenire; in quo mens nostra tandem quiescat: Sicut in illo, quem indicavi, Evangelij loco per varios genealogiæ gradus ad totius humanæ stirpis principem Adamum denique pervenitur; qui non homine parente natus, sed Dei fuit manibus ex argilla fictus. Cùm enim Iesum Lucas dixisset cap. 3. *Filium esse, ut putabatur, Ioseph*; indicem his verbis texit majorum ipsius Christi, incipiens à Ioseph; *qui fuit* (inquit) *Heli, qui fuit Mathath, qui fuit Levi, qui fuit Melchi*; & sic deinceps gradatim vsque ad *Sem; qui fuit Noë, qui fuit Lamech, qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch, qui fuit Iared, qui fuit Malaleel, qui fuit Caïnan, qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Qui scilicet Deus nullius est; nec ulli alij, sed sibi soli suæque felicitati naturali acceptam refert existentiæ necessitatem. Atquè nisi tandem post protoplastum nostri principem generis inventus fuisset; qui extra numerum hominum, nullam haberet causam suæ existentiæ, nunquam cœpta esset generationum humanarum series. Quis enim in toto nostro genere sibi, aut illi seriei dare potuisset initium? Et sane, si datur, (ut necessario dari debet) collectio entium omnium productorum, constat dari debere agens improductum, quod produxerit totam collectionem, sitque extra ipsam: Alioquin illud seipsum, vel immediatè, vel mediatè produxisset.

5. Aliqui ut prædictam eludant ratiocinationem ex hominum genealogiâ sumptam, respondent generationes fuisse innumerabiles, atque ita nullam esse collectionem earum totalem, in qua dari possit aliquandò agens determinatè primùm; neque reperiri posse aliquem in omni generationum decursu, qui suum genitorem à superiore item genitore procreatum non habuerit. Sed nos in Tractatu de Trinitate lib. 1. cap. 10. diverticulum illud Atheis præclusimus: Vbi ostensa est contradictio, quòd in ijs rebus, quarum unæ ab alijs generentur, procedatur in infinitum. Quare necesse est, ut in eis detur finita collectio; & ad certum aliquod determinatumque primùm, quod initium tali successioni dederit, perveniatur. Et quemadmodum impossibilis est series, in qua nihil sit quod non habeat aliquid se superius, se pulchrius, se perfectius: Sic à pari, & forsitan à fortiori, impossibilis est consecutio rerum intra quàm unæ res sic producant alias ab alijs anterioribus ipsæ productæ; ut nulla item, quæ non producatur; sine circulari scilicet regressu, iteratave sui productione. Quare necessarium est, ut in gradibus hujusmodi generationum detur ingenitum aliquod primum. Alioquin, verbi causâ, series hominum seipsam produceret. Nam cùm ipsa ex solis constet genitis & genitoribus, itaut illi sint ab istis; dicendum esset ipsam (quæ nihil aliud foret quam illi & isti) quatenus constantem ex genitis, productam fuisse à seipsa quatenus constante ex genitoribus; qui tamen & ipsi aliundè geniti sint; itaut alteri debeant inter alteros numerari: Et sic undecumque series esset à se ipsa.

6. Demonstratum etiam est in prædicto de Trinitate Tractatu latebras, quales hic quæruntur, infinitatis, æternitatisque nequaquam tutas esse Atheis; sed manifestam involui contradictionem in eo quòd; licèt concederetur innumerabiles, ac sine termino infinitas fuisse per impossibile hominum generationes; tamen illæ potuissent existere, per seipsas absque ope ullius agentis extrinseci; posito quòd singuli homines, quicumque intra illam essent infinitatem, carerent vi introducendi seriem illam generationum humanarum, dandique illi existentiam. Si enim in singulis hominibus, aut in quacumque finita partiali illorum collectione deest vis; quâ generationum humanarum series extrahatur à potentia objectiva in actualem existentiam; quomodo concipi potest, illam seriem successionemque generationum, ideo solum quòd infinitatem habeat, fuisse introductam non alijs viribus, quàm humanis? Sanè id non est magis possibile, quam si multitudinem tædarum fingamus per se frigidarum, & obscurarum (quæ nimirum nec ignem, nec lumen innatum habeant) posse nihilominùs, si numero concedantur esse infinito, accendi igne; qui non aliundè prodierit, quàm ex ipsissimet illis tædis, ingenitum quidem ignem nullis habentibus, sed alias inflammantibus alijs, quas aliæ similiter ab alijs intra eandem seriem consecutione interminabili accensæ inflammarint. Quo quid insanius? Numquid ad id quantaecumque multitudo juvat? Tesserulas nigri coloris seriatim compositas fac esse multas, fac esse plurimas, fac esse infinitas; vtrùm excrescens multitudo faciet, ut colorem aureum per seipsas nulla externâ accedente causâ contrahant? Eadem est ratio de hominibus, quorum nullus vim habet producendi per se in lucem, aut generationum humanarum seriem introducendi. Quis dicat illos ob infinitam multitudinem id circa hujusmodi generationes humanas posse, quod eorum nullus potest? Vis enim generationes introducendi non ex iis est attributis; quæ cùm ad singulas partes non pertineant, possit tamen ad totum compositum pertinere; quæ-

quemadmodum duodenarius numerus Apostolis convenit vniversis, non singulis.

7. Similem observationem in Tractatu de Trinitate suprà citato retulimus ex Aristotele qui lib. 2. polit. cap. 5. asserit civitatem, in quâ partes, ex quibus constat, non sint beatæ, beatam dici non posse. Non enim eadem (inquit) beatæ civitatis ratio est, quæ paris numeri. Nam numerus additus alteri numero (licet impar impari) potest totalem numerum conflare, qui par sit. v. g. impar quinarius additus impari quinario conflat numerum, qui par sit, nempè denarium, itaut totum illud ex duobus quinariis conflatum denominationem habeat paris numeri, quam neutra illius pars habet. At non ita, inquit, civitatis partes quæ sint miseræ possunt civitatem quæ beata sit componere. Μὴ γὰρ τῶν αὐτῶν τὸ εὐδαιμονεῖν, ὥσπερ τὸ ἄρτιον· τὸ μὲν γὰρ ἐνδέχεται τῷ ὅλῳ ὑπάρχειν, τῶν δὲ μερῶν μηδετέρῳ ἀλλὰ τὸ εὐδαιμονεῖν ἀδύνατον.

8. Inter rationes cur Deus sit, quas affert Divus Thomas quæst. 2. art. 3. prima sumitur ex illo axiomate; *quidquid movetur, ab alio movetur*. Vnde Sanctus Doctor infert. Ergo cùm non possit procedi in infinitum, oportet sistere in aliquo primo motore; quem Deum esse vult Aristoteles. Sed hoc fundatum in Aristotele argumentum est ex pluribus capitibus insufficiens; ut Suarez disp. 29. Metaphysicæ sect. 1. & alij post ipsum notaverunt. Primò enim; si planè ac propriè loquamur, falsum est illud axioma. Nam constat gravia, leviaque corpora non ab alio, sed à seipsis moveri per gravitatem & levitatem sibi non minùs intrinsecam, quàm calor est igni. Si dicas ignem moveri non à se, sed à sua causa producente, quatenus hæc indidit ei levitatem: Contrà. Nam cùm ignis non minus acceperit à causa sui productrice calorem, quàm levitatem, dicendum erit ipsum ignem eadem ratione vel à se moveri, vel per se non calefacere. Secundò, quamuis verùm esset prædictum illud axioma; tamen non probaret primum motorem esse Deum. Deo enim essentialiter convenit esse incorporeum ac spiritualem; & tamen non constat essentialiter convenire motori corporum Cœlestium, ut sit incorporeus, ac Spiritualis; non enim repugnat corpus moveri à motore corporeo. Præterea Deum patet esse æternum essentialiter, quod non evidens est convenire primo motori; cùm non evidens sit motum Cœlorum esse potuisse ab æterno: Id enim putant multi esse impossibile. Adde, quod Deus est essentialiter immensus; at posset concipi absque immensitate motor Cœli esse; agendo scilicet in distans. Itaque Aristoteles illo suo axiomate non probavit existentiam Dei Immaterialis, Æterni, Immensi.

9. Loco igitur illius axiomatis, *omne quod movetur ab alio movetur*, substitui debet istud aliud, quòd secundo loco proposuit Divus Thomas ad probandam existentiam Dei efficaciùs & veriùs, *omne quod fit, ab alio fit.* Clarum enim est posse aliquid existere antequam ipsum moveatur, non autem antequam ipsum existat, aut fiat primâ sui productione; quarè potest suum quidem motum etiam primum, non autem primam suam existentiam producere. Vnde sequitur evidenter, mundum, & omnia quæ in mundo sunt, producta esse à non producto; & dari aliquod ens quod à seipso existat, vniversoque rerum productarum generi dederit initium. Nam quod à seipso non existit; nequaquam potest rebus omnibus producendis initium dare, eisque presupponi; alioqui daret ipsi etiam sibi quod non haberet, & faceret quod non posset.

10. Vno verbo (quæ est tertia ratio Divi Thomæ) implicat contradictionem ut omnia entia sint contingentia; qualia forent, si nihil esset à seipso. Certè si omnia forent contingentia, hoc est indifferentia ad existentiam & non existentiam; ergo potuisset contingere, ut aliquandò nullum ens esset. In quo casu impossibilis fuisset tota hæc rerum existentium series. Quare non apparet, quomodo aut à quo agente quæ de facto jam existunt extrahi potuissent ex nihilo; si verum est quod Athei volunt nihil existere, nisi ab alio factum. Vnde evidens etiam est non tantum dari ens, quod sit à seipso; sed hoc ipsum ens in omni æternitate fuisse: Impossibile enim est, ut aliquid incipiat in tempore esse à seipso. Siquidem quod est à seipso, non potuit habere vllum impedimentum quod illius existentiam actualem retardaret vsquè ad certum tempus; atquè ita debuit esse ab æterno, & statim atque potuit. Quod si non ab æterno, ergo nunquam. Nulla siquidem infra æternitatem dari potest ad existentiam determinatio respectu illius quod supponitur nullam habere causam æternam, à qua excitetur, & determinetur ad existendum.

11. Debet igitur illud ens, quod est à seipso, æternitate fixum esse, & nunquam existentiâ caruisse; ut ex illo tanquam ex summo rerum vertice suspensa sit omnis ὀντότητος, actualitas; ipso interim, dum solâ in creaturas fœcunditate diffluit, nequaquam effluente; aut per aliquam sui imminutionem decrescente, sed intra suam permanente immutabilitatem identitatemque, ἔνδον ἑαυτῆς ἀσχέτως ἐν ἀκινήτῳ ταυτότητι, ut ait Dionysius cap. 1. de divinis. nom. Ob eam naturæ suæ firmitatem æternam ab eodem idem Deus asseritur esse omnium, quas produxit, rerum fundamentum, sedes omnipotens, ac fundus, in quo omnia firmantur ἕδρα παντοκρατορικὴ, καὶ πυθμὴν πάντων, ibidem. Eodemque pertinet quod Deum dixerat talem esse locum, qui velut centrum res conservet, quas continet; ad seque indito eis naturæ pondere attrahat: Vt quarum rerum est efficiens prima, earundem etiam sit causa finalis vltima. Hinc apparet; ut in cæteris fere perfectionum gradibus datur aliquot superlativum, quod sit aliorum in eodem ordine mensura, & aliquo modo causa; Sic in ordine existentium reperiri summum aliquod existens, rerum omnium non tantum exemplar & mensuram, sed etiam originem, fundamentum, basin, & centrum.

CAPVT IV.

Morali demonstratione Deum probatur existere.

1. SICUT mundi & omnium in eo creaturarum prospectus, Physicam; & superiora subtilioris Philosophiæ principia, Metaphysicam; ita etiàm considerationes ex humanæ conscientiæ ratione conditioneque desumptæ, moralem nobis demonstrationem, quâ Deum existere convincamus, suppeditant. Et quidè primò negari non potest, quin sit contrà moralem conditionem dignitatemque humanæ

conſcientiæ, ſi quis magni veritatem momenti animo obfirmato negare perſiſtat; quam evidenter apud ſe convictus compertam indubitatamque judicet. Atquè ita; ſi illum manifeſto crimine accuſamus; qui caput aliquod Chriſtianæ fidei, licet obſcurum & ab aſpectus naturalis judicio remotum, negare fuerit auſus, poſtquam eius (licet non evidenter probata nec demonſtrata) veritas reddita fuerit ſufficientibus ſignis argumentiſque credibilis: Quid de Atheorum non impiâ tantum, ſed amentiſſimâ obſtinatione judicandum erit; cum Dei exiſtentiam, quæ totius eſt religionis fundamentum, & de quâ ut evidentiſſimâ nationes omnes gentesque conveniunt; quamque una cunctarum vox creaturarum & clamor vndecumque teſtatur, audeat impudentiſſimè pernegare? Imo nemo ſapiens dubitabit aſſerere, genus hoc hominum divinam exiſtentiam labefactare conantium non modo eſſe ab omni ſana ratione alienum, ſed etiam à ſua ipſius conſcientia (hoc eſt à ſummâ bonorum morum regulâ) diſcrepare; cum Deum exiſtere inficiatur, & conſcientiam ſuam mendacium ei exprobrantem mendacij viciſſim coarguit; naturalemque rationis ſuæ ſenſum, ac ſimul Deum ipſum, unâ & eadem impietate conatur perimere.

2. Morale adverſus Atheos argumentum ſumi etiam inde poteſt; quòd illorum impietas hominibus virtutem Spei funditus eripiat, & meram ipſis deſperationem relinquat; cum tamen illius ea ſit natura virtutis, ut vix in extremis etiam malis miſeros deſerat, reſtareque ſemper vltima ſoleat, ſivè ad præſentis infortunij ſolatium, ac doloris reſidui levamentum; ſivè ad fiduciam petendi alicujus obtinendique remedij. Si enim nullus, ut Athei ſuadere volunt, exiſtat Deus, ſequitur nullam ab eo ſperari poſſe opem, nullam item beatitudinem æternam. Atquè ita mortalibus in hac vita degentibus eripi oblectationem; quæ ex felicis æternitatis, & futuræ tandem bonorum omnium complexionis expectatione cogitationeque oritur: Nullo interim alio in illis rebus adverſis, quibus paſſim conditio mortalis obnoxia eſt, auxilio relicto; niſi eo quod peti ex imbecillæ naturæ viribus poteſt; nec vllo ſe offerente portu, quò recurri poſſit in adverſæ jactatione fortunæ. Infideles ipſos quondam populos, cùm veri Dei notitiam non haberent, ſolitos legimus falſum quodpiam in ſuis civitatibus tutelare numen comminiſci, patriiſque religionibus conſecrare, ad cujus numinis opem, ſi quid eis calamitoſum luctuoſumque accideret, confugerent: Talique numine propitio, atque intra ſuos muros ſervato, æternam ſibi aſſerebant ſperabantque felicitatem; Illo autem ſublato certum ſuæ reipublicæ interitum augurabantur; ut in ſuo narrantur experti Troiani Palladio, poſtquam illud Vlyſſes, Diomedeſque ſuffurati dicuntur. Quare hoſtes, qui vrbem aliquam oppugnabant, & obuallatam tenebant, certis Deos ex illa gentieos ceremonijs evocare, & ad ſe traducere ſatagebant; ut cives obſeſſi quod implorarent præſidium non haberent. Hinc æſtimare quilibet poteſt, quantam rerum deſperationem non uni alicui regioni, ſed terrarum gentiumque omnium orbi Atheiſmus, cùm Deum de medio tollit, inducat.

3. Vt meliùs intelligatur quotuplicem Atheiſmus cum naturâ intellectuali, & cum primis humanæ conſcientiæ judicijs contradictionem habeat; nonnulla conſideranda ſunt abſurda, quæ ex illo conſectaria neceſſariò ſunt. Primò igitur: Si vera foret Atheorum ſententia, ſequeretur nullam curandam eſſe religionem; & ſummam eſſe Sapientiam, quòd aliquis Dei venerationem ac timorem, quaſi rem vanam & ſtultam, ex animo eruat, contra perſuaſionem cunctarum gentium, quamtumvis Barbararum & immanſuetarum; quæ ſacrificijs & aliquo cultu divinitatem, licet variè nominatam, proſecutæ ſunt. Quòd ſi forte vllius fuerunt regionis incolæ, qui Deum minùs expreſſè coluerint: Non tamen eſſe potuerunt, qui confusè ſaltem illum non timuerint; qui non ad Cœli tonitrua fulminaque conterriti authorem eorum aliquem extimuerint, &c.

4. Secundò, ſi nulla eſt Numinis providentia, quæ res humanas attendat, ſed res mundanæ eo modo quo teſſerulæ in luſorio fritillo (ut Philo Iudæus loquitur) ſuſque deque agitentur volubilitate ſolius fortunæ τὰ ἀνθρώπεια ἄνω καὶ κάτω πεττευούσης; corruit fundamentalis veritas inſtituendæ vitæ; aperitur porta omni perfidiæ, injuſtitiæ, impietati, &c. prout enim quiſque Dei timorem abijcit, nihil habet penſi; ut oſtendit experientia, & monemur pſal. 52. *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus: Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus.* Nec non Oſeæ 4. *Non eſt ſcientia Dei in terra? maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundarunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Si rebus, inquam, noſtris nullius Numinis providentia conſuleret; perindè in terris ferè degerent homines, ac videmus contineri in piſcinis vivariiſque piſces, aut cohortalia in ædibus altilia. Si quos enim piſciculos à piſcibus vorari majoribus, aut ſi à ſævientibus gallinaceis pullos imbecillos & immeritos decerpi contingat, nulla datur ea de re quæſtio, nedùm animadverſio. Sic impunè mortales, ſi nullam attendentis vindiciſque Dei rationem haberent, graſſarentur impunè alij in alios; ſeque ſinguli omnium ſcelerum genere devincirent. Vt è contrariò experimur, quò quis ſanctiùs Deum veneratur, & eſt religionis colentior; eò illum perfectiùs omnes humani officij partes exequi.

5. Tertiò hinc naſcitur potentiſſima conſideratio. Nam ſi verum eſſet nullum eſſe Deum; ſequeretur, quòd illa veritas & eius perſuaſio foret hominibus omni errore pernicioſior: Et eadem ipſa quæ Deum negaret ſapientia modis deberet omnibus occultari, prohiberi, puniri. Sequeretur quartò hoc abſurdum: nempè omnes, qui umquam in humano genere extiterunt laudabiliores, qui doctrinâ, qui ſanctitate, qui etiam miraculis floruerunt; deluſos fuiſſe in re maximi momenti; & falſum opinionis idolum virtute religionis chimæricâ coluiſſe, infinito diſſitos à veritate intervallo. Nam Deus, ſi non exiſtit, eſt omnium impoſſibilium rerum maximè impoſſibilis; cumque repugnaret exiſtentiam ab ullo principio habere poſſe; cùm nec à ſeipſo, utpotè non exiſtente; nec ab vllo alio, utpote perfectionem infinitam quam daret non habente, produci poſſet: Quare qui coleret Deum, ne quidem entis ſequeretur vmbram. Illi verò contrà ſoli ſaperent; apud quos nulla fides, pietaſque, nullum jusjurandum, nullæ internæ ſolidæque virtutes. Hæc certè omnia non modo ſunt ab omni ſpecie probabilitatis aliena, ſed amentiæ plena, & furoris, atque ipſis auribus reſpuenda.

CAPVT V.

Existentiam Dei credere oportet propter ipsius testimonium Dei. Et nova circà hoc exponitur difficultas.

1. QVEMADMODUM Petrus de Alliaco quæst. 3. a. 2. & quidam alij, (quos superiùs refutavimus cap. 1. num. 7.) negarunt posse ab vllo discursu sive argumentis ex ratione petitis, Dei existentiam demonstrari, aut aliter quàm sola revelatione constare. Sic ex adverso reperiri nonnemo potuit, cui venerit in mentem, nequaquam posse divinam existentiam credi propter ipsius testimonium Dei, seu propter revelationem quantumuis expressam; sed tantum ex creaturarum conspectu, vel aliter per evidentem discursum omni revelationi præsuppositum demonstrari. Contra quam opinionem dicendum omnino est, Dei existentiam eiusque veracitatem non solum demonstrari posse lumine naturali ut constat ex dictis cap. 2. sed etiam fide credi Catholica propter ipsius testificationem Dei. Hæc conclusio patet ex omnibus partibus Scripturæ sacræ: Quæ quoties aliquid revelat, nihil magis declarat, quàm eius existentiam, cujus vox est, & locutio. Ac certè omnis authoritas & infallibilitas revelationum quarumcumque divinarum innititur existentiæ Dei. Quomodo enim veritatem, habere posset in loquendo, qui nullam talem haberet in existendo? Quemadmodùm igitur cùm Deus loquitur & aliquid affirmat, per suam ipsam locutionem intransitivè, & velut in actu exercito testificatur se loqui; itaut qui eum loqui negaret contradiceret ipsi. Sic & per eandem locutionem se testificatur existere. Itaque licet nullibi expresiùs & in actu signato testificatus fuisset suam existentiam, tamen quicumque hanc negare auderet, omni divinæ revelationi se opponeret; ac non tantum impius esset Atheismo, sed etiam infidelitate, Dei loquentis veracitati se incredulus opponeret. Quare eadem obscurâ fide qua credimus id quod revelat, credere debemus eum existere qui revelat.

2. Sunt nihilominùs in scriptura speciales loci plurimi in quibus reflexè & expressè suam existentiam Deus testatus est. Vt Exodi 3. *Ego sum, qui sum: Qui est, misit me ad vos.* Vbi non tantum sibi tribuit existentiam sed ab ea quasi maximè sibi propriâ nomen assumit: Vnde & *Iehoua* dictus. Quomodo item Apoc. 1. Christus ratione divinitatis cum humanitate conjunctæ appellatur, *qui est, qui erat, & qui venturus est.* Psalmo 52. manifeste revelatur existentia Dei, cùm insipientiæ damnatur quisquis illam negat; *dixit insipiens in corde suo non est Deus.* Præter alia multa Scripturæ loca existentiam Dei similiter testantia sunt nonnulla, quæ declarant vel veracitatem (*est autem Deus verax*) vel actualem locutionem (*dicit Dominus: Os Domini locutum est.*) Cùm dico scripturam de Deo testari, dico Spiritum Sanctum testari de seipso: Vi cujus testimonij debemus credere ipsum existere, ipsum esse veracem, ipsum loqui. Nam ibi Spiritus Sanctus vel est verax, vel mendax, vel neutrum: Non neutrum; non mendax, ergo verax. Atque idem asseri debet de Christo aiente; *veritatem dico vobis. Amen Amen dico vobis*; hoc est, verax verum dico vobis. Sanè si Ioanni propter suam locutionem credimus de seipso sic testificanti, *hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc; & scimus quia verum est testimonium eius*, Ioan. 2. (quis enim audeat de illius dicti Apostolici veritate dubitare?) Quarè Deo testificanti de se ipso non credemus propter ipsius testimonium?

3. Tantùm solvenda est difficultas; quam placet hic proponere contra hanc nostram conclusionem. Nam cùm clarum sit divinam existentiam fundamentum esse omnis divinæ revelationis, illa non videtur posse propter revelationem, quantumuis expressam credi. Quod enim creditur propter revelationem, supponit revelationem ipsam creditam esse in priori, itaut ipsum non nisi in posteriori credatur: Atqui existentia Dei credi non potest in solo posteriori quàm credita fuerit revelatio. Patet. Nam in eo priori, in quo creditur revelatio, necessarium est simul credi existentiam divinam; utpotè inclusam in ipsa Dei locutione seu revelatione. Imò non tantum in eodem priori, in quo creditur revelatio, necessarium est credi existentiam Dei; sed etiam antè illud prioritatis signum. Non enim potest à me credi locutio Dei ut infallibilem continens veritatem; nisi prius persuasum habeam Deum existere veracem, & quod dicet falsum esse non posse. Quod si in illo priori dum cognosco per unam præmissam verum esse quidquid Deus dicit, & per alteram Deum reipsa dicere quòd ipse existat; agnosco & suppono in vtrâque præmissâ existentiam Dei: Ergo dum inde concludo Deum existere, nihil cognosco novi; atque adeo inutilis est, & ridicula talis conclusio. In omni enim discursu qui vanus non sit, debeo per illationem proficere, & lumen, quo ante carebam, acquirere. Certè si quod infertur in conclusione est illud ipsum quod erat in præmissis, fit formalis circulus, & conclusio non potest per præmissas illuminari. Nihil enim accipit à se ipso lucem; cùm eam non possit vel accipere de novo si ipsam habet; vel sibi dare, si ut det, non habet.

4. Respondeo primò. Quamuis totum quod objectio intendit concederetur, non haberetur aliud quàm existentiam divinam aliunde cognitam scientificè, & persuasam supponi priùsquam per revelationem credatur; atque ita non posse credi per primam sui cognitionem: Id autem conclusioni nostræ non obstaret, nec impediret quominus saltem secundâ & iteratâ cognitione posset fides propria circa eam exerceri. Quandoquidem non repugnat de uno & eodem per varia media cognito haberi scientiam, opinionem, & fidem. Advertendum tamen secundò quòd si loquamur de existentiâ Dei prout distinctè & secundum se consideratâ, nihil impedit quominùs credi possit fide divinâ per primam absolutè cognitionem.

5. Imò eadem difficultas, quæ in præsenti nobis objicitur, occurrit ferè in omnibus ijs probationibus, in quibus causa cognoscitur per effectum, ut ab illâ dependentem (atque idem est cum effectus probatur per causam, ut talem) cum enim quis ex diei luce colligit præsentiam Solis, cognovit confusè in ipso medio & in priori antè conclusionem id ipsum, quod in conclusione cognoscit distinctè. Cognitio enim diurnæ lucis prout à Sole dependentis, (qualis ponitur in antecedente; alia siquidem lux esset inutile medium) importat cognitionem confusam Solis influentis & præsentis. Similiter qui ex fumo

fumo colligit ignem existere, cognovit & supposuit confusè in antecedente existentiam ignis. Non enim de alio locutus est fumo, quàm de verò & igneo, cognitoque ut tali qui sine igne esse non possit; quandoquidem fumus qui sine igne esse posset, nihil concluderet. Ita etiam homo, qui jacet, crediturque mortuus, potest motu suo & locutione ingenerare in nobis primam cognitionem de suâ tunc existente vitâ: Quæ vita haud dubiè includitur & confusè præcognoscitur in ipso motu seu locutione: Non enim motus aut locutio sunt utile medium, ut ex iis hominem vivere concludamus; nisi quatenus sunt effectus vitæ & ut tales noscuntur. Cur ergo non poterit haberi prima cognitio distincta existentiæ divinæ per locutionem ipsius; quamvis in ipsa locutione confusè præcognoscatur existentia eadem divina?

6. Contra superiora objici potest; aliam esse rationem de ijs discursibus, in quibus causa ex effectu, (v. c. ignis ex fumo, vita jacentis hominis ex ejusdem motu seu locutione) cognoscitur; & de illo discursu, in quo Dei existentia ex eiusdem Dei testificatione infertur. Nam quando causa ex effectu colligitur, supponitur simpliciter existentia ipsius effectus. Quandò autem ex testificatione Dei colligitur ipsius existentia Dei, non tantum supponitur existentia testificationis; sed simul existentia veracitatis, & authoritatis Dei, qui testificatur; ac per consequens existentia ipsius Dei. Respondendum enim est, quòd quando causa ex effectu colligitur, supponitur & præcognoscitur ita existentia ipsius effectus, ut simul etiam in eodem antecedente cognoscatur, licet solum confusè existentia causæ. Non enim effectus potest esse medium aptum nisi præcognitus formaliter quà effectus & talis ut à causa (non utique nisi existente) existat.

7. Verum quidem est, id esse peculiare in præsenti quæstione, ubi agitur de cognitione existentiæ Dei per ipsius testificationem Dei: Quòd Deus non præsupponi debeat simpliciter ut causa producens locutionem, sed præterea ut habens aliquam dicti authoritatem, & actualiter attestantem veracitatem. Si enim sumeremus locutionem ut simpliciter Dei effectum; colligeremus ex illa, Dei loquentis existentiam, ut colligimus existentem vitam illius, qui dùm putatur mortuus loquitur & dicit se vivere. Probat enim hic vitam suam; non ut testis, veracitate; sed tantum ut causa, physico suo effectu vitali. Idque non minùs ita probaret qui mendax esset, posito quòd locutio sumeretur non ut testificatio, sed ut simplex effectus vitæ. Quare qui credit, Deum existere; quia Deus veracitatem & authoritatem re habens id testificatus est; cognoscit confusè in antecedente existentiam Dei bis, seu duplici titulo; nimirùm, & quia locutio est effectus Dei ut existentis; & quia eadem locutio est testimonium innixum veracitati seu authoritati actuali; quæ non potest esse in Deo, nisi ut existente. Sed ex hoc nihil adversarij conficiunt. Nam inde nequaquam sequitur non diversam esse in antecedente & in conclusione cognitionem. Cùm enim in conclusione sit distincta cognitio existentiæ Dei, non est nisi confusa in antecedente. Atque ita est eadem quoad hoc ratio, quæ in omnibus alijs discursibus; in quibus ex effectu causa; aut ex causa intelligitur effectus. Tantum hic notandum est quòd quando existentia Dei creditur per fidem divinam, nec locutio nec veracitas sumitur ut aliunde cognita, quàm quia Deus intransitivè eadem locutione qua loquitur; se & loqui & veracem esse testatur. Sed ea de re in Tractatu de Fide.

8. Eam autem diversitatem confusæ distinctæque cognitionis dico sufficere in antecedente, ut discursus sit bonus & vtilis; quamquam non sit ulla diversitas alia, quam aliqui necessariam imaginantur esse, ut discursus sit vtilis: Imaginantur nempè quòd in antecedente is qui aliquid de se testificatur non debeat præcognosci aut supponi ut habens illam ipsam conditionem, de qua ut sibi inexistente fert testimonium. Quomodo (inquiunt) homo quidam testari potest se esse nobilem, ut præcognitus habere existentiam, veracitatem, &c. Sed non ut præcognitus habere nobilitatem quasi testimonium in nobilitate præcognità fundetur. Ita Raphaël potuit testari se esse Angelum non cognitus ut Angelus, sed tantùm ut persona fide digna. Ita etiam Christus potuit testari Samaritanæ, se esse Messiam præcognitus ut vir fide dignus, sed non ut Messias, &c. Contra horum opinionem dicendum est discursum habiturum sufficientem diversitatem cognitionis, & fore bonum ac vtilem; quamvis homo testari supponatur nobilitatem, ut nobilis; itaut nobilitas necessaria sit ad authoritatem testandi: Et quamvis Raphaël atque Christus loqui concipiatur; ille ut Angelus, iste ut Messias: Quemadmodum re concepti fuerunt. Nam illis testantibus credebatur per fidem Angelicam & per fidem Messiæ seu Divinam; ut bene Suarez. Res enim eadem non eodem modo, sed in antecedente quidem confusè; in conclusione autem distinctè cognoscitur. Atque ità contraria imaginatio fundamentum non habet.

CAPVT VI.

Plures unò Deos esse non posse.

1. DVPLEX nobis hic occurrit eorum genus, qui supremi singularitatem Numinis sustulerunt: In priori genere fuerunt Gentiles; quos perantiqua & toto latè orbe propagata stupiditas ad sacrilegam Idololatriæ impietatem induxit. Quamvis enim ante Noëmicam eluvionem homines, (magiam alioqui colentes & Giganteorum facinorum obstricti criminibus) nequaquàm Idolorum vsum (ut asserit Epiphanius) habuere; Deumque potius nullum, quam multiplicem coluerunt. Tamen (superstite adhuc post suum ex arcâ egressum Noëmo) Ninus, vix uno vel altero sæculo intermisso, Beli patris sui memoriam divinis honoribus consecravit. Nec diu deindè expectatum fuit; donec Idolorum & vanarum imaginum cultus originem habuit. *Cùm* (ut est in Sapientiæ libro) *dolens acerbo luctu Pater* (qui quidem si Epiphanio; Philoni, & Suidæ credimus, fuit seu Thare seu Sarug; Abrahami nimirum ille genitor, hic proavus) *citò sibi rapti filij fecit imaginem; & illum, qui quasi homo mortuus fuerat, tanquam Deum colere cœpit; & constituit inter servos suos sacra & sacrificia.* Qui error, tempore interveniente; & convalescente sacrilegâ consuetudine, magis ac magis ita invaluit; ut dixerit Augustinus Epist. 222. *Idololatriam videri mentibus insitam humanis.*

2. Posterius eorum genus qui divinam multiplicaverunt naturam, fuere Christianos inter partim aliqui viri probi: Qui non malo animo, sed ut iis re

obſcurâ errore ducti, trium perſonarum in Trinitate myſterium explicare nequiverunt; quin vnicuique perſonæ, quæ verè Deus ſit, ſuam ſpecialem tribuendo Deitatem, Deum (nec opinantes) facerent triplicem, qui vel collectione unus eſſet; vel noſtri præciſione conceptus, eo modo, quo Petrus, Paulus, & Ioannes ſunt unus homo. Partim alij etiam extitere, qui hæretico ſpiritu (ſupra Græcanicum Idolorum cultum impij) Deum Hebræorum à Chriſtianorum Deo diſtinxerint; ut Cherintus, Baſilides, &c. Triginta verò Deos Valentinus; at Manes duo rerum principia finxit, bonum alterum, & alterum malum.

Græcanica Deorum per Idololatriam multiplicatio.

3. Iure ac meritò, & (quantùm ab Atheo expectari vix potuiſſet) aliquatenùs piè, Plinius multiplicationem Deorum, quaſi nequaquam ipſo conducibiliorem hominibus Atheïſmo, damnat his verbis lib. 2. cap. 7. *Vix propè eſt judicare vtrum magis conducat humano generi: An quod alijs nullus eſt Deorum reſpectus: An quod alijs pudendus; qui digitis Deos geſtant, & monſtra colunt.* Illo ipſo loco idem author religioſiùs nihil facere potuiſſe videretur, (niſi unius veritatem numinis ignoraſſet) quàm dùm infinitam cælitum turbam, ac ſtupidam Ethnicorum ſuperſtitionem irridet: *Innumeros*, inquit, *credere Deos majorem ad ſocordiam accedit. Sua memor infirmitatis mortalitas in partes iſta digeſſit; ut portionibus quiſque coleret, quo maxime indigeret. Itaque nomina alia alijs gentibus, & Numina in ijs innumerabilia reperimus; inferis quoque in genera deſcriptis, & multis etiam peſtibus*; dum eſſe *placatas trepido metu cupimus. Quamobrem major Cælitum populus etiam quàm hominum intelligi poteſt: Cum ſinguli quoque ex ſemetipſis totidem Deos faciant. Gentes verò quædam animalia etiam obſcœna pro Dijs habent, per fætidos cibos & alia ſimilia jurantes. Matrimonia quidem inter Deos credi; & alios eſſe grandævos, alios juvenes, atque pueros; atricolores, aligeros, claudos, ovo editos; puerilium propè deliramentorum eſt. Sed ſuper omnem impudentiam adulteria inter ipſos fingi, mox jurgia, & odia, atque etiam furtorum & ſcelerum Numina.* Videri poſſunt quæ apud Tullium Cotta diſputat lib. 3. de natura Deorum; vbi ad vulgi refert inſcitiam, quòd piſcem Syri, omne ferè genus beſtiarum Ægyptij conſecrarint: Quòd multos Græci, multos Romani habuerint ex hominibus Deos, quaſi adſcriptitios. Athenienſes impudentiæ etiam atque contumeliæ fanum fecerunt: Romani febris etiam fanum in palatio; & aram malæ fortunæ in exquilijs habebant. Religioſum plane eſt Sophoclis inter Ethnicos, quaſi animæ (ut ait Tertullianus) naturaliter Chriſtianæ, contra fictam illam Deorum pluralitatem teſtimonium à Cyrillo contra Iulianum, & ab alijs relatum; ut habetur his verſibus.

Vnus profectò eſt, vnus eſt tantùm Deus;
Qui Cælum, & amplum condidit terræ globum.

4. Illorum ſanè execranda ſuperſtitio, qui Deos plures colunt [illegible] nequaquam eorum impietati cedit, qui nullos eſſe defendunt. Quin vtrorumque una eſt eadem [illegible] impietas: Divinitatem enim omnem æquè tollentes, [illegible] quidem negando vel unam; illi autem per [illegible] ſum aſſerendo multiplicem. Nam ut aït Athanaſius contra gentes, *ἀνάγκη πολυθεότητα ἀθεότητα εἶναι, ὥσπερ τὴν πολυαρχίαν εἶναι ἀναρχίαν.* Hoc eſt, multitudo deorum non differt ab Atheïſmo; ſicut nec plurium dominatus à nullius dominatu. Quin imò Polytheïſmi impietas quippiam habet Atheïſmo deterius. Nam cùm ſingularis, verique Dei numen æquè auferat, ac Atheïſmus; id habet inſuper, ut vero expulſo Deo falſa præferat, in eiuſque locum inducat fabuloſa commenta. Sed in præſenti mens non eſt Gentiles perſequi; *quorum ſimulacra argentum & aurum, opera manuum hominum.* Contra illos legi poteſt Minutius Felix; qui Chriſtianæ Sapientiæ ſale eorum fricat dementiam, qui putabant ſuarum vi conſecrationum in metallum, in æs, in truncum & ſtipitem Divinitatem infundi. Nihil tamen eſt quod ad nervoſam ſimul ac floridam Scripturæ ſacræ in hoc argumento eloquentiam accedat: Vt videre eſt in Pſalmo 113. & 114. Et in Sapientiæ cap. 15. nec non in Baruch cap. 6. quàm vana, quàm impura eſſent ea ſivè ſimulacra affabrè elaborata, ſivè animo informata Deïtatis figmenta, edocere ſcriptura nos voluit contemptiſſimis, quibus appellavit ea nominibus. Iàm enim illa vocat *ghatſabim*, hoc eſt ſuorum labores, doloreſque cultorum, Pſal. 113. Quo ſimili modo ipſa nuncupavit Iſaïas *tſirim* tormina ſcilicet cruciatuſque velut parturientium cap. 45. verſu 16. Iàm vero *guelulim* ſordido ſtercorei fætoris nomine 3. Reg. cap. 17. Alibique ſæpe nominantur *boſcet*, id eſt res pudenda, ſivè ipſe pudor, Ierem. 11. verſu 13. & Oſeæ 9. verſu 10. ſimilis irriſionis eſt atque contemptus, quòd nuncupentur, Levit. 26. verſu 1. Iſa. 2. verſu 8. nec non alibi *elilim* ludicra voce pro *elim*, quaſi Deaſtros, nec Deos dixeris. Quamquam ab *al* negante particula, & Dei nomine *el.* deduci queat; ut ſit idem quod nequaquam Dii. Nativa tamen & maximè propria vis huic voci ſubjecta idem eſt, ac vanitas, & merum nihil. Cui ſimile eſt nomen *tohu* quod Idolis perinde tribuitur; & inanitatem, vacuitatemque atque vanitatem ſignificat.

Entis improducti verique Dei vnitas, ac ſingularitas demonſtrativè probatur.

5. Omiſſâ illâ Deorum, qualis apud Gentiles erat, multiplicatione, & lapidum lignorumve conſecratione; quæ diſputationis quidquam habere non poteſt: Cùm evidens ſit nihil eâ ſtolidius, nihil à ſanitate alienius dici aut cogitari poſſe: Ita ut mirum ſit tantâ potuiſſe Dæmones faſcinatione per pluſquàm triginta ſæcula orbem omnium gentium devincire idolis, & hominum mentibus inſerere velut naturalem Idololatriam. Itaque diſputationem præſentem eò ſolum inſtituimus, ut oſtendamus dari non poſſe duos æternos Deos, qui veri ſint; ſivè duo entia, quorum quodlibet ſit à ſe, atque ab omni alio independens. Quem locum nos exactè tractavimus lib. 1. de Trinit. cap. 12. vbi veritatem ſingularitatis Dei primò demonſtravimus ex eo quòd quidlibet tam perfectè debeat unum cenſeri quam perfectè eſt ens. Vnum enim proprietas eſt entis, & huic debet commenſurari. Cùm igitur Deus ſit ens perfectiſſimè; (ut ipſe indicat; cum ait eſſe ſe abſolutè ac ſimpliciter eum qui eſt; *Ego ſum qui ſum; ſic dices, qui eſt, miſit me ad vos*, Exod. 3. Vnde illi nomen *jehova* à verbo *haia*, quod ſignificat eſſe) oportet eundem eſſe unum, quanta vnitatis perfectione poſſibile eſt; quare ipſum Dionyſius vocat

cap. 2. de div. nom. ὑπερηνωμένην ἑνάδα hoc est superunitatem.

6. Secundò idem ex eo probatur quod ait Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 3. *Deus est summum magnum. Conditio autem summi magni est, ut nihil ei adæquetur. Ergo unicum necesse est quod fuerit summum magnum. Duo ergo summa magna quomodo existent?* Eadem est vis argumenti sumpti ex eo quòd Deus sit summum bonum. Nam repugnat duo esse summa bona: Quandoquidem unum non foret alterum, atque neutrum haberet bonitatem alterius; quare nec summam, cùm non omnem. Pari modo valebit argumentum ex eo quod Dei nomine omnes intelligant primam causam hoc est independentem, ex qua pendeant omnia. Fieri autem non potest ut duæ tales sint primæ causæ. Cum enim una non penderet ab altera; neutra talis esset, ut res omnes ab ea penderent.

7. Similiter cùm Deum nemo concipiat nisi absolutè omnipotentem; itaut nihil ei possit resistere; quomodo concipi duo possunt absolutè omnipotentes? Nam sivè ambo ita se habeant, ut vicissim alter alteri possit resistere ne quid agat; sivè ita se habeant, ut resistere alteri neuter possit; constat neutrum vtrocumque modo se illi habeant, dici posse omnipotentem. Atque ob eorum discordiam, (quæ discordia omnino possibilis esset; liberi enim ambo supponi debent) inexplicabilis orietur in mundi gubernatione perturbatio. Quod si tertiò ambo ita se habeant; ut eorum quidem unus alterum impedire, sed ipse vicissim neutiquam impediri possit: Constat non vtrumque, sed eorum unum solùm dici posse omnipotentem, ac Deum. Denique si quis fingere velit Deos illos, & omnipotentes esse, & simul concordiâ tam esse conjunctos, ut in idem semper ambo conveniant, neque alter prohibere velit alterum, ne quidquid in animo habuerit exequatur. Peto quâ tandem ratione fieri possit, ut in omnibus concordissimi plures illi Dei omnipotentes, unâ semper mente, idem statuant, nullâque dissocientur consiliorum dissimilitudine? Non enim semper sic in eandem possunt mentem aut voluntatem incidere; nisi vel fortuitù, vel ex conventione pactioneque mutuâ, vel tandem ex summa quadam absolutaque necessitate. Atqui non possunt ullo eorum modorum. Et primum quidem non possunt fortuitò. Nam quidquid fortuitum est, rarò nec semper evenit; & cùm evenit poterat non evenire; atque ita mundo periculosissimum fuisset aleæque plenum duos esse Deos, qui absolutè in curatione rerum publica potuissent sibi esse discordes, atque sic perturbare omnia. Non etiam conventione inter se consensuque libero: Sic enim idem perturbatæ gubernationis discrimen mundus adiisset; quandoquidem potuisset is non existere consensus liber, taleque concordiæ fædus; utpote nullâ certum antecedente necessitate: Et licet in omnimodam rerum agendarum concordiam ipsos Deos liberè consensisse supponamus; non apparet quomodo hic & nunc ad rerum singularum executionem liberam consociari possent. Neuter enim posset quicquam aggredi altero vel inconsulto, vel nondum incipiente: Atque ita cum alter alterius deberet velut expectare prærogativam voluntatis, utrumque necesse esset hærere suspensum. Non deniquè posset in illis esse omnimoda perfectaque voluntatum concordia ex naturali necessitate; Agendarum enim rerum talis necessitas pugnat cum ea, quæ divinitati essentialis est ad actiones externas, libertate; ut per se constat.

8. Addere possumus hic ad unitatem Divinitatis probandam istud insuper argumentum quod non videtur, esse invalidum; licèt ab Arriaga disp. 2. num. 45. reijciatur: Quas enim ille affert in contrarium instantias, nihil habent solidi; ut ex ijs quæ hic dicentur apparebit. Sumitur vero hoc argumentum ex eò quod ens per essentiam, si sit natura quædam totalis, & non solum attributum eius (qualem Dei nomine naturam intelligimus) claudat omnem perfectionem simpliciter simplicem; Ergo cùm omnem preoccuparit, nullam relinquit alij enti: Quandoquidem toto impetu possibilitatis ad existentiam procedens non habet causam efficientem à qua limitetur; & à qua velut numeratò perfectiones accipiat; loco scilicet alijs deinceps possibilibus Diis relicto. Dices hoc argumentum probat quidem omne genus aut etiam omnem speciem perfectionis simplicis in Deo includi; itaut non sit residua vlterius aliqua alia eius species. Sed quid si aliquis existimaret non repugnare, quin eædem specificè perfectiones simplices possint saltem individualiter multiplicari; & assereret alias similes easdemque specie reperiri posse in alio eiusdem item speciei Deo, omnimodâ in ipsum possibilitatis totius effusione, similiter factâ, seu toto impetu possibilitatis, ut ita dicam repetito? Respondeo diversas individualiter perfectiones simplices non magis posse extra Dei unius existentis naturam concipi, quàm perfectiones simplices genericè, aut specificè diversas. Natura enim divina omnem possibilem singularitatis perfectionem includit intrinsecè. Atque ita non reperitur ulla multiplicatio individualis sub conceptu specifico perfectionis simplicis; Quemadmodum nec ulla multiplicatio specifica sub conceptu eius generico. Quòd patet: Nam si darentur aliæ perfectiones simplices numero diversæ in altero Deo, Deus nec hic nec ille foret omni possibili modo perfectus; cùm unus nec formaliter nec eminenter includeret ut per se patet individuales alterius Dei perfectiones, nulla ergo extra verum Deum potest perfectio reperiri simplex possibilis. Nemo enim est, qui Dei nomine non intelligat ens omni possibilitate perfectum. Quemadmodum si mare omnem omnino, quæ in natura rerum existit, aquam ita contineret, ut nè quidem unam guttam extra se relinqueret; perfectius esset eò quò plenius; & eò quòd non posset extra illud in rerum naturâ vel unus minimus fons, nedum fluvius, aut alterum mare inveniri.

9. Nec objicias personalitates divinas; licèt perfectissimæ sint, habere tamen distinctas realiter perfectiones relativas, non solùm individualiter, sed etiam quasi specificè diversas. Ad id enim respondetur. Primò personalitates, licet infinitè perfectas in suo quamlibet ordine, non tamen unamquamque earum absorbere omnem possibilitatem & omnem ordinem perfectionum relativarum. Secundò propter illud ipsum quòd relativæ sunt, non est mirum si multiplicentur cum distinctione reali; oppositionem enim inter se habent. Quæ ipsarum distinctio seu realis multiplicatio impossibilis foret, atquè ex sola perfectionis limitatione proveniret, si non adesset oppositio. At cùm in natura divina non reperiatur quicquam physicè relativum, nec vlla oppositio; nequiret alicujus multiplicatio, sivè specifica, sivè individualis aliò pertinere, quàm ad eius limitationem, imperfectionemque. Tertiò quandoquidem tres personalitates identificantur cum natura, quæ continet eminenter perfectiones omnes ipsas relativas; dico quamlibet personalitatem catenus in ipsa

naturâ divinâ continere perfectiones relativas aliarum personalitatum; neque ab his separari dividique posse; eo modo quo Divinitates, si plures individualiter darentur, necessum esset à se invicem realiter dividi, in nullo tertio identificatas, & sinè ullâ physicâ inter illas relatione distingui propter solam earumlimitationem.

Examinantur quædam alia Divinæ singularitatis argumenta.

10. PROPONIT Suarez disp. 29. metaphy. quædam ad probandam Dei singularitatem argumenta, quæ non carent difficultate; & indigent examine. Primo refert sect. 3. num. 9. ex Divo Thoma lib. 1. contra Gentiles cap. 42. id esse speciale enti, quod per se est necessarium; ut habeat necessitatem essendi, quatenus singulare est: Si enim essendi non habet necessitatem, quatenus singulare; singularitas ipsius non esset necessaria: Hoc est, posset non esse; & haberet existentiam ab alio dependentem. Præterea non potest quicquam existere nisi ut est hoc singulare, & individuum: Ergo quatenus tale, est immultiplicabile: Non enim singularitas & individualitas potest multiplicari.

11. Ex his confici videtur, entia per se necessaria, sivè improducta, non posse esse plura. Hoc inquam argumentum relatum à Suare; licet alioqui subtile videatur, & in Divo Thoma fundetur, nec ab ipso Suare nisi obscurè, improbetur; non est solidum, nihilque concludit. Nam si plures Dij essent, suam quilibet individualitatem haberet. Atquè ita in diversis diversæ forent individualitates sub generico individualitatis conceptu multiplicatæ. Nihilominus tamen vniuscujusque Dei individualitas particularis nulli alteri Deo communicaretur, nec secundum illam multiplex posset esse Deus. Quemadmodum cum plures homines existunt, suam quilibet sic habent individualitatem; ut individualitas unius (putà Petreïtas) sit incommunicabilis, nec possit esse alterius, quàm hujus Petri. Atquè adeo si Petreïtas ipsa quæ est hujus individualiter Petri, v. c. includeretur intra essentiam & naturam hominis non posset esse nisi unus homo, nimirum hic Petrus. Sed non est ita in hominis naturâ. Nam ea capax est multiplicis individualitatis, nimirum Petreïtatis, Pauleïtatis, &c. Nec magis unam quam alteram includit, cum nulla nominatim sit ipsi intrinsecè necessaria. Vnde fit ut homines plures esse possint per singularitatum multiplicationem. Eodem igitur modo qui plures vellet fingere Deos, posset dicere quemlibet eorum suam habere particularem individualitatem ab aliorum individualitate distinctam. Quarum individualitatum plurium unaquæque nominatim & particulariter sumpta, immultiplicabilem faceret esse Deum quem constitueret: Sicut de facto accidit Deum hunc nostrum, qui nunc re existit, constitui immultiplicabilem per suam hanc nominatim quam habet particularem singularitatem. Et quia hic ipse Deus omnem possibilem includit & absorbet in se perfectionem; hinc fit ut nulla sit alia possibilis singularitas, præter illam quam ipse habet. Atque ita nullus præter hunc unum possit esse Deus: Oriturque illa impossibilitas, cùm ex tali singularitatis eminentia, tùm ex natura divina; quæ ob omnimodam suam perfectionis plenitudinem incapax multiplicationis, non potest compati aliam singularitatem præter illam particularem quam habet, in sua inclusam essentia formaliter.

12. Quasdam alias rationes disp. illa 29. Suarez sect. 3. proponit, quibus nonnulli probare contendunt vnitatem Dei. Cæteris rationibus quas apud illum authorem videre potes omissis, hanc solam exponam. Si plura, inquiunt, essent entia increata per seque necessaria; deberent ea esse, vel solo distincta numero, vel etiam specie. Neutrum dici potest: Ergo, &c. Probant priorem partem, minoris; quod nempè non differre possent numero: Quia in entibus per se necessarijs seu nullam habentibus causam, cujus vel voluntate vel modo agendi sistatur in aliquo numero, non potest limitari possibilitas individuorum ad certum numerum. Igitur si duo vel tria Deorum individua possibilia essent, possent esse (quo nihil absurdius) infinita: Imò non tantum esse possent, sed actu & ipsâ re essent. In entibus enim necessarijs & increatis non est posse esse, sed actu esse. Quis vero admittat existere posse actu infinita entia improducta sivè infinitos Deos? Probant alteram partem minoris, quod scilicet non possent plura talia entia distingui specie. Argumentanturque supponentes, ea quæ differunt specie debere esse necessariò inæqualia secundùm receptam Philosophorum sententiam fundatam in Aristotele 10. metaphys. textu 5. Vnde species omnes vulgò se habere dicuntur ut numeri; quos constat esse inter se inæquales. Atqui repugnat entia, quæ sunt per se necessaria & increata; inæqualitatem naturæ, perfectionumque essentialium habere. Ergo, &c.

13. Istud ad vnitatem Dei evincendam argumentum, quod Suarez sect. 3. num. 15. & sequentibus non improbat, rejicit meritò Ariaga disp. 2. licet in eo impugnando quædam incerta afferat audaciùs num. 44. ut cùm significat non satis ostendi impossibilia esse infinita entia increata, & per se necessaria: Non etiam sequi ea posse esse infinita ex eo quod duo vel tria esse possent: Item individuorum sub diversis speciebus possibilitatem ait se inequaliter multiplicabilem; quare plures esse possibiles arenas, quàm homines, &c. Denique non convinci posse qui diceret contineri sub ente increato duo vel tria individua, nec plura, nec pauciora. Prætermissis hujusmodi Ariagæ dictis, censeo prædicti argumenti longè aliter ostendendam esse imbecillitatem. Atque ut quàm nullius sit momenti appareat, concedendum est quod intendit; nempè, si plura supponerentur entia increata per seque necessaria, debere ea esse vel solo distincta numero vel etiam specie. Præterea si solo numero distincta essent concedendum est, posito quòd duo vel tria eorum individua possibilia essent, fore possibilia pariter infinita alia. Si autem distincta essent specie, nihil hic interest; an æqualia inter se, an vero inæqualia dici possent, neque id examinare opus est. Itaque si plura supponerentur esse entia increata, fateor totum quod in illo argumento ex tali suppositione infertur. At nego posse prædictam admitti suppositionem.

14. Asserendum enim est naturam Dei sivè entis increati includere intrinsecè & essentialiter immultiplicabilitatem, neque habere tanquam ratione distinctam & addititiam, differentiam suam individualem sivè singularitatem; eo modo quo Petreïtas accidit naturæ humanæ: Sed ita illam vnicam, quam habet, individualitatem possidere; ut sit incapax omnis alius individualitatis; & nullam aliam increatam individualitatem esse possibilem. Vnde fit ridiculam esse, ac stultam illam suppositionem, si plura

essent entia increata seu plures Dij; sequeretur distingui illos, vel numero, vel specie. Quemadmodùm si natura humana essentialiter includeret hanc certam, & determinatam Petreïtatem; supponi non posset plures esse homines naturam illam humanam habentes, Petrum, & Paulum, Ioannem; &c. Videri potest, quod paulò ante diximus num. 6. usque ad 10. Mirum est Suarem auditâ hac suppositione (si darentur duo entia improducta) non illam procul rejecisse, sed in illius explicatione num. 15. & sequentibus multum operæ impendisse.

CAPUT VII.

Refelluntur illi, qui inter Christianos vnitatem Dei, aut hæreticâ obstinatione impugnarunt, aut animo non malo minùs commodè explicantes errarunt.

1. NONNULLI quondam hæretici (quales Ariani & Macedoniani) pessimè de Divino Numine sentientes, Trinitatis mysterium ita oppugnarunt; ut Dei unitatem non minùs scelerate, quam si eam negarent, viderentur asserere; cùm naturæ increatæ gloriam Filio & Spiritui Sancto abrogantes vnicæ Patris addixere personæ. At Deorum pluralitatem aliæ ex adverso variæ introduxerunt hæreticorum factiones. Duos quidem Cerdon Deos asseruit: Post hunc Marcion tertium insuper ascivit, ut testis est Tertullianus lib. 1. contra ipsum: Et sic (ut refert Epiphanius. lib. 1. adversus hæreses hæresi 42.) tria invexit principia: Vnum ἀόρατον, ἢ ἀγαθὸν θεὸν μηδὲν κτίσαντα *Invisibilem & bonum Deum nullius creatorem rei: Alterum* ὁρατὸν ἰουδαίων, ὃς κτίστης ἢ κριτής Visibilem Iudæorum Deum, conditorem mundi, & judicem: Tertium vero Diabolum, & medium duorum prædictorum Διάβολον δὲ τρίτον, ἢ μέσον τ̃ δύο τούτων. Duos item Deos commenti sunt (eodem Epiphanio teste, hæresi 66.) Manichæi, unum bonum, alterum malum. Secuti sunt hi Cherintum, Basilidem, Saturninum; qui primo sæculo Deum Hæbreorum, creatoremque mundi à bono Deo distinxerunt. Triginta Valentinus Deos, quà masculini, quà fœminini sexus confixit; quos Αἰῶνας vocavit: Ex quibus propagata sit numerosa cælitum posteritas; & in eâ Christus, Pandoræ instar Hesiodiæ. Istiusmodi commenta hominum, sub nomine Christiano Gentiles ipsos Poëtas impia fingendi libertate superantium, non tantum pluralitatem divinitatum, sed inequalitatem etiam inter illas confingebant.

2. Verum Tritheitæ in Patre, Filio, & Spiritu Sancto tres Divinitates inter se æquales commenti sunt. Vel ita, ut singulas censerent esse velut partiales; quarum vniversarum collectio unam totalem Divinitatem, vnumque completè Deum conficeret: Vel ita, ut tres ipsæ personæ, unus per mentis nostræ præcisionem essent Deus, consubstantialitate seu genericâ, seu specificâ. Cujus parentes hæreseos fuisse Peratas ait Theodoretus lib. 1. hæret. fabularum cap. 19. Peratis accensendus est, teste Nicephoro, Philoponus, eodem philosophans modo de divinis, quo nos de humanis solemus, personis; & sentiens cuilibet seorsim personæ Trinitatis suam inesse individualem naturam nulli alteri propriam μερικωτάτην ἢ ἐδὶ ἄλλῳ ἐφαρμόζουσαν ὕπαρξιν. A tribus tamen ipsis personis aiebat abstrahere nos posse unicam naturæ divinæ rationem τὸν κοινὸν φύσεως λόγον θεωρεῖσθαι. Quo philosophandi modo aliqui sancti Patres optimâ quidem mente, sed non satis accommodatè ad eius quam profitebantur atque tuebantur fidei Catholicæ normam, usi sunt contra consubstantialitatis hostes. Cum enim Arianorum pessimi Anomæi objicerent; non unam esse posse, si (ut vult fides Catholica) filius æquè Deus sit ac pater, naturam divinam; quarè non minùs Catholicos ipsos, quam Anomæos debere fateri Patrem & Filium dissimiles esse naturâ. Sanctissimi quidam tunc Ecclesiæ Doctores, ut quæstioni satisfacerent, quam solam de unitate naturæ divinæ illa movebat Anomæorum objectio; non aliud sibi tunc incumbere putaverunt, quàm ut modum excogitarent; quo unam & eandem dici posse Divinitatem defenderent, quæ in divinis pluribus reperiretur personis; & quò plures per unam Divinitatem personæ, dici debeant unus Deus; ad eam naturæ vnitatem confugerunt, quâ vulgò dicimus Petrum & Paulum eiusdem esse naturæ.

3. Cumque aliam vnitatem præter specificam in præsenti de Deo quæstione satis non attenderent, atque hanc specificam vnitatem ad importunam prædictorum Arianorum objectionem abigendam sufficere judicarent; usque eo descenderunt; ut in ipsis etiam personis humanis non plures homines dicendos esse affirmarent, sed unum, propter unitatem humanæ naturæ; quæ natura una est in se ipsam unita (ut ait Nyssenus in libro qui inscribitur, Cur non tres Dij.) Licèt enim in multitudine appareat; non tamen cum singularibus quibus inest dividitur: Μία πρὸς ἑαυτὴν ἡνωμένη, κἂν ἐν πλήθει φαίνηται, καὶ τοῖς μετέχουσιν αὐτοῖς ἀδιαίρετον. *Quare foret* (ut idem author ait) *consuetudo auferenda; quâ dicimus Petrum, Paulum, & Barnabam esse plures homines: Sed is modus, qui quoniam nimis invaluit toleratur in rebus creatis, non potest in divinis propter Polytheismi periculum tolerari.* Ita ille. *Petrus non est Paulus, nec Paulus est Petrus,* (inquit pariter Cyrillus Alex. lib. 9. in Ioannem) *manent tamen indistincti naturâ: Vna enim est in ambobus ratio substantiæ* εἷς ἀμφοῖν τῆς οὐσίας ὁ λόγος. Platonica Philosophia, cui potissimùm dediti erant illi patres, fecit; ut (ne cogerentur contra fidem orthodoxam tres personas, quæ Divinitatem haberent, esse plures Deos) maluerint quidam diffiteri tres personas humanitatem habentes, esse plures homines. Non satis nimirum attendebant, unitatem Divinitatis posse esse individualem in pluribus personis; humanitatis autem vnitatem non posse esse in pluribus, nisi specificam.

4. Non malo item animo erravit circa Divinitatis in Trinitate vnitatem Abbas Ioachimus, affirmans tres personas esse unam essentiam collectivè tantùm eo modo quo Suares explicat lib. 2. de Trini. cap. 1. Negabat scilicet intelligere se posse, quòd magister sententiarum lib. 1. dist. 5. docuerat; *Quandam summam rem esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; & illam non esse generantem, neque genitam, neque procedentem.* Putabat enim ex eâ doctrinâ sequi, in Deo esse cum tribus personis

quartam rem; quæ nec produceret, nec produceretur; atque ita pro Trinitate induci quaternitatem. Damnavit, si non personam, saltem illius doctrinam Abbatis, (viri alioquin pij) Concilium Lateranense sub Innocentio tertio, definiens in terminis id ipsum, quod ille Abbas in Magistro improbaverat; & affirmans non esse propterea in Deo quaternitatem: Quia qualibet trium personarum est illa res, quæ non est generans, neque genita, neque procedens. Vnde fit, ut quoniam illa res, nempè Divinitas, nec producens, nec producta in tribus realiter distinctis reperitur; tres unus sint indistinctus Deus. *Non sunt tres Personæ* (inquit Augustinus lib. 7. de Trinitate cap. 6.) *vna essentia eo modo quo tres statuæ sunt unum aurum: Nam in tribus statuis æqualibus plus est auri tres simul, quàm singulæ statuæ: Et minus est auri una, quam duæ. At in Deo non major essentia est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus simul, quàm solus Pater aut Filius.*

5. Cum tàm hæretici, quos superiùs attulimus, quàm boni illi sanctique viri, qui in explicanda Divinitatis unitate, de recta fidei orthodoxæ doctrina, inscij, minusque cauti, deflexerunt, authoritatem Scripturæ sacræ non recusent; in promptu est multiplicem ut iis satisfiat adducere authoritatem. Vbique enim sacræ literæ de Deo ut unico, & singulari, nunquam autem de illo ut multiplici, loquuntur. Imo in toto veteri testamento mysterium Trinitatis eo consilio fere tacetur, nec nisi ænigmaticè valdeque obscurè insinuatur; ne scilicet Iudæi ad idololatriam proclives, plures esse Deos sentirent: Cujus periculi vitandi causâ, disertè ac reflexè Deum non esse plus uno locis fere infinitis veteris Testamenti Scripturæ monüerunt. Pauca hic referre sufficiat. Deuteron. cap. 4. *Dominus ipse est Deus; & non est alius præter unum.* Quorsum aliò pertinet ea Zelotypia, quâ Deus contra falsos Deos, quasi laudum suarum æmulos, (quos ideo cap. 8. Ezechiel versu 3. & 5. nominat *Idola zeli, & æmulationis*) passim accenditur? Dignitatis suæ & honoris summi amans in quantam suspicionem gloriæque suæ conservandæ sollicitudinem velut revolvitur apud Isaïam præsertim cap. 44. cùm Idola quasi secum rivalitate pugnantia provocat ad concertationem; nec recusat in certamen singulare pro tuenda sua unius Divinitate cum illis descendere? *Ego primus*, inquit, *& ego novissimus, & absque me non est Deus. Quis similis mei? Vocet; & annuntiet; & ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum: Ventura & quæ futura sunt annuntient*, &c. Omissis alijs, quæ passim apud Prophetas occurrunt, non attinet novi Testamenti authoritate pugnare ad vnitatem singularitatemque Dei probandam. Quid enim aliud est tota Christi doctrina, & eius Evangelica per orbem prædicatio, quàm Idololatriæ interitus, & Deorum pluralitatis extinctio, uniusque veri Dei per Christum introducta purissima castissimaque veneratio?

CAPUT VIII.

Circa unitatem Dei mystica consideratio.

1. CVM unum ex Aristotele in Metaphysicis definiatur, *indivisum in se, & divisum à quocumque alio*; consequens est, ut quo magis aliquid ab omni intra se divisione abhorret, atque quò majore divisione à quocumque alio separatur; eo majorem perfectionem obtineat unitatis. Quare Deum, qui summâ quâdam est, & indivisione in se, & à quocumque alio divisione, oportet summo infinitoque modo esse quà unum, utpote in se contractissimè collectum; quà vnicum & in divino fastigio solitarium, utpote ab omni alia re immenso intervallo sejunctum. Vnus quidem & in se indivisus quàm perfectè sit, constat ex iis, quæ de illius simplicitate à Theologis vulgo disputantur contra formalem distinctionem, quam Scotus in Divinis asserit. Nos quidem in tract. de Trinitate lib. 3. cap. 5. & 6. ostendimus attributa divina absoluta, cùm á se ipsis invicem, tùm à perfectionibus relativis ac personalibus realem nullam distinctionem habere; sed eorum realem vnitatem, ænigmati similem, mirabiliter confundi cum ipso etiam trium realiter distinctarum personarum numero: Itaut impunè quantum vnitas in multiplicitatem numericam extenditur, tantùm in vnitatem numerus contrahatur: Atque ita tres personæ inter se realiter oppositæ habeant distinctionem aliquo modo indistinctam; & simul conservent permixtam complicatamque cum reali pluralitate unitatem perfectissimam; quam Dionysius vocat ὑπερηνωμένην ἑνάδα.

2. Quod autem Deus, quàm perfectè vnus & indivisus in se est, tàm sit perfectè vnicus, & infinitè divisus à quocumque alio, inde eminet (quòd nemo est, qui ignoret) tanto illum intervallo distare à creatis omnibus verisque essentiis, quanta est in ipso substantiæ perfectionisque latitudo. At longe, inquam, majus est intervallum distantiæ inter ipsum & essentias impossibiles & nominatim Deos commentitios. Quod ut intelligatur, faciamus plures re existere veros, per impossibile, Deos. Ab his, si reales existerent, nemo est, qui nostrum hunc & re existentem Deum non fateatur omnino fore distinctum, atque divisum. Atqui constat ipsum infinitè magis divisum distinctumque intelligi quando omnes illi alij Deastri, cum quibus ipsum cogitatione comparare possumus, cognoscuntur esse fictitij, ac impossibiles. Quamobrem concludendum est Deum, qui in se unus est ὑπερηνωμένος. Propter suarum intra se perfectionum indivisionem, unicum perfectissimè esse, & sine paris vllius æqualisve consortio propter summam à quocumque alio ente possibili, & multo majorem ab omni impossibili divisionem, atque distantiam. Nobis jam de uno disputandi locus non est: Erit autem, cum de divinis in se indivisis attributis: Nunc solum de vnico, & eius à quocumque alio divisione moralem hic aliquam considerationem instituimus.

Cæcitas Idololatrarum chimæricam Deorum pluralitatem colentium.

3. Deum ut Athei verum, sic Idololatræ vnicum atque in Divino fastigio solitarium existere negaverunt. Longè porro plures inventi sunt hi, qui multiplicem, quam illi qui nullum habere se professi sint. Innumerabiles enim in omnium terrarum ac gentium orbe legimus non tantum homines, sed populos integros; qui vaga idolomaniæ impietate infinitam Deorum, eamque diversissimam varietatem amplexi fuerint; & non cælestes solum, sed & infernos, & maritimos, & sylvestres, & montanos coluerint. Tantaque nonnullorum cæcitas fuit; ut agnoscere se Iudæorum, Christianorumque Deum profitentes; non tamen illum nisi promiscuâ cum falsis alijs suis Diis religione haberent: Sic legimus lib. tertio Regum cap. 20. Syros verum Israëlitarum Deum non aliter, quàm velut montanum aliquod numen agnovisse; quod posset in sua montium ditione victoriam suis cultoribus tribuere; quam non valeret, si in vallibus & in campestribus pugnaretur, concedere. Quamobrem spuriam illam erga se religionem improbans reiiciensque Deus verus Prophetam misit; qui ad Regem Israël talia loqueretur: ***Quia Dixerunt Syri, Deus montium est Deus, & non est Deus vallium; dabo multitudinem hanc grandem in manu suâ.*** Paulòque post in campestribus commisso prælio percusserunt filij Israël de Syris centum millia peditum in die una.

4. Illustrius est quod narratur Danielis cap. 2. quomodo Nabucodonosor demiratus explicationem mystici sui somnij, quâ Daniel aperuerat quid statua, quæ illi secundum quietem visa erat, de quatuor Monarchiis portenderet; Deum Danielis illicò veneratus sit: ***Vere Deus vester***, inquit, ***Deus Deorum est.*** Non tamen tunc Rex ille suos falsos ejuravit Deos; quin potiùs ipso loci temporisque vestigio ab idololatriæ actu non discessit; sed illam voluit adversus Danielem exercere: Quem scilicet cadens in faciem suam adoravit; atque hostias & incensum præcepit ut sacrificarent ei. Sed quæ detestabilior excogitari potest, quàm ejusdem Nabucodonosoris idolomania: Cùm seipsum honore Deorum immortalium ita consecravit; ut illis etiam Dijs, quos ipse adorabat præferri vellet, seque solum in statua adorari, quam auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex statuerat? In eo ipso idololatriæ, sibi tanquam præcipuo solivè numini exhibitæ, usu; idem Nabucodonosor tres pueros in medio fornacis ardore impunè ambulantes conspicatus, non potuit se tenere, quin ipsum Iudæorum agnosceret, atque proclamaret Deum; erumpens in hæc verba cap. 3. ***Benedictus Deus, qui misit Angelum suum, & eruit servos suos. A me ergo positum est hoc decretum ut omnis populus, tribus, & lingua quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrah, Misach, & Abdenago, dispereat. Nec enim est alius Deus qui possit ita salvare, &c.*** Quid Darius Medus? Danielem ille cap. 6. postquam in lacu leonum invenit obstupefactus incolumem; illicò Deum Iudæorum suis accensuit, anteposuitque Diis. Scripsitque vniversis populis, tribubus, & linguis habitantibus in vniversa terra: ***Pax vobis multiplicetur: A me constitutum est decretum ut in vniverso imperio, & regno meo tremiscant, & paveant Deum Danielis, &c.***

5. Cùm vniversus hic mundus (sicut supra demonstratum est lib. 1. cap. 1. num. 8. & sequentibus) creatoris sui laudem vndique vocalis, suæ pulcritudinis modulatione persequatur; tùm vero nullus majore creaturarum contentione clamor per omnes latè partes profunditur, quàm qui divinam vnitatem singularitatemque celebrat. Cum enim mundus & vnicus & ab unico sit conditore productus; atque ita monas dici à Trismegisto rectè potuerit Monadem genuisse; quid justius ipse mundus? Quid aptius unitas illa seu monas genita facere potest, quam genitricem suam creatricemque unitatem Monademve celebrare? Et ut Monas ea quæ genuit, reflexit in se, ex ea quæ genita est Monade, sui amoris ardorem: Sic debuit ipsa quæ genita fuit Monas, ad eam quæ se genuit Monadem totum grati sui animi referre fervorem. Præsertim cùm creaturæ, tanquam ex eodem ortæ sorores parente, diversos nequeant, ad quos referant suum genus, authores agnoscere; sed unum & idem, licet alioqui trinum, agnoscant omnes stirpis suæ commune principium: Quare scriptura sacra, (inquit Dionysius de div. nom. cap. 13.) Deum, licet trinum, sub vnitatis nomine celebrat Ἡ Θεολογία τὴν θεαρχίαν ὑμνεῖ τῇ τοῦ ἑνὸς ἐπωνυμίᾳ. Καὶ εἷς θεὸς ὁ πατὴρ, καὶ εἷς Ἰησοῦς χριστὸς, καὶ ἓν τὸ πνεῦμα διὰ ἀμέρειαν, ἐν ᾗ πάντα ὑπερήνωται. Hoc est; ***Doctrina sacra summam Divinitatem laudat vnius cognomine. Atque vnus Deus pater, & vnus Iesus Christus, & vnus Spiritus Sanctus, ob indivisibilitatem, in qua superuniuntur omnia.***

6. Istam tuam, ô mundi conditor ac rector, singularitatem non tantum suæ pulchritudinis objectu, sed & actionibus, motibus, ministeriisque suis creaturæ declarant, & extollunt. Quis enim æqualitatem motus, conversionem Cœlorum, Solis, Lunæ Syderumque progressus, ordinem, vires, affectiones, & in naturam inferiorem vtilitates defluas? Quis mirabilem rerum omnium, quâ superiorum, quâ inferiorum inter se proportionem tantoperè consentientem, & conspirantem? Quis continuatam superiorum, inferiorumque corporum cognationem attendens, non intelligat in tanta corporum multitudine disparique functione omnia ad unius solius providentiam, curationemque revocari? Nec plurium præfectorum dissimili prudentiâ, dissociatoque consilio administrari sic posse; ut nihil in totâ naturâ inveniatur, quod non ad eundem, quem reliqua cuncta intendunt, scopum dirigatur; aut quod, à cæterorum itinere deerrans, aliorsum tendat? Quemadmodum si quis ad quendam exercitum, aut civitatem, magnamve domum venerit; cùm videat omnium rerum unam rationem atque disciplinam esse; & singulos sivè in exercitu administros belli, sivè in civitate politicos magistratus, sivè in domo magna splendidaque famulos officialesque simili omnes proposito & unâ mente eodem tendere, atquè ad unum aliquid properare; non poterit negotia illic diversis sejunctisque plurium moderatorum consiliis fieri judicare; sed esse unum aliquem intelliget, qui solus præsit, & uno cujus omnia consilio, jussuque dirigantur. Præcipuus incarnati verbi scopus fuit; ut notitiam hujus unitatis (quam soli in mundo homines, ad omnium surdi voces creaturarum ignorabant) induceret, multitudine Deorum exterminatâ, & idololatriâ funditus deletâ. Quod magno miraculo factum est, evidentissimoque ad Christianæ fidei credibilitatem argumento.

7. Qui enim Christianâ excelluere sapientiâ sicut cum Atheis bellum pro Deo, ut vivo ac vero; sic etiam inexpiabile feliciſſimo ſucceſſu cum Gentilibus & Idololatris pro illo ipſomet, ut unico, ſuſceperunt. Sed cùm pauciores, minuſque potentes fuerint Athei; totâ vis concertationis cruentiſſimique belli fuit cum Gentilibus. Qui idololatriam tuendi, non dicam ſtudio, ſed furore ac rabie (pro ea quâ mundum opplebant multitudine, & regebant poteſtate) turbulentiſſimas pro aſſerenda ſuorum pluralitate Deorum, contra piorum conſtantiam & in vnico aſſerendo Deo fidem, perſecutiones, (quas in Romano Imperio Auguſtinus quatuordecim numerat) commoverunt. Ita ut miranda ſit eius providentia Numinis (contra cujus vnius nomen infinita falſorum Deorum turba inſurgebat) Chriſtianos ſævis illis fluctibus agitatos non ceſſiſſe tam fœdæ tempeſtati vbique ſimul ab omnibus Provinciarum Præſidibus excitatæ.

LIBER TERTIUS.

De Divina Eſſentia.

VULGARI vſurpatur adagio, Sapientiâ præditum illum eſſe debere ſingulari, qui rebus, licèt obviis ſenſuque perceptis, conſentaneum poſſit nomen imponere. Quàm igitur altiore opus eſt mente ſi agatur non de cujuslibet rei ſimplici excogitando nomine; ſed de Divinæ naturæ lucem inhabitantis inacceſſibilem deſcriptione, ac velut integra definitione tradenda, quæ aliquam ipſius notitiam informationemque imprimat? Quandoquidem Angelica Theologia, nè tantæ majeſtatis opprimatur gloriâ, iiſdem alis, quibus ad eam propiùs accedere non audet ſuos ſimul oculos, & illius faciem obtendit, Iſaïæ cap. 6. Quis tam ſublimis naturæ veram definitionem inter homines quærat? Cum nèquidem proprium ſuum nomen aliud habere nos Deus voluerit, quam illud quod ſolis mutis conſtat literis, quæ punctis deſtitutæ ſint vocalibus; ſinè quibus ipſarum non ſolum vim, ſed & ſonum ignorare nos neceſſe ſit. Nihilominus quia non licet in eius Dei omnimoda ignoratione verſari, quem colere jugiter debemus, & in cujus cognitione teſtatur Chriſtus Ioann. 17. vitam contineri æternam; ideo Theologis incumbit, illius notitiam aliquâ deſcriptione ac velut definitione aperire. Quod nos hoc libro præſtabimus. Et primo quidem loco nitemur oſtendere, quomodò ſummum illud Ens omnem ſic abſorbeat entitatis poſſibilitatem; ut præ talis immenſitate pelagi, creaturæ omnes quaſi ſtilla ſitulæ; aut potiùs quaſi non ſint reputentur, ut inquit Iſaïas cap. 40. meephes nechſebu. *Secundò inquiremus, quodnam poſſit aliquatenus concipi Dei conſtitutivum, atque diſtinctivum: Tertiò an exiſtentia formalis in eius eſſentia includatur. Quartò agetur de genericis in Deo prædicatis vſque ad individualem differentiam. Quintò, inquiremus an attributa & perfectiones ſimplices omnes ejus eſſentiam formaliter ingrediantur. Librum tandem claudemus piâ circa infinitum Divinæ pelagus eſſentiæ conſideratione, declarantes quàm ſit illo ſuo mirabilis in alto Dominus.*

CAPUT

CAPVT I.

Deus rationem Entis propriè sumptam aliquomodo solus possidet.

1. SVPPONENDUM est vniuscujusque rei essentiam id vocari, quod est illius plenè constitutivum & simul distinctivum, radixque omnium quæ ei propria adjunguntur. Nam quandò suâ definitione essentia quædam explicatur, supponitur primò aliquid commune seu genericum, quo ea confunditur cum alijs multis; quare cùm nondùm essentialis habeatur conceptus rei, prout in se tota est, debet quippiam aliud addi. Oportet scilicet illud genericum vagumque restringi per differentiam, quæ sit rei ut vltimò constitutiva, sic & distinctiva. Postquam autem ille habetur conceptus qui præter genus commune latèque pertinens, differentiam continet adæquatam plenèque adstringentem; tunc nihil potest ad rei veram essentiam desiderari. Quidquid enim postmodùm concipitur intra rem advenire, id ab essentia profluit, & ad eam comparatur quasi ad radicem. Hoc supposito, cùm nunc quærimus in quonam Dei consistat essentia; conceptum investigamus, qui sit eius plenè constitutivus atque distinctivus. Qui Divinæ conceptus essentiæ quàm sit mortalibus difficilis, constat ex Dei incomprehensibilitate. Nec abs re fuit, quod Simonides inter Ethnicos de natura Dei ab Hierone tyranno rogatus, spatium sibi tridui ad cogitandum petierit, deindèque hoc elapso spatium aliud duplo majus, iterum iterumque sine fine petierit.

2. Veruntamen quamuis tantoperè Dei conceptus emineat, vimque omnem creatæ aciei, dum perstringit, obscuret; fieri non potuit; quin ex summo infinitarum perfectionum fulgore aliquis radius mentem Philosophorum etiam Gentilium, dum mundi pulchritudinem admirabantur, penetrarit; ut possent aliquod primum Ens, & ut Plato prædicavit primum pulchrum agnoscere; quod semper existens nullam habuerit causam τὸ ὂν ἀεὶ γένεσιν οὐκ ἔχον, inquit ipse Plato in Timæo. Ita etiam Plutarchus, cum inscriptum in vestibulo templi Delphici monosyllabum illud verbum Εἶ exponit in libro ea de re edito, ait illo programmate Delphico significari naturam Dei; asseritque illam vocem Εἶ (quæ idem est, ac (tu es) & id quod per excellentiam Ens sit, declarat) primam esse salutationem; quâ Deum ipso ad templum ingressu compellare debeamus, tanquam summum solumque verum ens venerando Ἡμεῖς ἀμειβόμενοι τὸν θεὸν Εἶ φαμὲν, ὡς μόνην μόνῳ προσήκουσαν τὴν τοῦ Εἶ προσαγόρευσιν. Hoc est, *Nos Deum alloquentes dicimus, Tu es; quasi hæc salutatio, Tu es, illi soli sola conveniat.* Refert Cyrillus hunc Plutarchi locum libro octavo contra Iulianum.

3. Eam ipsam veritatem, quod Deus sit primum & quodam modo solum Ens, nostri meliùs ac illustrius explicant quàm Ethnici. Non potest id majori explicari emphasi, quam Dionysius cap. 6. de Divi. Nomi. Hoc uno verbo declaret, quo Deum ait esse Αὐτοεῖναι, *ipsam scilicet rationem Entis*, sivè τὴν αὐτόχρημα ὀντότητα. Quomodò etiam Sanctorum Patrum non pauci creaturas præ Deo dignas esse negant, quæ existere aut entia esse dicantur; utpote quasdam tantùm, ut ita loquar, decolorationes entis. Præsertim cùm non plus uno momento vsuram habeant præsentis existentiæ; nec enim præteritam aut futuram possident. Quale sit Divinum Ens elegantibus his Nazianzenus declarat verbis orat. 36. τὸ ὂν ἴδιον ὅλως Θεοῦ, καὶ ὅλον μήτε τῷ πρὸ αὐτοῦ, μήτε τῷ μετ' αὐτὸ περικόπτεται. οὐ γὰρ ἦν ἢ ἔσται. Id est, *Ens vere proprium est Dei & solum: Neque circumciditur, carens eo quòd antè fuerit, aut quòd postea futurum sit. In eo enim nec erat, nec erit reperitur.* Egregiè Deum non esse obnoxium abeuntis venientisque temporis fluxui indicat etiam ipse cùm illum vocat cap. 5. *Entitatem temporum, & sæculum entium* χρόνων ὀντότητα, καὶ αἰῶνα τῶν ὄντων. Quòd in ipso Deo tempora non effluant, sed sint perseverans entitas; entia vero permanentia fluant: Dum scilicet entitas permanens creaturarum tempori sic involuta, implicitaque est seu venienti, seu abeunti; ut cùm tempus in se sistere non possit, cum illo tota ipsa earumdem effluat entitas, & in momento seipsam evolando quasi relinquat. Quoties intelligentes tempus has mente volutamus particulas (nunc, instans, præsens) id statim quod hæ particulæ significant, nostra evanescens ratio perdit: Elidìtur enim, & fit præteritum. *Quæ sensibus subjecta sunt* (inquit Maximus in Dionysii quintum de Divi. nom.) *propriè non sunt entia, utporè mutabilia, nascentia, & intereuntia.* Quod evidenter in humano deprehenditur genere. *Moritur infans in puerum, puer in juvenem, juvenis in virum, vir in senem; qui erat heri, mortuus est in hodiernum. Nullus est unus; nullus est qui non multus, materiâ circa quemlibet nostrum circumagitatâ, atque labascente. Veluti vas ortuum atque interituum est tempus; cujus ipsæ appellationes; prius, posterius, erit, fuit, fatentur ipsum non esse.* Inquit Plutarchus.

4. Ex Sanctis Patribus Latinis in eam sententiam de Deo habente solo rationem Entis, unum dumtaxàt proferam aut alterum. Bernardus lib. 1. de conside. cap. 6. postquàm de Deo differens sciscitatus esset: *Quis est?* Respondet. *Non occurret melius, quàm Qui est. Hoc ipse de se voluit responderi; dicente Moyse ad populum, ipso quidem injungente, Qui est misit me ad vos. Merito quidem si bonum, si sapientem aut quicquam tale dixeris de Deo, in hoc verbo instauratur, Quod est, est; nempè hoc est ei esse quod omnia esse. Si ea dixeris, nihil addidisti, si non dixeris, nihil minuisti. Si vidisti hoc tam singulare, tam summum esse; nonne id comparatione hujus quidquid hoc non est judicas potiùs non esse, quàm esse? Quid item Deus? Sine quo nihil est. Tam nihil esse sine ipso quam nec ipse sine se potest. Ipse sibi, ipse omnibus est. Ac per hoc quodammodo solus est ipse, qui suum ipsius est & omnium Esse.* Audiendus rursum idem sermone, 31. in Cantica, ubi ait: *Quidquid veniens ex eo quod fuit, non cessat tendere in id quod erit. Transitum sanè habet per est; sed omnino non est. Nam quomodò est quod nunquam in eodem statu permanet? Solum proindè est verè, quod nec à fuit præciditur, nec ab erit expungitur, sed solum atque inexpugnabile remanet ei est, & manet quod est: Nec fuit illi sanè tollit esse ab æterno; nec erit, esse in æternum ac per hoc sibi vindicat verum esse.* Hieronymus epist. 136. *Deus solus, quia æternus est*, inquit, *essentia verè nomen tenet. Hoc enim nomen per Sanctum Angelum est delatum, Ego sum qui*

ſum & dices filiis Iſraël, qui eſt miſit me ad vos; tanquam in eius comparatione qui vere eſt, ea quæ commutabilia, quaſi non ſint. Quod enim dicitur fuit, non eſt; & quod dicitur erit, nondum eſt; Deus autem eſſe tantùm novit; fuiſſe & futurum non novit. Eodem pertinet quod de Deo Iobus ait cap. 23. *ipſe enim ſolus eſt.* Vbi Gregorius magnus rationem reddit: *Quia immutabiliter & propriè nihil eſt præter ipſum.*

5. Dubium non eſt, quin Sancti Patres, quos retulimus circa excellentiam eſſentiæ Divinæ, fundentur in eo quòd Exodi 3. de ſe protulit Deus *Ego ſum qui ſum.* Quin & Theodoretus in ſermone 2. contra Gentiles, & quidam alij Patres voluerunt, illos etiam, quos retulimus, Ethnicos indidem hauſiſſe, quæ de Divina eſſentia pronunciarunt. Quod de Platone facile ſuaderi poteſt, qui (ut refert Iuſtinus orat. ad Gentiles, dicitur Moyſen legere ſolitus; ideoque vocatus eſt à Numenio Μωυσῆς ἀττικίζων. Iudæos autem neceſſe eſt, quod incorruptè de Divina ſubſtantia cenſuere ex illo Exodi loco ſumpſiſſe; utpote in Hebraica lingua verſatiſſimos. Quorum Doctores in ſacræ Scripturæ litteris ad ſuperſtitionem vſque numerandis tempus inſumunt, ideo dicti *Sopherim* ſivè numerantes. Locus autem inſignis circa quem nunc voluimur, ſic habet (Deo reſpondente Moyſi nomen ipſius ſciſcitanti) *ehieh aſcher ehieh* hoc eſt, ero qui ero. Pro quo Græce reddidere Septuaginta ſenes Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. Quos noſtra ſecuta eſt verſio, *Ego ſum qui ſum.* Sub quod reſponſum addidit exinde ipſe Deus concepta verba, quibus Moyſes deberet filios Iſraël admonere, *ehieh ſchalacni elechem,(ero miſit me ad vos;)*ſivè ex ſeptuaginta ὁ ὢν ἀπέσταλκέ με πρὸς ὑμᾶς: *qui eſt miſit me ad vos.* Vbi in ſuis verſantes Iudæi Doctores audiendi, nec rejiciendi ſunt.

6. Rabbi ergo Moyſes Majemonides lib. 1. more Nebochim cap. 63. admonet eos, qui primoribus labris Hebraïca non guſtarint, vocem *ehieh*, quæ prima eſt futuri perſona, ad verbum *haiah* pertinere, quod eſſe ſignificat. Totumque myſterium, quod prædicto Exodi loco continetur, eſſe ait quod in illa Dei facta Moyſi reſponſione repetatur per modum attributionis ſeu prædicationis eadem dictio; atque ita prædicatum propoſitionis ſignificans exiſtentiam, non differat à ſuo ſubjecto; & propoſitio ſit identica nihilque aliud in prædicato formaliter quam eſſentiam ſeu exiſtentiam afferat de illo ſubjecto, in quo nihil item aliud præter exiſtentiam, ſeu eſſe formaliter concipitur: Quaſi Dei eſſe nihil ſit quàm ipſum eſſe: *Poſitum eſt*, inquit, *nomen primum quod ſubjecti vicem tenet* ehieh *ero*, *& nomen ſecundum quod attributum eius eſt, itidem vocatur* ehieh *ero*, *vox planè eadem cum priore: Quaſi oſtendere vellet ſubjectum ipſum nihil in ſubſtantia eſſe quam ipſum attributum. Vt hæc totius rei declaratio ſit, Deum exiſtere, ſed per exiſtentiam. Quare expoſitio illius eſt, exiſtens qui eſt exiſtens. Quaſi diceret, qui exiſtit, neceſſariò exiſtit.* Hæc illiùs explicatio obſervatioque Rabbini, & ingenioſe pia, & Theologicè vera, ex prædictis verbis Dei ſuum nomen declarantis optimè infert, non aliam naturam ipſius eſſe Dei; quàm ut non modo primum, ſed & ſolum ſit Ens propriè. Atque contra leges placitaque Logicorum novam hic eſſe formam definitionis, nullo genere, nullâ differentiâ in vnico ſimplicique vocabulo entis oſtendit.

7. Et ſanè illud τετραγράμματον nomen *Iehouah* quod Iudæi pronunciare nefas habent; ideoque ne hominum labia illud pollucrent, ſyllabis conſtans ignotis quas appellare nullus pronunciando poſſit; nihil aliud eſt, quàm myſticum *ehieh* nec enim aliundè deductum eſt (ut ex ipſa literarum conſideratione conſtat) quàm ex ipſo verbo *haiah* ſivè *hauah* quod verbum eſſentiam exiſtentiamve declarat. Et licet futurum *ehieh* venturi ſolius temporis ſignificationem habeat, qualem apud Latinos ero, atque adeo inferiorem poſterioremque partem æternitatis reſpiciens, ſolam in Deo immortalitatem deſignet; nihilominus importat anteriorem etiam temporis præteriti profunditatem τὸν ἄνω χρόνου βυθὸν, ut loquitur Nazianzenus orat. 38. itaut Deus non modo in æternum futurus & interitus expers, ſed etiam ab æterno improductus, atque, ut ἀθάνατος καὶ ἄφθαρτος ſic & ἄναρχος καὶ ἀγέννητος intelligatur; & vtraque illâ durationis differentiâ in unum conjunctâ ſempiternus, ἀΐδιος. Quod ex Hebræis ipſis Doctoribus ſumitur. Nam R. Bechai in Exodum hæc habet (ut Buxtorfi Lexicon in radice *hauah* refert) *Deus benedictus imperat tribus temporibus præterito, præſenti & futuro. Et nomen* ehieh *ſolum complectitur tria iſta tempora; eaque nomine* Iehouah *comprehenduntur.* Sed ea de re firmiorem illa Rabbini obſervatione ſermonem habemus Ioannis; qui ſuæ Apocalypſeos initio has trium temporum voces quaſi unum quid incomplexum pro Dei nomine proprio affert Εἰρήνη ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Id eſt quod Dionyſius cap. 5. de Divi. nom. ait τὸ ἦν ἐπ' αὐτοῦ, καὶ τὸ ἐστι, καὶ τὸ ἔσται, καὶ τὸ ἐγίνετο, καὶ τὸ γίνεται καὶ γενήσεται κυρίως ὑμνεῖται. Scilicet *de Deo propriè concinitur erat, & eſt, & erit; & exiſtebat, exiſtit, exiſtet.*

8. Cum nomine Dei quadrilitero (de quo nos hic hactenus) jungi poteſt quaſi idem & origine & ſignificatione nomen hoc *Iah* cùm perinde ab eodem verbo *haiah* diriyetur & exiſtentiæ firmitatem Divinæ ſignificet; quemadmodum ait Iuſtinus quæſt. 5. ad orthodoxos, interpretans dictionem Alleluia, Ἑρμηνεία ἐστὶ τοῦ ἀλληλούϊα, ὑμνήσατε τὸ ὄν. Hoc eſt, *interpretatio hæc eſt vocis Alleluia, Laudate Ens quod eſt Iah.* Illud utrumque ut proprium Dei nomen Iſaïas cap. 26. conſociat in *Iah Iehouah*, in Deo Domino. Vbi mihi videtur eſſe locus, ex quo eruatur argumentum ſatis idoneum ad probandam Chriſti Divinitatem. Quem dixerunt aliqui, ut hominem, & per incarnationem quaſi diminutum paulò minus ab ipſis etiam Angelis, intelligi nomine *Iah*; quod eſt diminutum myſticâ quadam apocope *Iehouah*. Secundum hoc ergo videtur indicare Iſaias Chriſtum ut hominem & ut *Iah* non debere ſeparari à *Iehouah*. Hæc obſervatio eo erit acceptior, quòd videatur illud Iſaïæ caput referendum eſſe ad Chriſtum.

Cum Deus dicitur non Ens, declaratur eſſe per exceſſum Ens.

9. Ei diſcurſui, quo ſuprà fuſiùs oſtenſum eſt, Deum propriè rationem entis ſolum poſſidere, nequaquam adverſatur, quòd aliunde multi Deo eſſentiam, entiſque rationem abdicaverint, negantes eam illi convenire. Nobis, inquam, iſti nihil repugnant: Quin potiùs quod diximus, cùm negare videntur, aſſeverant firmiſſimè, ſupra noſtram aſſertionem altiore aſſurgentes emphaſi. Etenim Deum (qui omnis entitatis eſt cauſa) in ſuo ſignificant non

debere contineri effectu, quem ipse continet supereminenter; itavt ultra perfectionem entitatis progressus, Ens suo nec communi modo esse videatur; atque ob nimiam essentiæ exuperantiam ab entium numero debeat eximi. Audiamus Dionysium cap. 1. de div. nom. Αἴτιον τῦ εἶ) πᾶσιν, αὐτὸ δὲ μὴ τὸ ὄν, ὡς πάσης ὐσίας ἐπέκεινα. Hoc est, *causans essentiam omnibus, ipse vero non ens, utpote omni vlterior essentiâ.* Deinde eodem capite Angelos asserit divino edoctos lumine Deum laudare omnis amotione entitatis. Mysticâ hoc idem ait elegantiâ cap. 5. *Ipsa existentia est à Deo præexistente*, inquit, *& ipsius est entitas, sed ipse non est entitatis: In ipso est entitas, non autem ipse in entitate, &c.* τὸ εἶναι ἐςὶ ἐκ τῦ προόντ☉. κὴ αὐτῦ ἐςι τὸ εἶ), κὴ ὐκ αὐτὸς τῦ εἶ). κὴ ἐν αὐτῷ ἐςι τὸ εἶ), καὶ ὐκ αὐτὸς ἐν τῷ εἶ).

10. Est verò in usu & more Theologiæ sublimioris ac mysticæ hic loquendi modus; quo Deum asseritur non habere aliquam perfectionem, cujus infinitam possidet excellentiam. Quomodo negatur habere substantiam, quia ὑπερύσι☉. Ait enim Sanctus ille Pater cap. 7. eiusdem libri, mysticos Doctores ut significent Deum habere perfectionem alicui nostræ cognominem, sed immensùm quantùm ex hac eminentem, pronunciare solitos *ἀντιπεπονθότως* illum eâ carere vel etiam eius habere contrarium Συνήθ, ἐςι τοῖς θεολόγοις ἀντιπεπονθότως ἐπὶ θεῦ τὰ τῆ ςερήσεως ἀποφάσκειν, *consuetum est nempè Theologis de Deo per contrariam quandam affectionem seu per* antiphrasim *de Deo effari & eloqui summas perfectiones nominibus privativis.* Sic asserunt Deum esse nullibi; ut indicent, non aliquo certo loco, sed esse vbique per immensitatem. Vt significent illum esse verissimam lucem & (ut loquitur Nazianzenus) αὐτοφῶς ajunt ipsum in tenebris posuisse latibulum suum, & obvolui caligine; quam sic definit idem Dionysius epist. 5. ὁ θεῖος γνόφος ἐςὶ τὸ ἀπρόσιτον φῶς. *Divina caligo est lux inaccessibilis.* Ita (quia Divinæ Sapientiæ nulla est cum creata sapientia comparatio) apex supereminentis Sapientiæ, nempè incarnatio, cruxque vivifica Christi ab Apostolo stultitia nominatur, & *quod stultum est Dei.* Itaque quo sensu de Deo negatur Sapientia, lux, in loco præsentia, &c. eodem intelligendum est de ipso entitatem negari per mysticam antiphrasin.

CAPUT II.

In quo primo plenè constitutivo & distinctivo consistat essentia Divina.

1. SVPPONENDO quod cap. præcedenti diximus num. 1. essentiam id in vnaquaque recenseri quod apparet primum & plenum constitutivum & distinctivum ipsius, & radix omnium quæ in ea sunt; plures se offerunt circa Dei essentiam opiniones quas bene refert Pater Izquierdo in suo profundissimæ eruditionis libro de Deo uno quæst. 10. Inter illas opiniones cæteris omissis tres reperio in quibus major appareat probabilitas. Eorum nempè qui docent formale constitutivum Dei, actualem esse intellectionem, quâ Deus se intelligit. Deinde illorum qui metaphysicam formalemque Dei essentiam ponunt in prædicato intellectivi radicalis, sivè in radice prædictæ intellectionis, &c. Est & tertia sententia quam laudatus auctor primo loco refert eorum qui volunt constitutivum formale ac distinctivum Dei consistere in omnium attributorum perfectionumque simpliciter simplicium collectione.

2. Atque juxta hanc tertiam sententiam mihi semper visum est commodius ac probabilius, rationem formalem & constitutivam essentiæ Divinæ assignari. Nam duæ primæ sententiæ fundantur in eo dogmate quod vsurpatur vulgo à multis, nempè cujuslibet naturæ constitutivam integramque rationem esse illam quæ prima, & à cæteris omnibus naturis distinctiva occurrit. Quod tamen dogma vniversim verum non est. Vt in quibusdam apparet exemplis. Inter quæ non valet quidem exemplum quod aliqui contra illud dogma sumunt ex materia prima; quæ in entibus compositisque physicis inter partes componentes primùm occurrit præsupponiturque formæ, & tamen certum est in illa non consistere rationem præcipuam ipsorum physicorum constitutivam entium. Responderi enim potest materiam esse quidem quæ prima in physicis compositis requiritur, sed non esse distinctivam cum sit communis omnibus. Quare id exemplum sumptum ex materia physica nihil probat contra illud dogma quod rationem constitutivam naturæ alicujus non ponit in quocumque primo, sed in primo distinctivo quale est in Deo intellectivum radicale. Itaque ut prædictum dogma evertatur sumi potest verius & solidius exemplum ex summa æternaque beatitudine. Vt multi enim gravesque Theologi sentiunt, visio beatifica primum est quidem quod occurrit in Beatitudine quatenus ejus distinctivum: Et tamen in ea præcisè sumpta non concipitur essentia Beatitudinis nisi accedat etiam beatificus amor & gaudij affectus qui ea natura rei velut quædam necessaria passio sequitur ex visione beatifica. Nam juxta definitionem sumptam ex Boëtio, Beatitudo est status omnium bonorum congregatione (atque ita non sola Dei visione) perfectus. Nec in cœlo ille foret planè Beatus, cum cujus voluntate post intellectualem visionem Deus nollet concurrere ad productionem amoris, & gaudij, &c. Vnde constat non semper id quod primum est essentiæ alicujus distinctivum, esse plenum eius constitutivum. Atque ita duas quas primas retuli superiùs opiniones non posse illius niti dogmatis fundamento.

Dico igitur primò illam (quæ est Aureoli) de Divinæ essentiæ constitutivo, sententiam quæ ipsum ponit in intellectione per se ita subsistente, ut non debeat concipi tanquam forma Dei seu præsuppositi alicujus subjecti aut actus primi, non videri probabilem cum innitatur prædicto dogmati. Præterea peccat in eo quod asserit intellectionem actualem quam Deus habet suarum perfectionum esse plenum constitutivum essentiæ Divinæ, propterea quod illa ut primum & distinctivum Dei prædicatum occurrat. Probatur. Nam falsum est primò intellectionem esse primum in essentia Divina prædicatum: Quandoquidem ipsi intellectioni præsupponitur in Deo vis & potentia, seu radix intelligendi. Quamvis enim Deus non possit esse purè in actu primo absque actuali intellectione; tamen ut semper in ipso actu secundo intelligat, necesse est ut præsuppo-

natur posse intelligere; quomodo enim intelligeret, si ad id esset impotens? Sed hac de re contra Aureolum agemus lib. sexto cùm de Divino disputabitur intellectu. Tantum hic addo; Si, ut ille vult, natura Divina constitueretur sola intellectione, dici posset ipsam intellectionem quam volitio subsequitur esse volentem & amantem: De fide siquidem est naturam Divinam velle & amare.

4. Addam item quomodò Ariaga convertat ingeniosè argumentum, quo Aureolus pro se sic argumentatur; nulla creatura est magis intellectio quàm natura Dei; sed actus nostri intellectus sunt essentialiter intellectio etiam ratione nostra; ergo essentia Dei est actualis intellectio, etiam ratione nostra, & non solum identitate reali. Hoc sanè argumentum, si quid probat, Aureolo adversatur, & probat omnes perfectiones simplices constituere Divinam essentiam. Nam similiter, nulla creatura est magis volitio, quàm id sit natura Dei; sed noster actus volitionis, &c. est essentialiter volitio, &c. Ergo & id habet natura Dei.

5. Dico secundò essentiam Dei formaliter metaphysicèque sumptam non esse solum Ens spirituale à se subsistens, nec primum radicale intellectionis. Hæc conclusio adversatur Ariagæ, qui postquam disputatione 16. sect. 4. adversus Aureolum obtinuit dari aliquid anterius intellectione quod sit in Deo radix omnium simplicium perfectionum, scilicet rationem Spiritus à se subsistentis; non cunctatur in eo constituere Dei formalem essentiam. Fundatur in eo quod juxta vulgare dogma, quod rejecimus num. 2. essentia debeat in eo consistere, quod ratione nostra concipitur tanquam primum illius distinctivum. Patet autem id quod ab illo assignatur antecedere intellectionem, nec posse quicquam prius in Deo cogitari. Quarè melior est hæc sententia quàm præcedens; neque caret probabilitate: Sed ex dictis num. 2. non habet tutum & solidum fundamentum & ex dicendis mox constabit probabiliorem esse opinionem sequentem; quâ.

6. Dico tertiò rationem formalem & plenè constitutivam essentiæ Divinæ consistere in complexione indivisibili & totali omnium possibilium perfectionum simpliciter simplicium. Itavt hæ propositiones; Deus est sapiens, Deus est bonus, justus, &c. sint essentiales. Hanc opinionem docet Suares in metaphys. disp. 30. sect. 6. & in primam partem libro primo de essentia Dei cap. 11. Canariensis àd quæst. 28. disp. 12. aliique pariter ex Thomistis infra citandis nec non ex nostris cum Suare inter quos Ruis disp. 8. de Trin. sect. 5. nu. 6. & seq. Martinonus disp. 3. de Deo sect. 8. Qui affert ut Suares locos aliquos D. Thomæ quos pro hac sententia explicant non illi tantum, sed & alii etiam ex Thomistis ut Ferrariensis, Sotus, Bannes, &c.

7. Magnum est ac præcipuum hujus doctrinæ firmamentum in Sanctorum Patrum authoritate; apud quos essentia Divina describitur tanquam immensum Pelagus complexu suo continens omnium possibilium perfectionum collectionem πέλαγος τῆς οὐσίας, ut loquitur Nazianzenus orat. 38. idque repetit orat. 42. & post illum Damascenus lib. 1. de fide cap. 12. Ruis loco citato plures affert Sanctos Patres qui dum explicant illud Exodi 3. *Ego sum qui sum*, ostendunt (inquit) qualis sit profundior & à Spiritu Sancto magis intentus illius loci intellectus: Nempè Deum quidditativè & essentialiter comprehendere & in unum colligere totam essendi rationem, seu quicquid est *esse*, non habens admixtum aliquod *non esse*; quatenùs non habet admixtam aliquam imperfectionem quæ scilicet privet aliquo esse. Idem alijs verbis significatur, cùm dicitur Deum essentialiter habere quicquid melius est esse quam non esse seu quicquid est perfectio simpliciter. Ita Ruis qui præter Nazianzenum & Damascenum à me jam laudatos, affert Hilarij verba ex lib. 9. de Trinitate. Qui post enumeratas quas Deus habet virtutes, Providentiam, Potestatem, &c. subjungit; *Non quòd Deus ita illas habeat, tanquam aliud quod extra esse credendum sit; sed quod in his ad aliquantulam sensus nostri opinionem significatus sit ipse qui habeat.* Adducit & locum Bernardi lib. 5. de consid. quem nos longè copiosiùs & ad rem istam vtiliùs retulimus cap. præcedenti, num. 4. Illustre est illud Dionysii de div. nom. cap. 5. *Deus non quodam modo est, sed absolutè sine vllo termino; vniverso illo quod est esse in se comprehenso & occupato. Neque hoc quidem est, illud autem non est; sed ipse omnia est*, οὐδὲ τὸ μὲν ἐστι, τὸ δὲ οὐκ ἔστι. οὐδὲ πῆ μὲν ἐστι, πῆ δὲ οὐκ ἔστιν ἀλλὰ πάντα ἐστίν. Idem est quod dixerat paulò ante: Αὐτός ἐστι τὸ εἶναι, καὶ οὐκ αὐτὸς τοῦ εἶναι καὶ ἐν αὐτῷ ἐστι τὸ εἶναι. οὐδὲ αὐτὸς ἐν τῷ εἶναι. *ipse scilicet est esse, & in ipso est esse; sed ipse non est in esse.*

8. Probatio nostræ hujus conclusionis quod nempè Divina essentia consistat in infinita nec explicabili omnium possibilium perfectionum aggregatione sumi etiam potest ex Augustino; qui nisi id tanquam verissimum supposuisset, nequivisset serm. 190. de tempore, dicere *Divinam essentiam talem esse quæ cùm dicitur non potest dici; cùm æstimatur non potest æstimari; cùm definitur, ipsâ definitione crescit.* Quod etiam Nazianzenus dixerat orat. 49. Ex quo loco habetur, tam immensam esse collectionem omnium perfectionum quæ sunt in Deo; ut non possit ab ullo intellectu creato formari aliqua germana illius definitio. Cùm propriè loquendo Verbum æternum suæ generationis in Trinitate sit sola eius genüina definitio.

9. Et sanè cum omnis regularis definitio constare duobus debeat, genere & differentia; evidens est neutrum posse in suprema illa essentia inveniri. Non quidem genus; nam quamvis à Deo & ab omnibus creaturis possit conceptus abstrahi vnivocus; non potest tamen genericus; qui non includat differentiam. Atque ita cum tale genus Deus non habeat, non habet etiam propriè differentiam à qua contrahatur. Quarè non potest explicari Deus per ullam propositionem, in qua subjectum non idem sit per mentem nostram cum suo prædicato. Non enim aliter potest Deus explicari quam simplici conceptu Entis à se, sivè Entis quod omni possibilitatis impetu simul ac semel continet omnia: Hoc est non aliter Deus potest describi quam si dicatur; Deus omnia possibilia continens, in eo differt à cæteris entibus, quòd sit omnia possibilia continens. Ita ut Entis omnia possibilia continentis & genus & differentia sit, omnia possibilia continere. Ille est conceptus quem de se Deus indicat illo suo (*ehieh ascher ehieh*) *Ero qui ero, Sum qui sum.* Cujus rei explicatio nihil esset quam repetitio eius quod capite præcedenti numero 5, 6, 7, & 8, diximus. Si eò recurras, nihil desiderabis ampliùs; præsertim considerandum est quod retulimus num. 6. ex R. Mose Majemonide.

10. Contra doctrinam tertiæ nostræ conclusionis tria possunt obiici. Primò quorundam Patrum authoritas. Sed illi cum attributa Dei non esse eius essentiam asserunt: Significant tantùm ea sigillatim sumpta, nempè Sapientiam, nempè Bonitatem, &c.

non dicere totam essentiam. Qui autem dicunt attributa esse circa essentiam, non negant quin ea sint partes essentiæ, circa quam considerantur. Quemadmodum qui diceret tectum, frontispicium, vestibulum, parietes esse circa domum; non ea negaret esse eius partes. Objici potest secundò; illam opinionem quæ dicit totam essentiam Dei esse Ens à se, & radicem intellectionis, omniumque sequentium attributorum; æque asserere ac nos, Deum esse collectionem omnium possibilium perfectionum in ea quodam modo contentarum radice. Respondetur Deum non tantum debere habere omnes simplices perfectiones quocunque modo; eas enim debet habere quàm potest perfectissimo modo. Perfectior autem est modus, si habeat illas formaliter, quàm si solum radicaliter. Sic perfectior est arbor quandò fructus in ramis habet formaliter tempore autumni; quàm hyeme in suâ, quam semper habet, radice.

11. Objici tertiò potest contra nostram doctrinam in his propositionibus, Deus est Sapiens, Deus est Bonus, &c. Debere præsupponi constitutam totam essentiam in earum subjecto, nempè in Deo; ut ei tanquam prædicatum superveniens tribuatur, Sapientia, bonitas, &c. Sed qui id objiciunt, non satis attendunt usitatius nihil esse, quàm ut partes constituentes essentialiter aliquod totum de ipsomet toto ut propositionis subjecto prædicentur. Quis enim non dicit Petrus est vivens, &c. licet Petrus in quo est vita nequeat ante illam præsupponi essentialiter constitutus? Quis damnet propositiones in quibus definitio de suo prædicatur definito, verbi gratia, homo est animal rationale, & peto num ea quam Ariaga tanquam legitimam Dei definitionem concinnat, de ipso Deo prædicari possit hoc modo, Deus est Ens spirituale à se subsistens?

CAPVT III.

An existentia includatur formaliter in essentia & quidditate Dei?

1. EXISTERE omni necessitate à seipso Deum evidentissimè à nobis cùm in libro primo Tractatus de Trinitate, tùm in hujus item Tractatus libro primo demonstratione multiplici probatum est: Nunc inquirendum superest, an actualis existentia (quam Deus habet, & quam ex dicendis de Simplicitate Divina certum est identificari realiter cum essentia) claudatur formaliter in ipsa essentia, seu quidditate Dei; non autem se habeat ut quædam proprietas, & ratio secundariò adveniens essentiæ priùs constitutæ; eo modo quo Paternitas (licèt sit improducta, nec eam Deus Pater ab alio accipiat, sed habeat à se ipso; & licèt sit realiter indistincta ab essentia) est tamen extra essentiam ut proprietas posterius adveniens. Et certè non videtur repugnare aliquibus, quod ipsi sibi cogitatione finxerunt, existentiam, resultare aliquo modo ex essentia Dei quasi eius actum: Itaut essentia existens dicat duo, quorum unum sit forma alterius, & ex utroque fiat concretum. Sed eâ imaginatione nihil asseri potest absurdius. Quomodo enim existentia resultare potest realiter ab eo quod ante illam acceptam nihil realiter sit? Nec verò idem est de Paternitate cui Divinitas presupponi potest, cùm non constituatur formaliter per eam existens; & sine qua in Filio reipsa existere potest. Quarè indubitatum est existentiam includi omninò in essentia quidditateque Dei, & Deum (quod nullis præter ipsum convenit entibus) essentialiter & vi sui primi constitutivi habere existentiam actualem; hoc sensu quòd si per locum intrinsecum supponeremus ipsum hodiè non existere, hoc ipso esset Ens impossibile, & absolutè nulla foret eius possibilis nec existentia nec vera essentia. Quod non est ita in creaturis. Licet enim Michaël non jam existeret, foret tamen eius essentia vera, existentiæque capax.

2. Sed attendendum est sumi non posse in Dei quidditate Ens præcisum & transcendentale, ut abstrahit à creato & increato. Debet igitur habere insuper aliquam perfectionem quæ significatur per illud additum τὸ ἀ σε, & per negationem dependendi ab ullo principio. Circa quam perfectionem quæri potest, nùm dari debeat aliquod eius fundamentum. Et quidem videtur tale fundamentum non aliud posse concipi, quàm quod omnium possibilium perfectionum collectionem cumulumque contineat; hoc est, ut illimitatum sit in genere entis absolutè sumpti. Quod enim in quodam tantùm particularis entis genere (verbi gratia in genere Sapientiæ) illimitatum est, non potest dici Ens à se, nisi quatenus cum omnium possibilium cumulo perfectionum identificatur; eamque nisi Sapientia Divina identificationem haberet, dici nequiret Ens à se; quamuis in suo Sapientiæ genere omnem possibilem perfectionem habens. At quod absolutè illimitatum est in genere entis latissimè sumpti, omnem hoc ipso, & vi illius absolutæ illimitationis perfectionem entis per semetipsum continet, nec ullius indiget beneficio principij sibi quippiam tribuentis. Quarè catenus dici debet Ens à se sibi sufficiens; quomodo à Patribus Græcis Dionysio & alijs Deus vocatur αὐτάρκης. Sunt qui illam sufficientiam & omnium illimitationem perfectionum censeant esse fundamentum & unicam rationem cur Deus dicatur Ens à se.

3. Nihilominus ut aliquis verè ac meritò asserat fundamentum & rationem cur Deus dicatur Ens à se, non apparere aliam quam illimitationem omnium perfectionum simpliciter simplicium; debet necessario supponere eas illimitatas perfectiones non fuisse ipsi Deo concessas ab ulla efficiente causa; sed ipsum illas, omneque quod est, possidere à se solo: Si enim quod est, & possidet, accepisset ab alio, non foret Ens à se. Verùm qui eo modo ratiocinatur petit principium & probat idem per idem, nempè Deum esse Ens à se non alio fundamento, quàm quia est à se id quod est. Atque ita versuram solvit, & postquam eo modo solverit tantumdem debet. Meliùs itaque dicendum videtur, rationem cur Deus sit Ens à se, non aliam assignari posse aut postulari debere, quàm quia talis naturæ & conditionis est, ut per se necessario existat, & ut consequenter sit (quemadmodum omnes illum concipiunt) Ens primum, & omnium omninò causa, origoque entium: Sivè quod sit, ut loquitur Tertullianus, *unum summum*. Est vero impossibile, ut detur primo prius, aut summo superius, per quod aliquid ipsi primò summove conferatur. Quarè cum absurdum sit velle prima principia probare à priori, eorumque causam superiorem inquirere: Et quemadmodum in qualibet inferiore natura præsupponitur ut principium definitio eius; neque post-

quam dixeris hominem esse animal rationale, potes in ea linea superiùs ascendere, nec eius definitionis assignare fundamentum. Sic antequam ullum ens creatum cogitemus existere, debemus supponere Deum, ut Ens à se, & ut principium, in quod omnium entium fiat vltima resolutio: Vtpote quod non quocumque modo sit ens, sed quod totam in se rationem essendi complectatur, & præoccupaverit Θεὸς ἤπος ἐστὶν ὤν. ἀλλ' ὅλον ἐν ἑαυτῷ τὸ εἶναι συνειληφὼς, καὶ προειληφώς, inquit Dionysius, de divinis nominibus capite quinto.

4. Cùm ex probatis libro primo constet Deum necessariò existere & ex jam dictis hoc libro intelligatur illum esse juxta rationem conditionemque suæ naturæ Ens à se, & à nullo dependens; dicendum insuper est, rationem illam essendi à se & existendi cum omnimodâ independentiâ includi formaliter in ipsâ Dei essentiâ & quidditate, seu primo conceptu naturæ increatæ. Patet. Nam essentia divina non potest comparari ad existentiam tanquam ratio quædam prior ad formam posteriùs advenientem. Si enim existentia adveniret essentiæ ut posterior; oporteret eam concipi advenire vel quasi ab extrinseco communicatam ipsi essentiæ, vel quasi ab intrinseco ipsius essentiæ profluentem, eo modo quo Divinam Paternitatem concipimus. Atqui neutrum potest dici; non prius, quandoquidem existentia à nullo potest extrinseco produci & communicari Divinitati: Sic enim Divinitas non esset primum existens, sed ante illam præsupponeretur aliud, à quo existentia ei communicaretur. Dices: Quemadmodùm Filio, qui est verus Deus, & primum existens, non repugnat existentiam communicari ab aliquo principio, quod sit ei consubstantiale; sic nec repugnat communicari Divinitati existentiam ab aliquo principio quod comparetur ad illam, ut principium Filio consubstantiale comparatur ad ipsum Filium, ac per consequens non adimeret ei rationem primi existentis. Respondeo illam imaginationem esse chimericam. Nam Filio bene potest præintelligi Pater consubstantialis, quatenus habet in priori existentem eandem substantiam, quam habet postea Filius; itavt per eandem substantiam & existentiam ambo sint unum primum Ens. At vero in præsenti fictione dici non potest principium illud, à quo Divinitati communicaretur existentia, esse ipsi Divinitati consubstantiale. Nam substantia illius principij antecedentis Divinitatem, debet in priori ante ipsam communicationem existere; cùm tamen substantia Divinitatis non possit existere in illo antecedente principio; quod nempè supponitur non esse Deus; utpotè anterius ipso nondum existente Deo.

5. Quod si principium illud supponeretur habere essentiam Dei, atquè ita præexistere verus Deus; de illo recurreret eadem difficultas; nùm existentiam accipere potuisset à præcedente principio extrinseco: Et de hoc item principio idem quæri posset; ac sic in infinitum. Si autem hujusmodi principium quod fingitur dare Deo existentiam, non habet substantiam Dei, nec est huic consubstantiale; non potest huic esse coexistentiale. Nam existentia per quam aliqua natura existit, non potest concipi esse in eo principio quod non habet illam ipsam naturam; eo modo quo Pater Divinus, cùm dat Filio existentiam, naturam etiam eandem habet, quam eidem communicat Filio. Fateor in Thomistarum de existentia opinione, secundùm quam existentia verbi communicatur humanitati Christi, videri posse locum aliquem habere chimæricam hanc objectionis fictionem. Quemadmodùm constat existentiam non posse advenire Deo quasi communicatam ab aliquo principio extrinseco; ita etiam.

6. Non potest dici alterum quod supra proposuimus; nempè quod existentia profluat instar proprietatis ab intrinseco essentiæ Divinæ. Quod enim concipitur sic profluere ab essentia, debet supponere essentiam in priori existentem; Atqui implicat, ut existentia essentiæ Divinæ supponat præexistentem ipsam essentiam. Ergo, &c. Minor per se patet. Sic enim essentia existeret sine existentiæ informatione. Probatur major. Nam resultantia & fluxus proprietatum realis non potest concipi à principio non actuali nec existente. Quomodo enim ab eo, quod non actu existit potest res actualis dimanare? nec refert quod hæc dimanatio sit tantum per rationem, utpotè entis realiter indistincti à suo principio. Id si quidem non impedit, quin ea debeat esse à Principio realiter præexistente seu existere præconcepto. Est enim dimanatio veræ, actualisque realitatis.

7. Cùm ergo ex dictis constet existentiam Divinam non posse concipi ut quid posterius adveniens seu exortum ex essentia Divina; conficitur illam debere concipi, ut in hoc formalissimè inclusam. Si enim existentia nec aliunde advenit, nec ab essentia emanat, non est vllum fundamentum, cur ambas distinguamus. Quale haud dubiè fundamentum est in essentia creaturarum; nam harum essentia verè concipitur esse in potentia objectiva antequam existat: Quarè non est mirum, si ex se abstrahat ab actuali existentia. At vero essentiam Divinam non possumus concipere in potentia: quoniam potentia objectiva dicitur solum respectu alicujus principij efficientis, seu existentiam dantis. Ostendimus autem nullum esse tale principium respectu essentiæ vel existentiæ Divinæ. Superest igitur, ut essentia Divina, si sumitur adæquatè, & quanta est, includat formaliter existentiam, & necessariò concipiatur ut entitas actualis.

8. Non est opus, ut quicquam ad eas dubitandi causas, quæ numero primo propositæ sunt, respondeamus: Nec enim aliquid ibi propositum est, quod rationis instar haberi possit, & quod aliud præter futilem imaginationem contineat. Ibidemque rejecta est illa insulsitas concipiendi superadditam essentiæ Divinæ priùs constitutæ existentiam eo modo, quo eidem ipsi essentiæ Divinæ concipitur advenire Paternitas. Rejectum pariter est, quod cùm de Deo dicimus essentiam existentem, duo significemus, quorum unum sit forma alterius, & ex vtroque fiat concretum: Ex essentia nimirum existentiaque simul in vnum junctis. Potest nullo etiam fundamento mens nostra formare similes conceptus, quosdam distinctos, quibus nulla vera subsit distincta ratio propriè objectiva; ut cùm per modum abstracti albedineitatem præscindit ab albedine, quasi à concreto; & entitatem cogitat quasi formam concreti entis; cum tamen nulla in iis sit, nè quidem rationis, compositio. Porro hæc veritas nostræ doctrinæ agnoscentis existentiam actualem in intima penitissimaque quidditate Divinitatis non obscurè significatur Exodi tertio; vbi Deus ait *Ego sum qui sum, & qui est misit me*; nam cujusque rei nomen, si à perito imponitur, sumi debet ab eius essentia: Ergo cum sibi Deus, suæ naturæ maxime conscius;

nomen imponit ab actuali existentia, satis hanc sibi essentialem esse significat.

CAPUT IV.

De genericis in Deo prædicatis & de modo quo se habeant usque ad ipsius individuam differentiam.

1. DOCTOR Angelicus quæstione decimâ tertiâ articulo vndecimo, ait rationem essendi magis propriè tribui Deo, quàm quodlibet aliud prædicatum: Et quo major determinatio fit, eò magis deficit ab eo, quod Deus est; ideoque ipsum esse indefinitè, & abstractè sumptum magis propriè declarare naturam Dei. Quod consonum est communi Sanctorum loquendi modo sæpe asserentium (ut capite tertio diximus) germanum Dei nomen esse *Qui est*: Ita ut ad explicandam eius essentiam nihil aliud videantur exigere, ut supra expositum est capite primo. Tamen sine dubio Sancti Doctores, cum simpliciter ac nudè asserunt Deum existere, nolunt abstrahere ab omni alia perfectione: Sed hoc ipso, quòd de Deo enunciantes existentiam, nihil supperaddunt, significare intendunt illam eidem quodam excellentiori modo perfectionibus ornatam competere, & ipsum esse Ens entium. Id enim habent sæpe denominationes quæ fiunt sine addito, ut rem designent, non tam ut præcisam, quàm ut modo quodam & differentia supereminenti determinatam. Ita cùm dicimus nudè Philosophum, non indicamus aliquid genericum, sed eum determinatè qui Philosophos inter summus sit. Eodem modo vrbs sine addito declarat determinate Romam, ut τὸ ἄςυ Athenas, πόλις Constantinopolim apud authores quosdam. Quod in Deo præcipuè locum habet; cùm determinatum essendi modum in tam excelso Numine exponere non possimus, nisi perpetuis loquendi improprietatibus, & per creaturarum imperfectissimas perfectiones. Porrò cum Deus excellentissimam ac plenissimam & (ut ita loquar) saturam rationem entis perfectiones omnes possibiles continentem habeat; vi solius individuæ vltimæ differentiæ, quæ illum ab alio omni ente possibili distinguit: Consentaneum videtur, ut omnes gradus genericos; per quos vsque à transcendentali entis conceptu ad vltimam differentiam soli divino Numini propriam descenditur, consideremus. Quod præsenti capite exequemur.

2. Igitur primò dubitari non potest, quin Divini natura Numinis sub ratione transcendentali Entis, (quam sibi & creaturis vel analogicè vel vnivoce communem possidet) sit substantialis, cui tanquam necessaria proprietas subsistentia triplex debeatur, ut exposuimus in Tract. de Trinitate. Nam accidentalis natura indignissima est eo Ente, quod constat esse basim atque fundamentum omnium creatarum substantiarum, est enim Deitas, ut ait Dionysius capite 1. & 4. de Divi. nom. πάντων ὑποςάτις, ϗ παντοκρατορικὸς πυθμήν. Secundò dubium non est, quin supereminens illud Esse habeat vitam. Nam incredibile tàm est vitæ expertem, quàm nullum esse Deum; qui hanc mundi pulchritudinem produxerit. Nec valet quòd vita imperfectionem habere videatur in eo consistentem, ut seipsam moveat & perficiat. Non enim propria motio seu mutatio de formali est vitæ conceptu.

3. Tertiò certum est Deum esse spiritualem & incorporeum: Nimiamque rusticitatem olet Anthropomorphitarum, & eorum error qui summo Enti corpus affinxerunt; ob quem errorem malè audierunt Tertullianus secundo libro contra Marcionem, cap. 16. Arnobius 3. contra gentes; & Lactantius primo de ira Dei cap. 8. Etenim præterquam quòd id adversatur Scripturæ dicenti Ioannis 4. Spiritus est Deus &c. per se constat molem quantitativam & partium multitudinem, cùm simplicitati Divinæ, tùm summæ obesse perfectioni intellectuali. Nam quartò indubitatum est Deum esse Ens intellectuale; cùm rerum naturam tantâ artificij subtilitate & tanto ingenio elaboraverit: Atque impossibile sit dari substantiam spiritualem, quin sit intellectualis. Quintò denique, nemo inficiari potest, quin præter jam dictos gradus (qui omnes generici sunt, & multis alijs rebus quæ Deus non sunt, conveniunt) detur alius determinatus conceptus; non quidem specificus, sed soli Deo individualiter competens, & ipsum Deum constituens, summè independentem infinitèque perfectum.

4. Circa quem conceptum adverto non eum continère differentiam quandam constitutivam; quæ ita sit formaliter una, ut non diffundatur per omnes superiores essentiales gradus. Nam per differentiam infinitè perfecti quæ Deum distinguit, gradus existentis, gradus item substantiæ, spiritus, viventis habent vnusquisque peculiarem suam variè infinitatem & propriam independentiam ac perfectionem, quâ constituantur in esse Divino. Est enim Deus non solum existens, & substantia, & vivens & infinitè perfectus; sed & formalissimè in ratione existentis infinitè perfectus; item in ratione subsistentis infinitè perfectus; in ratione item Spiritus & viventis. Quanquam notandum est reperiri aliquos in essentia Divina gradus, in quibus inter se comparatis, non eo modo quo jam explicabam multiplicentur perfectiones differentiales. Nam gradus viventis & gradus intellectualis non concipiuntur inter se habere ullo modo distinctam infinitatem & perfectionem. Cum enim Deus, formalissimè loquendo, vivat sola intellectualitate, & quà intellectualis nihil habeat quod non pertineat ad vitam, necessarium est, ut non aliâ infinitate formaliter sit intellectualis, quàm quâ vivens.

CAPUT V.

An attributa & perfectiones omnes simplices includantur formaliter in essentia Divina.

1. DIFFICULTAS est verum tota essentia naturaque Divina concipiatur sufficienter illâ definitione quam (post rejectam opinionem Aureoli) ex Arriaga & alijs attulimus cap. secundo nu. secundo his conceptam verbis, *Ens spirituale à se subsistens.* An vero præterea (vi constitutivæ vltimò, distinctivæque differentiæ) attributa omnia & perfectiones

simplices formaliter includantur in essentia quidditateque Dei. Ratio dubitandi est: Quia nihil potest includi in essentia rei, quod non sit de primario illius conceptu: Constat autem attributa multa non esse nisi secundarios posterioresque conceptus. Imo multa sunt inter illa, quæ intra ipsum attributorum genus habent rationem posterioris, & alia præsupponunt anteriora à quibus originari & per logicum influxum promanare intelliguntur. Quæ verò habent inter se ordinem prioris ac posterioris nequeunt primò convenire naturæ Divinæ. Quarè sunt (ut jam antè sæpius annui) qui putent essentiam Divinam priùs concipiendam esse, ut integrè constitutam; & deinde concipienda esse attributa ut existentia circa naturam, sicut loquitur Damascenus P. de fide cap. 4.

2. Fundantur quorumdam Patrum authoritate, nempè illâ, quam dicebam, Damasceni, & Gregorij Nysseni qui lib. 1. contra Eunomium distinguit in Deo ὀυσίαν quasi τὸ ὑποκείμενον & eos, quos vocat supperadditos conceptus ut ἐπιθεωρουμένας ὑπολήψεις: Quos conceptus item appellat qualitatum seu proprietatum differentias, quas circa substantiam mens nostra cogitat. Vim faciunt in hac ratione jam indicatâ, & primo capite hujus libri refutatâ; quòd rei essentia consistat in primo cujusque rei constitutivo, atque distinctivo; nec insuper ad illam aliud requiratur: Et quidquid superadditur, id ad essentiam velut ad radicem, tanquam eius seu effectus, seu proprietas, comparetur. Putant autem suprà dictâ definitione, quâ Deus asseritur *Ens & Spiritus à se subsistens*, assignari totum id quod ad eius constitutionem, & ab omni alio distinctionem pertinet; quidquid itaque deinde attributorum, & quantarumcumque perfectionum attexitur, id esse adventitium & extra quidditatis rationem. Sic docet Durandus, quem sequuntur Vasques, Gillius, Valentia, & post illos Valentinus Deherice in tractatu de scientia Dei capite tertio; vbi negat se videre quomodo Suares potuerit constanter asserere actualem intellectionem esse de conceptu vltimo, quasi specifico naturæ Divinæ, postquàm docuit concipi posse in Deo potentiam intelligendi, & actum primum qui sit ante intellectionem. Atque eodem fundamento idem Herice tract. de Divina voluntate excludit tùm volitionem, tùm voluntatem ab essentia Divina metaphysicè concepta.

3. Dicendum nihilominus est, omnia Dei attributa, quæ personalia non sint, esse de illius essentia, non solum Physicè & materialiter, sed etiam metaphysicè & formalissimè. Ita Suares in metaphysica disp. 30. sect. 5. & in 1. parte lib. 1. de essentia Dei, cap. 11. Canariensis ad quæstionem vigesimam octavam, disp. 2. dubitatione vltimâ, & alij post Divum Thomam quæst. 3. art. sexto; vbi ait attributa non prædicari de Deo per accidens, nec per se secundò, sed per se primò; & quæstione quintâ, art. 3. asserit quæ de alijs solent prædicari accidentaliter, de Deo prædicari essentialiter, ut esse potentem, sapientem, &c. Idemque tradit quæst. 13. art. 6. in corpore, & ad tertium. Id ipsum communiter significant Sancti Patres, Dionysius de div. nom. cap. 1. *Ipsa quidem*, inquit, *Bonitas Divina* (quæ attributum vnum est) *essentiam definiens atque enuncians à scriptura sancta laudatur*. Augustinus lib. 6. de Trin. cap. 4. 6. 7. & alibi. Anselmus in monologio cap. 16. Bernardus serm. octogesimo in cantica disputans contra Gilbertum Porretanum, & libro quinto de consideratione; alijque plures. Hac de re capite secundo suprà disseruimus vbi easdem ferè objectiones quæ hic repetuntur solutas invenies numero 9. & 10.

4. Probatur manifesta ratione. Nam illud est de essentia, quod est de primo conceptu rei adæquatæ & ut differentis ab omnibus alijs: Atqui omnia attributa sunt talia respectu Dei: Nam primus conceptus Dei ut distincti à creaturis, dicit rationem summæ & omnimodæ perfectionis, sivè collectionem omnium perfectionum nullam inter se repugnantiam habentium, nec se mutuò excludentium realiter: Sed in tali omnimodâ perfectione includuntur attributa. Ens enim illud non conciperetur habere omnimodam perfectionem, quod in conceptu suo abstraheret ab Æternitate, Immensitate, Sapientia, Bonitate, Omnipotentia, &c. Nec obest quod aliqui timent ut Herice suprà; nempè quòd attributorum nonnulla sint ab alijs orta, atquè adeò quædam sint priora, quædam posteriora. Nam quamvis attributa inter se, & intra ipsam suam collectionem, concipiantur cum ordine quodam prioritatis & posterioritatis; id tamen non impedit quin ipsa collectio integra, prout indivisibiliter secundùm totalitatem suam sumitur, possit esse primus conceptus, & essentialis ratio alicujus naturæ. Sanè inficiari nullus potest, quin Scoti sententia de quidditate supremæ beatitudinis ut consistente non in sola Dei visione, sed etiam in amore, imò & in gaudio summo; quam plurimi ut certam non immeritò tenent; sit ad minus probabilis. At patet in ea beatitudine sic explicatâ reperiri prioritatem visionis, & ex hac orti posterioritatem amoris. Quidditas igitur & primus conceptus beatitudinis potest sinè absurditate constitui in collectione plurium indivisibiliter & totaliter considerata. Cujus rei multa suppetunt exempla.

5. Dices. Attributa Dei totaliter sumpti ad ipsum comparantur, ut forma ad subjectum informationis; atquè ita ipsum præsupponunt. Confirmatur. Nam prædicatum supponit, saltem per rationem, subjectum prædicationis. Ergo cùm attributa de Deo completè & totaliter sumpto prædicentur, debent præsupponere illum ut completum. Respondeo attributa esse Dei intransitivè, illo modo quo anima rationalis est hominis; atque ita illa non comparari ad Deum totaliter sumptum, ut formas advenientes ad subjectum informationis; sed ut formas intrinsecè constitutivas ad subjectum attributionis, seu solius prædicationis; eo nempè solo modo, quo dicimus homo est animatus, est rationalis. Ad confirmationem, nego prædicatum semper supponere suum subjectum, ut omnino contradistinctum, & ut se non includens. Sæpè enim illud supponit, ut constitutum per eandem formam quam ipsum prædicatum importat, ut in prædictis jam exemplis; cum dicimus Petrus est animal, Petrus est homo. Nequè est inconveniens formam prædicati bis in propositione poni; semel quidem in subjecto confusè, & iterum in prædicato distinctè. Atquè hæc diversitas confusi & distincti impedit, ne propositio nugatoria sit, & formaliter identica.

6. Instabis. Esto attributa includantur aliquo modo in essentia, & primo conceptu Dei; tamen quid opus est ea includi formaliter? Certè ad omnimodam perfectionem essentiæ sufficit, ut includantur in illa quasi in radice; eo scilicet modo, quo proprietates

proprietates in essentijs concipiuntur includi. Quod omnino dicendum videtur de attributis negativis; qualia sunt Infinitudo, Immensitas, &c. Quis enim asserat contineri formaliter in essentia Divina negationem? Respondeo. Necessarium omnino est, ut includantur non solum radicaliter, sed etiam formaliter: Nam inclusio solum radicalis dicit imperfectionem respectu earum perfectionum, quæ dicuntur simpliciter simplices; quia melius est illas habere formaliter quàm ullo alio modo. Quod etiam verum est de his attributis quæ per nomen negativum explicantur. Aliud enim est negatio, per quam explicantur, aliud perfectio positiva, quæ in iis intelligitur, & per negationem declaratur.

7. Vt ad fundamenta respondeatur adversariorum, dico, Damascenum cùm scribit illo cap. 4. libri primi de fide, attributa positiva non dicere naturam Dei, sed quæ sunt circa naturam; illum velle attributa singula non dicere naturam integram, sed quodlibet ad naturam pertinere. Quemadmodum si quis assereret parietes & tectum non dicere domum, sed quæ circa domum sunt: Vel si assereret rationem substantiæ, corporis & viventis non dicere speciem humanam, sed quæ circa illam sunt. Atque idem respondendum est ad Nyssenum, cùm ait proprietatum differentias esse nostro intelligendi modo περὶ τὴν ἐσίαν τῷ λόγῳ ἢ ἐπινοίας. Cum autem vocat eas superintellectas & quasi superadventitias, significat eas, cùm multæ sint, à nobis intelligi quasi superadditas, non essentiæ præsuppositæ, sed unas alijs; cum sit aliquis inter eas per rationem nostram prioritatis & posterioritatis ordo. Argumentum ex ratione initio propositum solvitur ex dictis cap. 1. hujus libri.

CAPVT VI.

Circa Deum ut est omnis essentiæ perfectionisque pelagus. Pia consideratio.

1. VERE mirabilis es in altis Domine; teque talem prædicant ipsæ mirabiles in mundo elationes maris; dum illius fluctus, vocibus aquarum multarum te velut primum omnium fontem æternumque bonorum supra naturam pelagus prædicant; sivè inhorrescentes in sublime tumescant, sivè placidi tranquillique illis, quorum se navigationi substernunt, amplitudinem suam, velut aliquam tuæ immensitatis similitudinem ostentent, non sine quodam eorum stupore ex tam longè lateque patentium spatiorum crebris nobilitatorum naufragijs aspectu. Quod si noster Oceanus in hoc elementorum infimo globo vix puncti instar ad Cœli complexum obtinente, dum terram, velut parvam quandam insulam circumfluit, censetur hominum admiratione interminatam habere in omnes partes extensionem; quæ solo primo intuitu horrorem quemdam ac tremorem injiciat: Et illorum audaciam damnet; qui non dubitant longinquis in altum expeditionibus se committere ut ad vltimas vsque insulas passis explicatisque velis, alitum instar se conferant. Quanta judicari debebit mentis humanæ temeritas, si essentiæ tuæ pelagus undecumque infinitum & innavigabile præsumat speretque plenis ingenij velis peragrare, & varia illius, ut ita loquar perfectionum freta explorare, ac novas in eo detegere lustrareque plagas?

2. Ita scilicet hæreticorum plurimi nequaquam vtentes fida securaque Petri navi, sed impetu curiositatis ventosæque levitatis abrepti; non dubitarunt ignotas ac retrusas istius Divini pelagi oras legere; imò & in altum ipsum ausi sunt confidentia sacrilegâ provehi. Verùm confidentissimi tales impietatis heroës, in occurrentia Divinitatis attributa velut in scopulos miserrimè impegerunt. Et Divinam hi quidem in Sapientiam atque Providentiam, illi vero in Bonitatem, alij in Omnipotentiam, cæterasque hujusmodi perfectiones contumeliosissimi, horrida in illis portenta & fædiora quàm maritima visa vnquam sint monstra finxerunt. Vt antiquos hæreticos brevitatis causa omittam Calvinus vnus sufficiat in execrandæ temeritatis exemplum. In Divinæ miser circa hominum prædestinationem Providentiæ scopulum offendit, ad quem adhæsit infixus.

3. Quare protulit lib. 3. institutionum cap. 22. Deum consilio nutuque suo ordinasse, ut inter homines multi nascantur æternæ morti devoti; qui suo exitio ipsius nomen glorificent. Palmare est quod eodem capite non de singulis privatim, sed de omni humano genere vniversim scripsit: *Lapsus est primus homo, quia Dominus ita expedire censuerat: Cur censuerit nos latet.* Hæc ille æternum debens posteritati ludibrium: In plura simul, quæ Deo adimit, attributa blasphemus. In Bonitatem quidem & Misericordiam; cùm & salutem, & necessarias ad salutem, gratias à Deo negari censet. In Iustitiam verò; cùm asserit post denegatas reprobis gratias, ipsos ob ea quæ vitari non potuere facinora cruciatibus affici sempiternis. In Divinam denique gloriam; cùm hanc vult crudelitate illa plusquam tyrannica procurari.

4. Nos quidem primò longè abesse convenit ab ea arrogantiâ, cujus crimen Epiphanius hæresi septuagesima sexta infert Aëtio; cùm hunc narrat, in tantam vanitatis amentiam incidisse; ut se diceret non fide supernaturali, sed scientiâ quæ naturam non superet, tam perfectè Deum cognoscere, quam ea quæ oculis manibusque vsurpantur: Ἐφαντάζετο ἐπὶ τῷ εἰδέναι Θεὸν, ὐ κατὰ πίςιν. ἀλλὰ φύσει, ὡς ὁρατὸν ϰ̀ χειρὶ ψηλαφώμενον. Deinde tantum abest, ut nos cum infami prædictorum hæreticorum classe, & alia quam Petri conscensa navi in altum essentiæ Divinæ pelagus provehi, & scrutari profundum Dei præsumamus: Vt religiosam potiùs Seraphinorum verecundiam libeat imitari; qui apud Isaiam Divinæ lucem essentiæ integram non admittentes, vitato curiositatis periculo, alas ante oculos obtendebant. Quare perfectiones infinitas, quas percurrere singulas & præsenti comprehendere capite possibile non est, omittemus nunc particulatìm persequi; & earum perfectiorem considerationem in proximum librum differentes, contenti hoc loco erimus illas, eâ quâ par est veneratione atque verecundiâ, vniversas adorare.

LIBER QUARTUS.

De Attributis Divinis secundùm rationes genericas consideratis.

CVM in præcedente libro statuerimus attributa sic dici esse circa Divinam essentiam; ut non sint velut aliquid extrinsecùs ratione nostrâ illi adjunctum, aut proprietatum instar extra ipsam formaliter sumptam emanans; sed ita ut in eam formalissimè includantur. Restat ut ad sufficientem ipsius essentiæ cognitionem, cujusmodi ea sint attributa exponamus. Et quidem hoc libro de iis secundùm quasdam rationes genericas, & illis omnibus communes disseremus. Illa enim particulatìm sigillatìmque prosequi mens non est, nec in ea immorari vacat prolixiori disputatione; quam vbique invenire est; cùm nihil eâ sit inter Theologos pervagatius, & partìm inter ipsos etiam Philosophos: Qui non tantùm circa perfectiones has Divinas ea tractant quæ constat ipsorum finibus seu physicis seu metaphysicis contineri, putà de Veritate, Bonitate, Æternitate, &c. Sed & in aliJs non paucis, falcem immittunt in messem Theologici fundi. Nos igitur quæ singulorum enucleatè propria sunt attributorũ Divinorum (exceptis ob specialem quandam causam Æternitate atque Immensitate,) omittentes, disputationem instituimus de iJs quæ ad illa vniversè pertinent. Et in primo quidem capite docebimus, quis horum attributorum debeat esse conceptus. In secundo, nùm Divinam essentiam, seque ipsa invicem includant. In tertio, vtrum aliquam in re distinctionem formalem inter se aut ab essentia habeant. In quarto, an saltem distinctionem virtualem, & objectivam. In quinto, an & quomodo Attributa omnia & essentia Divina perfectionem contineant infinitam. In sexto denique librum claudet moralis circa infinitas cùm essentiæ, tùm Attributorum perfectiones contemplatio.

CAPVT I.

Quid sint & quomodo concipi debeant Attributa Divina.

1. CVM viderimus libro superiori Divinam essentiam concipi velut immensum pelagus perfectionum, quæ in vltima Dei differentia rationem Entis & intellectualis substantiæ infinita quadam contrahant latitudine: Hinc fit ut ea Dei differentia præter conceptum independentis & à se existentis innumera includat alia prædicata; quæ velut in quale quid, & per modum adjacentis enunciantur essentialiter: Et attributa idcirco nuncupari possunt. Quamvis enim varij variè Attributi nomen in præsenti accipiant; & quidam illud extendant ad omnem perfectionem simpliciter simplicem, ut Gregorius, & Marsilius, alij vero restringant ad eam perfectionem simpliciter simplicem, quæ non pertineat ad Dei substantiam; sed supponens essentiam plenè constitutam de hac denominativè prædicetur instar proprietatis; ut Durandus, Gabriel, Henricus, Vasques, Gillius, &c. Inter hos Vasques, & Gabriel addunt debere eam esse investigabilem ratione naturali; Durandus autem & Henricus debere esse communem etiam creaturis. Nos tamen cum Suare, & Canariensi Attributa hic vocabimus eas perfectiones, quæ intra essentiam quidem continentur, sed per modum adjacentis prædicantur, ut differentiæ solent. Tales perfectiones sunt Simplicitas, Vnitas, Bonitas, Infinitas, Immen-

ſitas, Æternitas, &c. Necnon potentiæ intellectiva, volitiva, executiva. Ad quas potentias pertinent Sapientia, Prudentia, Ars, Veritas in judicando, Providentia, Charitas, Miſericordia, Iuſtitia, &c.

2. In his perfectionibus advertis quaſdam ſignificari inſtar formarum poſitivarum, quaſdam inſtar negativarum; alias eſſe tranſcendentales & ſequi rationem Entis, alias magis particulares; quaſdam eſſe velut formas ad eſſendum, quaſdam velut potentias ad operandum, ſivè formaliter importent actum ſecundum (ut intellectus & voluntas quæ minus benè concipiuntur ut exiſtentes in puro actu primo) ſivè non; ut potentia executiva; tandem aliquas habere nomen & rationem communem creaturis; aliquas non item. De his tot ac tam varijs attributis in iſto nunc agemus libro, vniversè tantum & in genere. Quoniam verò infinitudo ad genus eorum vniverſum pertinet, & vbique in illis, quaſi aliquid commune, reperitur; de hac, quatenus ad intelligendam rationem attributorum juvare poterit, non nihil ſpecialiter ſubjiciemus; nec non de Immenſitate peculiarem aliquam difficultatem expediemus.

3. Quæritur autem hic primùm quomodo concipi ea debeant quæ nomen habent commune creaturis, qualia ſunt v.g. Bonitas, Intellectus, Voluntas, Sapientia, Iuſtitia, &c. Reſpondeo ſi hæc attributa ſumantur ut reipſa Divina, & eo quo exiſtunt modo, longè abſunt à perfectioribus, quæ ſub eodem nomine reperiuntur in creaturis. Itaque ſi adæquatè ſumantur Divina & creata juſtitia, Divina & creata voluntas, &c. non habent eandem ſubſtantiæ ſub eodem nomine rationem; quare nomen eorum non eſt vnivocum. Vnde Sanctorum Patrum altior Theologia aſſerit, in Deo non tam dicendam eſſe Sapientiam, Iuſtitiam, &c. quam Super-ſapientiam Super-juſtitiam, &c. aut, ſicut Boëtius libro de Trinitate ait Vltra-ſapientiam Vltra-juſtitiam, &c. Imo admonet Dionyſius capite ſeptimo de Divinis nominibus, Divum Paulum communem Theologorum ſolem, ideo vocare Divinam Sapientiam ſtultitiam, Corinth. primo, cum ait, *quod ſtultum eſt Dei*, ut ſignificaret quàm non tantum diſſimilis, ſed etiam contraria ſit Sapientiæ creatæ; increata Sapientia.

4. Et ſubdit hoc eſſe in more poſitum Theologis, myſticis, ut illa, quæ in Deo ſunt privationis (hoc eſt quæ non habent eandem in ſe rationem, quàm perfectiones creatæ ſibi cognomines) oppoſito aſſerant ſenſu (ἀντιπεπονθότως:) nempe ut ea vocent, & enuncient iis nominibus, quibus nos ſignificare ſolemus imperfectiones oppoſitas: Et ſic indicent perfectiones Divinas, non minus abeſſe à noſtris perfectionibus, quam ab his ipſis abſint imperfectiones contrariæ. Sic ſcripta Divina, lumen Dei ſplendidiſſimum non vocant lumen, ſed tenebras; ut intelligatur tam abeſſe, quàm ipſas tenebras, à noſtro lumine lumen illud; & ut (cùm tenebras ipſum vocari audimus) avocemus cogitationem à vulgari lumine, *παμφαὲς φῶς τὰ λόγιά φασιν ἄφεγγον.*

5. Dicendum eſt poſſe perfectiones, tùm increatas, tùm creatas inadæquatè, & ſine propriis differentijs intelligi, atque ita poſſe eidem formali conceptui, nominique generico verè ſubeſſe. Nec dubito, quin hujuſmodi tùm conceptus formalis, tùm nomen habeat vnivocationem, & eandem omnino rationem objectivam in ordine ad Deum, & creaturas. Supponimus enim per conceptum, & nominis ſignificationem ab omnibus abſtrahi differentijs. Quamobrem nullomodo eſt admittenda quorumdam ſententia, qui dixerunt non reperiri propriè in Deo quicquam eorum, quæ nos intelligimus per hæc nomina, Sapientia, Iuſtitia, Intellectus, & alia ſimilia creaturis communia; ſed ea vel negativè explicanda eſſe; v. g. cùm dicimus Deum eſſe juſtum, habere intellectum; &c. non aliud ſignificari, quàm eum non eſſe injuſtum, non eſſe quemadmodum entia quæ rationis expertia ſint, &c. ut ex Rabbi Moiſe refert Sanctus Thomas quæſtione decima tertia articulo ſecundo: Vel ſolùm tribui Deo illa perfectionum nomina ratione cauſalitatis; hoc eſt, vocari Sapientem, Intellectivum, Bonum, quia cauſat Sapientiam, Intellectum, Bonitatem, &c. Vt refert idem Sanctus Thomas: Qui benè refutat erroneos tales dicendi modos. Nam ſecundùm illos dicere æquè poſſemus Deus eſt corpus completum: Significaremus quippè vel Deum non eſſe quemadmodum materiam primam: quæ eſt corpus incompletum & potentiale; vel illum eſſe cauſam corporis completi. Quæ expoſitiones aſſererent quidem quod veriſſimum eſt, ſed omninò eſſent abſurdiſſimæ. Et quidem conſtat quando Scriptura dicit Deum ſcire omnia, Filium eſſe Verbum, &c. longè aliud eam intendere quàm ſignificare vel negationem vel cauſalitatem prædictam.

6. Indubitatum ergo ſit, quod Divus Thomas citatus & alij vulgò docent, reperiri in Deo & creaturis quaſdam ſimilitudines, licèt maximis admixtas differentijs, Porrò non ſecùs ac dum cogitamus præcisè ſimilitudines ſubſtantiæ, corporis, &c. quas habent v. g. ſol & lapis; cogitamus verè animo quidpiam reale, & perfectionem quæ exiſtit à parte rei, quamuis non exiſtat in illo ſtatu præciſionis, ſed alio determinationis & identificationis cum differentiis: Sic dum cogitamus præcisè ſimilitudinem quandam, quæ eſt Deum inter & creaturas, cogitamus aliquid quod verè eſt reale & exiſtens à parte rei, quamquam non exiſtat in eo ſtatu præciſionis, neque ſine differentiis increati vel creati. Nec multum refert ad hujus doctrinæ veritatem, vtrùm ea ſimilitudo & perfectio communis, putà Scientia, Intellectus, &c. provt tali nomine ſignificatur convenire dicatur Deo & creaturis vnivocè vel dumtaxat analogicè. Atque hic advertis eminentiam Sapientiæ v. g. & Bonitatis Divinæ, non poſſe magis impedire; quominus conceptus Sapientiæ & Bonitatis conveniat verè tùm creaturis tùm Deo, quàm eminentia Sapientiæ, & Bonitatis Angelicæ ſupra ſapientiam & bonitatem humanam, impediat, quominùs Sapientia & Bonitas Angelo hominique conveniat vnivocè.

7. Verum quidem eſt mentem noſtram, cùm tribuit Deo perfectionem aliquam realem creaturis communem, modo quodam illam perfectionem & concipere & ſignificare, qui cadere non poſſit in Deum. Is verò modus conſiſtit in duobus. Nam primò illam perfectionem concipimus & ſignificamus cùm præciſione à differentiis; & realitatem eius veſtimus ſecundâ intentione ſivè vniverſalitate; quam certum eſt nec Deo nec creaturis convenire. Sed hoc in preſenti materia nullam poteſt facere difficultatem, nec impedire, quominus perfectio, quæ convenit Deo contracta per ſuam differentiam, eidem tribuatur præciſa. Nam ut docet Ariſtoteles; *Abſtrahentium non eſt mendacium*, & quamuis id quod vniverſale ac præciſum eſt tribuatur alicui; non tamen ei tribuitur vniverſalitas ipſa, & ſecunda

intentio seu præcisio. Quod per se patet nam quamvis vox, animal significet naturam sensitivam, & nihil amplius, seu cum præcisione ab omni alio; tamen illud nomen non est impositum ad significandam præcisionem & negationem ulterioris. Cum ergo sub illo nomine id tantum prædicetur, quod per nomen directè significatur, non aliud prædicatur, quam positiva perfectio. Confirmatur. Nam cum Angelus loquitur & de nive prædicat albedinem, concipit utique modo Angelico id quod enunciat, non autem modum suum concipiendi prædicat; nec suam balbutiem ille narrat, qui aliquam balbutiendo explicat historiam.

8. Secundò attendendum est, ut benè Divus Thomas articulo illo secundo quæstionis decimæ tertiæ advertit, cum hæc attributa de Deo enunciantur, admiscere nos aliquem alium significandi modum præter eum, qui est vniversalitatis & quem jam explicui. Nam illa vel significamus in concreto, ut cum dicimus, Iustus, Sapiens; vel in abstracto, Iustitia, Sapientia. Vt igitur illa attributa possint de Deo sine falsitate enunciari, non debet ipsi tribui modus compositionis, qui elucet, significaturque per nomen concretum; vel modus formæ, qui significatur per nomen abstractum. In Deo enim nec vera compositio est, nec vera forma. Quare dicit optimè Sanctus Doctor esse semper in prædictis nominibus quandam improprietatem & velut metaphoram; quatenus dùm concreto nomine vtimur, significamus consummatam Dei perfectionem; cùm autem utimur abstracto, significamus ejusdem simplicitatem. Atque propter hanc improprietatem, quæ semper elucet, quoties aliquid affirmativè de Deo prædicamus, docent Theologi naturam Dei longè melius & magis propriè per negantes propositiones, explicari quam per ajentes. Cum enim Deus sit perfectissimus, nihil verius aut magis propriè de illo loqui possumus quam cum ab eo imperfectionem removemus. Estque vulgare apud Dionysium, modum cognoscendi Deum per negationem esse proprium; per affirmationem, improprium. Videri potest hic Pater capite duodecimo & decimo tertio de myst. Theol. & latè capite decimo septimo de Divinis nominibus. Hinc Damascenus ait libro primo, capite quarto; *Quæcumque de Deo per affirmationem dicimus, non ipsius naturam, sed quæ circa ipsius naturam sunt ostendunt: & per affirmationem quædam de Deo dicuntur, at præcellentis negationis vim habent.* Cave tamen ne propterea putes nomina Attributorum affirmativorum non dici simpliciter ac propriissime de Deo. Nam quamvis modum habeant admistum, seu compositionis in concreto, seu formæ in abstracto qui in nulla proprietate convenire Deo potest: Tamen in talibus nominibus, attendenda est præcipuè, imò solum, res formaliter significata, nempe perfectio Sapientiæ, Iustitiæ &c. quæ sanè in suo conceptu formali non involuit imperfectionem; modus autem significandi talem perfectionem non ita significatur aut importatur per nomen; ut & ipse prædicetur. Atque hic ferè eadem ratione philosophandum est, quo superius diximus de vniversalitate & secundâ intentione.

CAPVT II.

Vtrum Attributa Divina includant totam essentiam & se invicem omnia in formali suo conceptu.

1. AETIANI, Eunominianique erroris (quem egregium par fratrum Basilius & Gregorius Nyssenus integris operibus confutarunt) simile ferè est quod Nominales asserunt in attributis Divinis, quæ nos ἐννοίᾳ cogitationeque varia formali percipimus, nullam esse conceptuum objectivorum diversitatem. Extreme his oppositus est Scotistarum de iisdem attributis philosophandi modus, illa non tantum conceptu in mente obiectivo, sed formalitate ex natura rei, & ante mentis nostræ operationem distinguentis. Tertia est philosophandi ratio à prædictis longe disjuncta, & nihil cum ipsis (quos postea cap. 3. & 4. refutabimus) commune habens. Quæ nempè in conceptibus obiectivis seu perfectionibus attributorum Divinorum, prout hæc intellectus noster in multa dividit, talem diversitatem agnoscit; ut tamen nullum sit attributum secundum suam rationem formalem reduplicativè sumptum, quod non cum aliis & singulis & universis, atque adeo cum tota Divina essentia confertè implicatèque se habeat, & sic alia in aliis promiscuè includantur. Hanc ultimam sententiam examinandam suscipimus; quam Suares libro primo capite duodecimo & decimo tertio & Canariensis quæstione decima octava, articulo secundo dubitatione ultima, & moderni cum iis aliqui defendunt.

2 Eorum fundamentum est. Quia unumquodque Attributum, cum non sit quid creatum, sed nec quid genericum quod abstrahat ab increato & creato, necessarium est ut dicatur essentialiter Deus. Non enim datur medium inter Deum & ens creatum. Quod autem dicitur essentialiter Deus, debet in suo conceptu includere tùm essentiam Divinam, tùm omnia perfectionum possibilium Attributa. Confirmatur. Nam si attributa singula non includerent in se Divinam essentiam, esset aliquid in Deo quod non esset Deus. Atque ita dicere possemus Deum esse Sapientem Sapientiâ suâ; & non esse Sapientiam suam. Si autem non includerent cæterorum multitudinem attributorum non haberent omnimodam & infinitam perfectionem. Adducitur pro hac doctrina Bernardus sermone octavo in cantica vbi asserit *Dici impiissimè Sapientiam quâ sapiens Deus est, non esse Deū.* Asserit etiam *Deum non aliunde Bonum, quam unde Magnus est; nec aliunde Iustum aut Sapientem, quam unde Magnus, & Bonus est. Nec aliunde denique simul hæc omnia esse, quam vnde Deus.* Assertque paulò inferius Augustinum qui ait *Deum eâ magnitudine magnum esse, quæ est quod ipse.* Addi potest idem Augustinus asserens libro septimo de Trinitate capite primo, *Attributa Divina sic esse intelligenda, ut ea sit Magnitudo, quæ Virtus & Bonitas, quæ Sapientia, & ea Sapientia, quæ Virtus.* Nec inter Patres Græcos omititur Basilius qui epistola octogesima de Divinis Attributis loquens; *non enim*, inquit, *ad rem aliam subjectam velut manu ducit intelligen-*

tiam nostram appellatio boni, ad aliam Potentis, Sapientis, & Iusti: sed quacumque dixeris nomina, idem per omnia significatur. Ac si Deum proferas, eundem ostendisti, quem & cæteris vocabulis intelligis. Hùc etiam videtur facere Dionysius affirmans cap. decimo tertio de Divinis nominibus; *Deum omnia unitè esse secundum unicam eminentiam Vnitatis.* Reperiuntur & quidam alij Patres eodem ferè modo locuti.

3. Concedit verò Suares libro quarto de Trinitate capite septimo probationes allatas ad id non valere, ut in conceptu unius Attributi, alterum Attributum distinctè in se ac formaliter includatur; sed tantum ut confusè & eo fere modo quo ens in omnibus rebus transcendentaliter continetur. Postquàm enim aliquis prima cogitatione leonem v. g. concepit, nec de ratione entis cogitavit; si deinde se colligens & animum in priorem cogitationem referens, se ipsum quasi interroget, sit, necne ens, aut nihil (leo, hunc utique rationem entis continere judicabit. Id nempe quod priore entis conceptu & ψιλῇ ἐννοίᾳ seu simplice directâque cogitatione non attenderat; accuratiore advertet superveniente reflexione, quam Theologi & Philosophi Græci ἐπίνοιαν, ἐπενθύμησιν, seu ἐπιλογισμόν, vocant. . Asserit igitur prædictus author in Sapientiæ conceptu formali non elucere quidem distinctè Iustitiam, sed in illo Sapientiæ conceptu sic & Iustitiam & Attributa cætera latere, ut possint omnia de ipso reduplicativè prædicari, verumque sit Sapientiam ut talem reduplicativè esse Iustitiam, & Iustitiam eodem modo esse Misericordiam & Attributa cætera omnia.

4. Opposita & probabilior sententia est Vosquesii disp. 119. cap. 2. Capreoli, Aureoli, Gregorij &c. affirmantium attributa Dei sic inter se ratione distingui ut eorum unum de alio nequeat prædicari in sensu formali; sed tantum in identico. Quamquam non placet quod insuper multi addunt, non posse Attributa in sensu formali prædicari de essentia. Contrarium enim nos docuimus superiore libro cap. 6. ubi ostensum est Divinam essentiam debere concipi formaliter ut mare quoddam & aggregatum perfectionum omnium possibilium, quas continet; si sint simplices, formaliter; sin minus, eminenter. Quare dubium non est, quin essentia Divina, ut talis, sit Sapientia, Iustitia, & omnis cætera multitudo attributorum. Asserenda igitur restant hic duo? nimirum primò, essentiam non includi in singulis Attributis, secundo nec Attributa in se invicem. Quod ad prius attinet, satis ipsum constabit ex secundo. Nam si Attributum unum non includit formaliter Attributa reliqua; ergo nec essentiam, quæ Attributorum omnium collectione formaliter continetur.

5. Probatur itaque secundum. Nam cum Attributa in ordinibus sint diversis, oporteret unumquodque Attributum formaliter sumptum fieri extra suum ordinem, si omnia contineret intra suam rationem formalem. Confirmatur. Quis enim patiatur istas propositiones; intellectus Divinus (inquantum talis & inquantum habens vim intelligendi veritatem omnem possibilem) est vis volendi, est misericordia, est amor, est odium &c. Certè Canariensis ipse negat, si particula (inquantum) addatur, voluntatem posse prædicari de intellectu. Atqui, inquam ego, quoties intellectus sumitur formaliter, & eo modo quo hic de illo disputamus, non habet minus præcisam acceptionem, quam dùm apponitur reduplicatio (inquantum) Et peto, nùm videantur absurdæ istæ propositiones in sensu formali; intellectus vult; intellectus est subjectum fœcunditatis spirativæ; voluntas intelligit, & est subjectum fœcunditatis generativæ; Deus per immensitatem præsentiæ formaliter est Æternus? Sanè apparet hæc omnia esse absurda: & tamen sequuntur ex adversariorum doctrina.

6. Si enim Attributa in sensu formali de se invicem prædicarentur, atque si in Deo intellectus, verbi causa, & voluntas essent formaliter idem: ergo operationes unius dicerentur esse formaliter alterius: & valeret hic informis syllogismus. *Intellectus Divinus in sensu formali intelligit, atqui intellectus Divinus in sensu formali est voluntas; ergo voluntas in sensu formali intelligit*: & similia.

7. Præterea non satis est consequens illa doctrina cum eo, quod ejus authores volunt salvare de distinctione rationis inter Attributa. Si enim verum est Attributa universa in singulis formaliter sumptis includi, ac de illis prædicari; tollitur distinctio rationis. Nam quomodo possunt ratione distingui; si totum id quod includitur in unius conceptu formali, in alterius includitur formali conceptu, ac vice versâ, & quamquam Suares cap. illo 13. num. 8. & 9. aliquid distinctionis salvare nitatur, tamen quod salvat non sufficit; cùm non maiorem relinquat distinctionem rationis inter Divinam Misericordiam & Iustitiam; quam sit metaphysice inter ens & entitatem, ubi nulla est distinctio conceptus obiectivi, sed tantum modi, quo formatur conceptus. Nec illa placent exempla, quæ profert Dei & Deitatis; intellectus & memoriæ; voluntatis ut natura est, & liberi arbitrii &c. Hæc enim non verè differunt ratione obiectiva. & (cùm iuxta Suarem formaliter subsistentia absoluta in Divina natura contineatur) Deitas subsistens, formaliter est Deus &c.

8. Neque valere potest hæc eorum alia responsio; quòd nempe Attributa Dei, prout considerantur secundùm proprias suas rationes, distingui eatenus possunt in conceptu nostro; imò unum alio perfectius est: quomodo intellectio superat nobilitate volitionem, & inter virtutes Deo essentiales, qualis est Misericordia, Iustitia &c. potest esse discrimen & inæqualitas. At vero si huiusmodi perfectiones seu Attributa considerentur ut sunt Divinæ, & Entia increata, nullum (inquiunt) eorum est, quod non formaliter idem sit cum aliis singulis & universis; illorùm enim quodlibet, cùm sit Ens à se, atque independens ab omni causa, in omnem diffunditur entis possibilitatem, nec habet à quo limitetur. Hæc, inquam, responsio valere non potest. Quod enim vulgò dicitur, res eas quæ non habent causam à qua fiant, non item habere à qua limitentur, ac per consequens toto in actualem existentiam prodire possibilitatis impetu. Id assero intelligendum esse de entibus ut consideratis à parte rei, & secundum existentiam totalem quam entitativè habent; quale ens non est nisi Deus. Possumus tamen nos entia in ipso quasi Deo partialia considerare secundum rationes quas singula proprias habent in suo certo genere; in quo dubium non est, quin habeant diversitatem inter se.

9 Nec refert, quod considerantes illa secundum rationes proprias quas habent in suo genere, consideremus insuper ea esse Divina, increata, & independentia ab omni causa. Id enim non ea ex

trahit aut extendit vltra suum ordinem. Siquidem quod Misericordia v. g. sit Divina, nihil aliud denotat, quàm illam pertinere intrinsecè ad Divinitatem; quam non repugnat habere, partes per mentem nostram distinctas. Ea tamen per mentem compositio non facit, ut una pars habeat formalitatem alterius, Non item potest unum attributum cum alijs attributis per mentem nostram confundi ex eo quod consideretur ut Ens à se, id enim nihil aliud significat, quam negationem dependentiæ ab aliqua causa.

10. Ex dictis efficitur nequaquam esse necessarium ut attributa, considerata etiam quatenus Divina, invicem confundantur in sensu formali, quare ut jam dixi, non bene asseritur omne Ens Divinum perfectiones cunctas in quocumque genere ordineque possibiles continere; atque hoc modo furorem quo Deus in peccatores inflammatur, dum eos igni æterno adjudicat, esse formaliter suavissimam dilectionem, qua eosdem foret, si boni essent, prosecuturus. Sanè si hoc verum esset, asseri pariter deberet, Filiationem, quatenus Divinam, idem esse formaliter cum Paternitate, & vim habere generandi. Quando igitur vulgò dicimus Ens à se, absorbere in se omnem latitudinem Entis, id debet solum intelligi de illo Ente à se, & totali, quod ex ratione sua non est in aliquo ordine & genere: Quale Ens sola est essentia Divina.

11. Nihilominus circa id quod suprà diximus de attributorum Divinorum distinctione; quæ illa sic dirimit, ut nequeant se mutuo, quasi per quandam circuminsessionem, eo modo continere, quo authores contrariæ sententiæ opinantur. Advertendum est distinctionem illam quam adstruimus in iis locum attributis habere, quæ non sunt conceptus quidam generici respectu aliorum; vel quædam multorum collectiones. Nam ita negari non potest; quin vita Divina, v. g. prædicetur formaliter de actuali Scientia seu Sapientia ipsius Dei. Atque idem est de cognitione respectu visionis. Negari pariter non potest quin attributa omnia includantur formaliter in perfectione Divina ut in sui coacervatione. Licet quæ exposita sunt jam superioribus numeris, 9. 10. 11. sufficerent ad solvendas omnes contrariæ opinionis rationes: Quandoquidem si prædicti numeri attentè considerentur, evertunt penitus fundamentum præcipuum adversariorum; quòd nempe attributa considerentur non simpliciter ut perfectiones, sed ut perfectiones Divinæ atque ut Entia à se, sive ut Entia increata. Veruntamen juvat cursim percurrere singula, & respondere ad eos ipsos terminos quibus proposita sunt numero secundo.

12. Primò igitur fateor vnumquodque attributum considerari non ut aliquid creatum, nec ut abstrahens à creato & increato, sed determinatè ut aliquid increatum: Nego autem quod propterea sit plenè & adæquate Deus. Datur enim medium inter Ens creatum & inter Deum adæquate sumptum. Nempè aliquid increatum quod intrinsecè Deum componat metaphysicè, tamquam pars distincta per mentem nostram ab eius compartibus metaphysicis. Quod autem tale est, non debet continere omnes perfectiones increatas, sive omnia Divina Attributa. Nec inconveniens est esse perfectionem aliquam Deo essentialem, puta Misericordiam, aut Sapientiam, quæ non sit (nisi identicè) totum quod Deus est; licet, habeat omnimodam illimitationem in suo genere talis virtutis, falsum autem est indè sequi nos posse dicere Deum esse Sapientem, aut Misericordem non per se ipsum, sed per formam ab ipso distinctam, non enim à Deo distincta est perfectio illi essentialis. Quemadmodum nemo dicat hominem esse rationalem non per se ipsum, sed per ratiocinalitatem ab ipso distinctam

13. Imo notandum est, quòd, licet non possimus dicere, homo est rationalitas; possumus tamen dicere, Deus est Sapientia, Deus est Misericordia; quandoquidem hujusmodi perfectio, etsi non includit totam Dei essentiam, tamen sumi non debet ut forma quædam in abstracto, & per modum partis; sed potiùs instar actus cujusdam per se subsistentis, & velut concreti sine ulla compositione. Ratio autem est, sublimitas entitativa Divinorum Attributorum; unde non est mirum si possint prædicari in quid. Certè Scriptura passim vtitur hoc modo loquendi, cum Deum vocat Lucem, Sapientiam, Vitam, Veritatem, Charitatem: Et Sancti monent melius esse, ut dicamus, Deus est Sapientia; quam, Deus est sapiens; ut videre est apud Dionysium, qui ait de Divinis nominibus cap. 4. 5. & sequentibus, Deum non tam esse Bonum, Pulchrum, Sapientem, &c. Quam Bonitatem, Pulcritudinem, Sapientiam, &c. Leo magnus Epistola 91. alias, 93. *Nemo*, inquit, *veritas, nemo Sapientia, nemo justitia, sed multi participes sunt veritatis, sapientia, justitia; solus autem Deum nullius participationis indigens est, de quo quidquid dignè sentitur non qualitas est, sed essentia.*

14. Dices, si veræ sunt hæ in sensu formali propositiones, Deus est Iustitia, Deus est Misericordia; non poterit negari hæc ex illis deducta conclusio; *ergo misericordia est justitia in sensu formali.* Respondendum est veram esse conclusionem; dummodo hunc habeat sensum; *ergo suppositum quod est misericordia, est justitia in sensu formali.* Sic enim debet in similibus conclusionibus subjectum explicari, v. g. cum dicimus, omnis homo est intellectualis, sed omnis homo est corpus, ergo aliquod corpus est intellectuale. Hæc conclusio non perinde est intelligenda, ac si diceremus in formalitate corporis includi intellectualitatem; sed perinde ac si diceretur; id suppositum quod est substantia corporea, esse simul intellectuale.

15. Superest ut ad authoritates Bernardi, Augustini, Basilij, & Dionysij numero secundo adductas respondeamus. Facilè verò satisfiet, si dicatur hos & similes Patres, cùm prædicant de Attributis aliquibus vel Attributa alia vel totam essentiam; id facere in sensu identico, quem solum in hac re curant. Contra eos enim disputant, qui realem in Deo multiplicitatem adstruebant; ut apparet manifestè in Bernardo & Consilio Rhemensi contra Gilbertum Porretanum. Et clarum est ex ipsis terminis Dionysij eum non loqui de significatione Attributorum formali provt est in mente nostra; sed de sensu identico, secundum quod Deus in se est vnicè per eminentiam vnitatis. Idem etiam clarum est in Basilio; qui disputans contra Aetium & eius discipulum Eunomium asserentes attributa in Deo nihil aliud esse, quàm vacua cavaque nomina; quibus nihil subesset, quo ipsa attributa distinguerentur notione, sivè ab essentia, sivè inter se ipsa; sic ut tantumdem esset dicere Sapientiam, ac dicere Misericordiam, sivè totam ipsam Divinam essentiam. Contra illos ergo disputans Basilius, absolutè & acerrimè ita contendebat, perfectiones Divinas, cùm à se invicem, tùm ab essentia Dei distingui non solis nominibus, sed & conceptibus objectivis, ut

numquam significarit in illis conceptibus objectivis aliam esse quàm à parte rei entitativam identitatem, aut ullam inter ipsos in sensu formali confusionem. *Ridiculum est* (inquit Sanctus ille Pater libro 1. contra Eunomium) *si quis providentiam dicat esse ipsam essentiam, itidemque præscientiam. Quod si ista ad vnum significatum pertineant, necesse est ut idem inter se valeant nomina, sicut in polyonymis evenit cùm Simonem & Petrum & Cepham dicimus eundem.* Pari modo Gregorius frater illius contra eumdem Eunomium lib. 12. disputans ait Deum ipsum, quando nobiscum loquitur, solere partiri varijs conceptibus atque nominibus objecta, quæ nos propter humani limitationem ingenij non possumus uno conceptu nomineque significare. Non alio scilicet sermone Deus nobiscum vtitur quàm nostro; seque hominibus accommodans, eo modo res proponit quo ab ijs capi possunt. Οἷόν τις εὔσπλαγχνος μήτηρ τοῖς ἀσήμοις νηπίων κνυζήμασι συνδιαψελλίζουσα. οὕτως τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει θεὸς τοῦτο νέμει, ὃ λαβεῖν δυνατῶς ἔχει. Hoc est, *Sicut teneriore animo mater solet cum suorum infantium balbutire vagitibus, inarticulatisque vocibus: Ita etiam Deus humanæ naturæ id communicat, quod ferre potest ejus capacitas.*

CAPVT III.

Vtrum admittenda sit distinctio ex natura rei in Divinis Attributis cùm inter se, tùm à personalitatibus.

1. NEQUAQUAM hærendum puto in veterum quorundam erroribus memorandis circa Divinorum Attributorum, cùm inter se, tùm ab ipso Deo realem distinctionem. Quomodò Athenagoras apud M. Aurelium & L. Commodum Imperatores pro Christianis orationem habens, dixit, *Bonitatem inesse Deo secundum accidens eo modo, quo color inest igni fulvus, atheri cæruleus.* In quo errore Catholici quidam alij videntur esse versati. Sed ijs omissis, insigne est palmareque in hoc genere, Gregorij Palamæ Episcopi (ex Monacho) Thessalonicensis, Grecorumque ejus assectarum delirium. Qui Attributa seu perfectiones (quas ἐνεργείας vocabant) æternas intra Deum comminiscebantur distinctas ab eo realiter, & velut inter ipsum & entia creata medias, ut Palamas explicat. *Assero,* inquit, *Sapientiam, Potentiam & Bonitatem esse inferiora Deo entia, & ab ipso inter seque distincta.* ὑφειμένα τῆς θείας οὐσίας, καὶ ἕτερα ταύτης τε καὶ ἀλλήλων.

2. Quæ Palamica stoliditas à pluribus Pseudosynodis Constantinopoli in æde sanctæ Sophiæ celebratis, tanquam orthodoxa definita est; & contradicentibus pœna præsentis anathematis imposita. Quod autem hi Græculi per ἐνέργειαν non efficientiam Dei externam, seu actionem transeuntem, sed Attributum Deo ipsi verè inhærens intelligerent, constat ex Thaborino splendore; quem in Transfiguratione oculis Apostolorum apparentem inter illiusmodi Attributa increata (inferiora tamen essentiâ Divinâ) ponendum esse sanciverunt. His porrò Schismaticorum prætermissis ludibrijs, cum Ecclesiæ Latinæ Theologis res hic nobis est: utrùm aliquod distinctionis genus Attributa divina, cum inter se, tùm à personis habeant citra nostræ mentis opus.

3. Non quærimus autem, utrùm Attributa Divina, genus aliquod distinctionis habeant à parte rei cum essentia seu natura. Quandoquidem essentiam formaliter constituunt (ut superiore lib. docuimus) clarum est ea, nè quidem per mentem posse ab ipsa adæquatè sumpta sejungi. Sed & ex dicendis intelligetur, non posse ab essentia inadæquatè sumpta realiter distingui, cùm nequeant ab invicem, & nihil detur quod intra essentiam realiter ab aliquo distinguatur. Circa propositam hîc quæstionem de Attributis error fuit olim cujusdam Gualteri Theologi, qui asserebat realem esse Attributorum inter se distinctionem.

4. Illa sententia est hæretica, & pejor errore Gilberti Porretani in Concilio Rhemensi damnati. Qui distinctionem adstruebat aliquam ex natura rei, non quidem Attributorum à se invicem, aut ab essentia, sed tantùm Attributorum ipsorum à personalitatibus, & personalitatum ab essentia. Quare has propositiones, Deus est sua Sapientia, Deus est natura Divina, &c. dicebat esse tunc falsas, cùm Deus sumitur ut includens aliquam personalitatem, & ut idem significans ac Pater, vel Filius, vel Spiritus Sanctus; non autem eas esse veras negabat, si quis Deum sumeret pro natura Divina, ut abstrahente ab omni personalitate. Ex damnatione verò Gilberti manifestum sumitur argumentum contra quantulamcumque realem Attributorum Divinorum, tum à se invicem, tum ab essentia distinctionem. Nec verò ea damnatio minùs valet contra distinctionem Attributorum seu à se invicem, seu ab essentia, quàm contra distinctionem à natura Divina & personalitatibus; atque manifestum est per omnem quocumque modo distinctionem in prædicatis Deo intrinsecis destrui simplicitatem Divinam: nihilque indoctius est, quàm ea duo, quæ antiquus ille Theologus Gualterus asserebat: primò quidem simplicitatem Divinam non destrui per compositionem, quæ non sit ex potentia & actu: Secundò non esse talem compositionem intra Deum; etiam si distinguantur realiter Attributa. Nam utrumque in Philosophia falsum est. Impeditur enim simplicitas per eam etiam pluralitatem, in qua non reperitur potentia & actus; sicut apparet ex compositione integrali quantitatis; & ex cumulo lapidum. Præterea palam est Sapientiam, & quodcunque aliud Attributum, (si est in Dei natura, ut quid ab ea distinctum) ipsam naturam afficere eo modo, quo forma subjectum afficit, seu actus potentiam. Explosâ illâ distinctione Attributorum reali, tanquam hæreticâ, consequenter etiam:

Excluditur distinctio formalis ex natura rei, qualem asserüit Scotus.

5. Voluit subtilis hic doctor in primum, distinctione octavâ, quæstione quartâ, Attributa Divina non tantum à personalitatibus; sed etiam inter se & ab essentia distingui, non quidem plenâ & majori realitate, vt rem à re; non item minori realitate, vt rem à suo modo; non etiam solâ per mentem ratione; sed quâdam speciali distinctione; quam ipse appellat formalem; & ait esse ex natura rei ante

omnem intellectus operationem. Quod distinctionis genus deprehenditur primò si duo extrema ita se habeant vt nullatenùs separari ne quidem per Divinam potentiam queant; sicut entitas ab alia entitate, vel à suo modo separatur. Hæc tamen inseparabilitas non sufficit vt sit mera formalis distinctio Scotica. Requiritur ergo prætereà, vt vnum eorum quæ illam inseparabilitatem habent, non producat alterum. Eam enim perfectam habent inseparabilitatem Paternitas & Filiatio Divina;& tamen quoniam hæc ab illa producitur, ambæ perfectam realem & plusquam formalem ex natura rei distinctionem habent. Illa verò quæ sic se habent, vt omninò inseparabilia sint, & prætereа vnum non producat alterum, censetScotus hanc habere distinctionem formalem ex natura rei seu realem secundum quid; si sint tales conceptus objectivi vt quod de vno affirmatur negetur de altero. Atque ita genus hoc distinctionis formalis agnoscit Scotus in attributis Divinis inter se comparatis, atque in personalitatibus comparatis cum naturâ divinâ, & ipsis ejus attributis. Fundatur primò quoniam conditiones prædictæ, quibus distinctio ista formalis constat, reperiuntur in attributis comparatis inter se & cum personis Divinis: secundo quod nullo intellectu cogitante & ex natura ipsius rei attributa inter se & cum personalitatibus comparata, diversam habeant definitionem: tertio, quòd cùm negamus. v. g. de Iustitiâ quod asserimus de Misericordiâ, non mentiamur; mentiremur autem, nisi inter eas aliqua distinctio esset à parte rei. Denique Deus videt se realiter per intellectum generare; non autem per voluntatem. Hanc Scotistarum sententiam & ejus rationes nos confutavimus valdè accuratè atque fusè in tractatu de Trinitate libro 3. cap. 6. integro; quod consuli potest.

CAPVT IIII.

An inter Divinam essentiam, attributa, & personalitates dentur distincti per mentem conceptus objectivi; quales à Nominalibus negantur.

1. AEtivs & eius discipulus Eunomius vt mysteriũ Trinitatis corrũperent ac FiliumDivinitate Patris everterent; quæ de Deo vero (qualem esse solum Patrem agnoscebant)dicuntur attributa seu proprietates, pugnacissimè defenderunt, nullo modo sive à natura Divina, sive inter se distingui, ne quidem cogitatione & intelligentiâ nostrâ. Eundem itaque simplicemque conceptum objectivum esse voluerunt naturæ Divinæ,Sapientiæ, Bonitatis, Potentiæ, cæterarumquæ perfectionum, non tantum absolutarum, sed etiam relativarum; & quidem relativarum maximè: non enim de absolutis tam interesse putabant suæ contra Trinitatem hæreseos,quàm de relativis; præcipue verò de jis,quæ ad Patrem solum pertineant. Propterea quod inter relativas perfectiones Patris reperitur τὸ ἀγέννητον, illud ita cum Divinitate confusum esse affirmabant, ut nullibi Divinitas sine ἀγεννησία concipi, nedum reipsa inveniri, posset. Quo modo Filium,qui ingenitus esse non potest, Divinitate excludebant.

2 Quamvis ab illorum hæreticorum mente procul absint Catholici Theologi: Sunt tamen inter eos nonnulli; qui velint attributum vnum sic involui ratione, cogitationeque nostra in altero; vt vnum cogitari non possit, quin & Divinitas simul & omnia cogitentur attributa; nec aliam in jis differentiam admittant, quam nominis; vnde & Nominales appellantur: Dico autem istos non satis longè à prædictis recedere hæreticis. Et sane dum hi Theologi asserunt eum qui rationem ingeniti significat, aut cogitat, ipsam formalem Divinitatis significare cogitareque rationem; quid impedit? quominus Eunomiani statim inferant, ergo cùm Filius dicitur & concipitur non esse ingenitus, dicitur formalissimè non esse Deus: & contra cum asseritur esse Deus, asseritur & cogitatur esse ingenitus. Hæc itaque prima sit contra Nominales tanquam velitatio: quod ipsi suis vtentes principiis & loquendi modis nequeant se ab Aëtio & Eunomio satis tueri, satisque discernere. Sed hoc ex Trinitate sumptum argumentum extenditur ad alias etiam res Divinas latiùs: & illud postmodùm impensius promovebimus postquam ipsorum Nominalium & sententiam & fundamenta proposuerimus.

Proponuntur argumenta Nominalium.

3. Nominalium igitur sententia, quæ ab objectis creatis ad increata serpit, est, ea omnia (sive creata sive increata) inter quæ nulla est à parte rei distinctio, nullo modo posse per mentem sic distingui, vt cum de iis diversi sunt in mente nostra conceptus formales, sint etiam diversi conceptus objectivi: atque sic, isti voces diversas quibus ea declarantur, putant esse planè synonymas; itavt exempli gratia, animal & rationale nullo modo significatione, sed solo nomine differant; & similiter synonyma sint in Divinis,Sapietia,Misericordia atque natura tota comparata cum Paternitate, cum Filiatione & cum Spiratione. Ita sentiunt Major distinctione octava, quæst. 1. Aureolus dist. 1. a. 2. Guilliermus de Rubione dist. 5. Adamus dist. 35. quæst. 2. Okam & Gabriel dist. 2. q. 1. &c. Licèt Okam, & Gabriel doceant id cum exceptione mysterij Trinitatis; in quo volunt naturam à personalitatibus distingui non solum ratione, sed ea realitate, quam Scotus docuit. Inter Societatis nostræ doctores Nominalibus adhæserunt Hurtadus in methaphy. disputat. de distinct. sect. 4. Ariaga in logica disp. 5. Oviedo in Logica & in Metaphysica. Fatentur tamen hi omnes, cùm accidit vt ea, quæ ipsi nolunt conceptu objectivo distinguere, connotant effectus vel objecta realiter distincta; tunc propter connotatum posse dici illa quodam modo distingui ratione objectivâ; Iustitiam, v. c. Divinam & Misericordiam, dum à nobis concipiuntur in ordine ad punitionem & veniam. Sed hoc est agnoscere diversitatem inter sola connotata.

4. Vniversim fundatur hæc Nominalitia doctrina in eo quod dum aliquid ex natura rei est indivisum, ac sine vlla quoad rem, & τῷ πράγματι distinctione,non potest cogitationis & mentis nostræ acie dividi, aut secari, & obiectivè fieri multiplex. Quemadmodum enim mucro qui corpus aliquod non attingit, nequit illud dividere aut sauciare, quantumuis ad ipsum dirigatur; sic nostra cogitatio que in mente reconditur, non potest aliud in objectum, quam illud respicere,ac solum intentionaliter innoxièque

innoxieque attingere. *Distinctio rationis*, inquit Hurtadus disp.6.Metaph. sect.4. *est formaliter in intellectu, & non in objecto*: ergo per eam non distinguuntur conceptus obiectivi. Patet consequentia. Nihil enim potest distingui per eam distinctionem, quàm non habet in se; quemadmodum nihil potest esse album per albedinem, quâ caret. Antecedens probatur. Nam distinctio rationis non est aliud quàm actus intelligentiæ distinguens, actus autem intelligentiæ non est formaliter in objecto, sed in intellectu. Nec dici potest distinctionem rationis & actum intellectus, licet non existentem in obiecto, posse denominare distinctum ipsum obiectum denominatione nisi extrinsecâ, eo modo quo cognitio denominat cognitum. Nam sic objectum, utpote non habens in se intrinsecè distinctionem, non haberet pluralitatem formalitatum, ac per consequens nec actus nostræ cognitionis posset attingere plures in objecto formalitates, alioquin attingeret id quod non est. Si autem velis cognitionem non decipi, sed attingere verè plures formalitates, in objecto: ergo cognitio invenit eas formalitates esse in eo plures. Atque ita laberis in formalitates Scoti distinctas ex natura rei. Quod tibi necessarium est. Nam denominatio distincti non potest esse in objecto ita extrinseca, ut denominatio cogniti; quandoquidem per se intellectus noster fertur in obiectum, ut iam distinctum, & præsupponit in eo plures formalitates; ut plures enim eas agnoscit: at verò non fertur in objectum ut iam cognitum, neque cognoscit illud ut cognitum; cognoscit autem ut distinctum.

5. Vnde nascitur alterum Hurtadi argumentum, quod tamen vix habet aliquid novi. Sumamus v. g. animal, antequàm cognitio in illud cadat: peto, nùm in illo priori habeat aliquid ex parte sua, per quod sit formaliter aliud à rationali. Patet non habere. Alioquin enim valeret opinio Scoti. Igitur cognitio superveniens non ipsum attingit quasi aliud à rationali, & consequenter non attingit ipsum animal sine rationali. Si enim ex parte sua objectum non continet diversitatem, non datur fundamentum, cur cognitio attingat in illo unum sine altero. Nec minùs absurdum est, quod cognitio, per quam formaliter objectum distinguitur, cadat in ipsum distinctum; quàm si quis diceret albedinem uniri subjecto ut jam albo. Vrget verò sine fine Hurtadus, ideo non posse esse in objecto distinctionem & pluralitatem, quia in objecto non est intellectio ipsa distinguens. *Et ut penitus desinas allucinari*, inquit, *ibi est formaliter pluralitas conceptuum objectivorum, ubi est pluralitas intellectionum: hæc autem in intellectu est, non in objecto*.

6. Hæc Hurtadi & alia Nominalium argumenta fatetur Ariaga (quamvis fervidus & ipse Nominalis) nullam vim habere. Quapropter ut Nominalitiæ Doctrinæ succurrat, & ut omnem de medio tollat distinctionem conceptuum objectivorum, ostendatque non posse animalitatem v. g. significari, quin eodem nomine formaliter declararetur rationalitas; neque posse unum Dei Attributum cognosci, quin reliqua formaliter cognoscantur: hoc unicum ait se habere & approbare argumentum: *Non minus*, inquit, *opponuntur contradictoriè cognosci & non cognosci, quàm existere & non existere, produci & non produci: Atqui repugnat animalitatem hominis existere, & non existere ejus rationalitatem; item produci animalitatem hominis, & non produci rationalitatem; quantumvis virtualiter distinguantur: Ergo & implicat cognosci animalitatem hominis, & non cognosci rationalitatem.* Extendit suum illud argumentum ad Attributa perfectionesque Divinas: quia nempe tam repugnat Bonitatem Divinam cognosci, & Sapientiam non cognosci; item cognosci Paternitatem, & non Patris Divinitatem cognosci; quàm Dei Bonitatem existere, & Sapientiam non existere, Paternitatem existere, & non Patris Divinitatem existere. Ecce magnum illum Achillem & palmare argumentum, in quo totam spem Nominalium ponit Ariaga, nullam omnino futuram, nisi illo sustentetur.

Stabilitur Sententia contraria.

7. Interim stabilienda est & omnino tenenda contraria sententia, quæ est D. Thomæ & Discipulorum ejus, item Durandi, Marcilij, Canariensis, Henrici, Suaris, Molinæ, Vasquis, Valentiæ, & omnium denique aliorum præter Nominales, affirmantium posse cùm in creatis, tùm in Divinis reperiri distinctionem conceptuum objectivorum inter illa, quæ nullo modo ex natura rei differunt; ita ut dum ea cognoscimus, sint verè plures in intellectu nostro rationes objectivæ, quæ varios conceptus formales diversè specificent. Primum sumatur pro hac sententia argumentum ab experientia omnium planè mortalium, qui quocumque seu loquuntur, seu audiunt idiomate, id cogitant ad pronunciationem singularum vocum, quod ex hominum instituto vocibus hujusmodi declaratur. Quare, nisi velint Nominales cunctas invertere mutareque linguas tantò post earum institutionem factam, dicere non possunt cunctos mortales de Misericordia Dei loquentes cogitare formaliter de Iustitia Dei; & dum Divinam Clementiam explicant delicta hominum condonantem, explicare formaliter judicantis iram Dei, & inflictas ab eo acerbissimas pœnas. Ita ut in novo Lexico Nominalium Misericordia & Iustitia sint sinonyma; eodemque modo animalitas, & hanc in homine contrahens rationalitas. Patet hujus roboraturque vis argumenti ex eo quod si accidat, ut Concionator v. g. aliquis de Dei Æternitate per horam disseruerit, auditores, qui ejus dicta perceperint, nihilo plusquàm ante intelligunt de alijs Divinis Attributis; de quorum aliquibus fieri potest ut nunquam cogitarint, aut quicquam sciverint.

8. Præcedens argumentum confirmatur & elucidatur hoc secundo. Quando concipimus pluribus verbis perfectiones Divinas, v. g. Immensitatem, Iustitiam, Misericordiam, Potentiam, &c. negari non potest, quin ad illa plura verba obversentur cogitationi plures rationes objectivæ, si ad conceptum Immensitatis, Iustitia, Misericordia, &c. impertinenter se habeant; ita ut salvo conceptu meo Immensitatis, Iustitia, Misericordia, &c. ignorari à me possint: atqui ad conceptum Immensitatis, Iustitia, Misericordia impertinenter se habent, illoque salvo ignorari possunt, ergo, &c. Probatur minor. Nam siue Deus Iustitiam eam habeat, quæ pœnas à damnatis exigat sempiternas, sive naturam eam habere fingatur tam mansuetam, ut in causis impiorum judicandis locum dare severitati non possit, quæ pœnarum acerbitatem æternam injungat, & non tandem lenitate clementiâque mitigetur, ut aliqui hæretici putaverunt, manet idem conceptus Immensitatis. Nec millenarii de Iustitia Divina se-

tius quàm nos sentientes, Immensitatem magis quàm nos ignorabant. Atque si nunc aliquis Catholicus rectè sentiens de Bonitate, quâ Deus antecedenter vult omnes homines salvos fieri, ad castra hæreticorum transeat, & cum Calvino pugnaciter defendat nolle Deum salvari omnes, sed antecedente suâ voluntate reprobare plurimos, & ad inferorum suplicia destinare: is non propterea mutabit conceptum quem de Immensitate priùs habebat. Nec illi de Schola Theologi qui negant in Deo potentiam producendi actu numerum rerum infinitum, Immensitatem localem aliter concipiunt, quàm ij qui de infinito aliter opinantur. Certè qui Michaëlem novit esse spiritum, non illicò novit quam habeat sub genere spiritûs differentiam, Seraphinine, an Archangeli, & qui eum esse putabit Archangelum, non alium habebit de ipso conceptum spiritus genericum, quàm ille qui Seraphinum affirmabit.

9. Respondent Adversarij cognosci pariter cum immensitate clarè & explicitè cognita cæteras omnes Dei perfectiones, Iustitiam, &c. sed confusè & implicitè; differentiam item Michaëlis specificam intelligi confusè & obscurè cum ratione spiritûs distinctè clarèque proposita. Verùm illa responsio (quâ meliorem nullam invenient) evertit funditùs totam eorum Doctrinam. Non enim minùs hæc duo contradictoria sunt, cognosci explicitè, & non cognosci explicitè, quàm cognosci absolutè, & non cognosci absolutè. Ergo si quidpiam nequit cognosci absolutè, & non cognosci absolutè, non potest explicitè & non explicitè. Deindè cum dicis in Michaële sic distinctè rationem spiritûs cognosci, ut per eam nostra cognitio distinguat illum ab omni corporeo, non autem ita cognosci distinctè rationem differentialem, ut per eam cognitio eundem Michaëlem distinguat à cæteris spiritibus. Nonne totum fateris quod nos asserùimus? Quid enim aliud intendimus, quàm per cognitionem gradûs generici species omnes sub eo contentas inter ipsas confundi & non agnosci earum differentias explicitè ac distinctè; sed rationes specificas & differentiales ita se habere in ea cognitione, ac si non essent quoad suum esse distinctum? Quoniam in Tractâtu de Trinitate lib. 3. cap. 7. hanc Nominalium Doctrinam fusè oppugnavimus, plura in præsenti non proferemus hac de re, nec ea repeti opus est, quæ ibi, si quis volet, videre poterit. Cæteris itaque omissis ad eam redeo, quam hujus Capitis initio dicebam esse Nominalibus cum Aëtio, Eunomioque similitudinem, ob quam illi ab his non se possunt satis secernere, neque satis se tueri ac protegere ab ijs argumentis, quibus Sancti Patres appetunt illos hæreticos: qui in ea Nominalium Doctrina nullam conceptuum objectivorum distinctionem admittente, velut in opportuno commodoque solo, suæ constituerunt fundamentum hæreseos.

10. Sanè omnia quæ Sancti Patres, & in iis Basilius, eiusque Frater Gregorius contra Aëtianos, Eumianosque scripserunt, in Nominales recidunt. Eò enim illi Patres spectabant, ut illud quo ipsi hæretici nitebantur, fundamentum diruerent, & conceptus in Deo posse distingui obiectivos convincerent. Idque validum est contra Nominales argumentum ex authoritate Sanctorum Patrum illis adversantium, & eorum doctrinam tanquam hæreticorum columen præsidiùmque damnantium. Damnat Basilius in Libro de recta fide, illos qui putant cum Eunomianianis quolibet nomine, quo Divinum aliquod Attributum significatur, cætera simul Attributa omnia declarari, & sinonyma esse quæ varijs Attributis diversa assignantur nomina. *Nullum est* (inquit) *nomen quod sufficiens sit ad omnia gloriæ Divinæ ornamenta. Hoc enim nomen (Deus) non hoc ipsum exprimit quod Pater, ei porrò quod est, Pater, deest quod est, Creator; tum illis deest, addiq; debet Bonitas, Sapientia, Virtus, &c.* οὐκ ἔστιν ἓν ὄνομα ἀρκοῦν πάσας ἐμοῦ δηλῶσαι τὰς τοῦ θεοῦ δόξας. Αλ. εἴποι τις (Θεὸς) οὐκ ἐδήλωσε τὸ Πατήρ. τῷ δὲ Πατὴρ λείπει τὸ Κτίστης. τούτοις δὲ πάλιν χρεία Ἀγαθότητος, καὶ τῶν λοιπῶν.

11. Quare idem Basilius Libro 1. contra Eunomium manifestam aït esse insaniam subjicere unius Attributi Divini vocabulo notionem omnium Attributorum, sic ut notio unius implicetur cum notione alterius, & idem possint significare invicem omnia nomina: quomodo Petri vocabulum idem est quod Cephas vel Simon. Cum suo Fratre Gregorius Lib. 1. contrà eundem hæreticum sentit non nisi multiplicato nominum numero considerari cognatas in Deo dignitates multiplices. Κατὰ τὸν ἀριθμὸν ὀνομάτων αἱ συμφυεῖς ἀξίαι Θεοῦ θεωροῦνται. Qui ibidem nominum perfectionumque Divinarum multiplicationis rationem refert ad imbecillitatem animæ nostræ iacentis humi & suo infossæ corpori, non valentis nisi multiplici conceptu πολυμερῶς naturam Divinam intelligere, pulcherimum verò est quod Lib. 12. adversus eundem Eunomium ait, Deum quando de se suisque Attributis nobiscum loquitur, non alio uti quàm nostro conceptuum objectivorum idiomate, & eiusdem velut balbutientis linguæ communione nobis conjungi, non secus ac amantissima quædam mater fictam linguæ debilitatem accomodat indistinctis infantulorum vagitibus & simul cum illis blandiculâ verborum pronuntiatione loquitur.

12. Tam vehementer (inquit Alcuinus lib. 2. de Trinitate cap. 6.) Deus humanæ consulùit infirmitati, ut nostræ locutionis more seipsum insinuare velit, quatenus per nostra ad sua nos traheret. Atque hinc intelligere possunt Nominales, Doctrinam ipsorum minùs placere Deo, utpote qui sermocinando cum hominibus nomina usurpet conceptus objectivos distinguentia. Indeque sumitur optimum argumentum, præter illa quæ adducta superiùs fuerunt, sumptum ab ipsius Dei loquentis per totam Scripturam usu; & à Sanctorum Doctrinam Patrum suprà citatorum: Quibus unum ex Latinis contentus ero Bernardum varijs sub nominibus distinguentem rationes Divinorum Attributorum objectivas lib. 5. de Consider. *Deus amat* (inquit) *ut charitas, judicat ut æquitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, operatur ut virtus, tuetur ut salus, revelat ut lux, assistit ut pietas, &c.*

Respondetur Nominalium Argumentis.

13. Illis fusè respondimus cap. 8. lib. 3 de Trin. Nunc breviter dico, ea ferè omnia, quæ contra nos afferuntur, duplici errore niti. Vel enim supponunt nos, dum conceptus objectivos distingui asserimus, velle ipsa objecta, prout considerantur in se, & à parte rei, sive τῷ πράγματι

(ut Patres Græci hac in re loquuntur) dividi intrinsecè atque sauciari acie nostræ cognitionis non existentis in objecto, sed nostrum dumtaxat intellectum informantis. Ab ea procul (quæ solum est aduersariorum) imaginatione absumus. Conceptus objectivos non aliter multiplicari volumus, quàm ἐπινοίᾳ & prout cogitationi nostræ subjacent; ita vt objecto, prout in re & in se existenti, ea diuisio siue distinctio, quam cogitatio nostra facit, denominatio merè sit extrinseca, quemadmodum & ipsa cognitio: cum hoc tamen discrimine: quòd denominatio cogitati seu cogniti non aliud supponat fundamentum ultra cogitationis actum. Denominatio autem divisi seu distincti supponat aliquid ulterius quàm cogitationem distinguentem; nempe distinctionem virtualem, quæ sit realiter seu fundamentaliter in ipso objecto. Cogitatio enim, cùm non supponat ullo modo objectum ut cogitatum, nequaquam illud cogitat esse cogitatum: at mentis actus, cùm distinctionem formalem facit, cognoscit ipsam, & præsupponit in re ut virtualiter existentem. Per hoc solves argumenta, quæ supra adduximus num. 4. & 5. quorum vim esse nullam censet Ariaga.

14. Quod verò ipse putat esse validum (& à nobis allatum est nu. 6.) facilè solvetur; si attendatur secundus Nominalium error: quòd non considerent distinctionem conceptuum objectivorum supponere in objectis formalitates virtualiter ita distinctas, vt non eodem omnes modo possint à se disiungi, nec in ordine ad easdem denominationes. Nam cum hujusmodi formalitates hoc habeant omnes, vt possint per nostram cogitationem dividi; (quomodo & animalitas à rationalitate, & Divina Iustitia à Misericordia, Immensitate &c. separantur cogitatione) non est in iis vlla contradictoria oppositio, quoad cognosci & non cognosci. Sunt item quædam formalitates in Divinis, quæ ampliorem habent virtualis distinctionis realis latitudinem; quales sunt Divinitas & Paternitas in prima Persona, cuius vna simplicissima entitas potest sine contradictione non tantum cognosci & non cognosci, sed etiam realiter communicari & non communicari. Eodem modo Divinitas & Filiatio in secunda Persona potest & non produci & simul produci. Quod autem attinet ad existere & non existere, nulla est sive in Divinis, sive in creatis entitas simplex, quæ talem habeat virtualem multiplicitatem, ut sine contradictione possit illa duo participare extrema, nempe existere & non existere. Hinc apparet illius imbecillitas argumenti, cui soli fidebat Ariaga.

CAPVT V.

An & quomodò Deus sit Infinitus.

1. LICET in hoc libro (vt eius primus titulus præfert) de attributis Divinis non tam singulatim & particulatim quam genericè sumptis disputare, mens mihi fuerit; non putavi tamen ideo nunc Infinitatis istud omittendum esse attributum; cùm verè propriéque particulare non sit; sed quandam cum singulis Dei perfectionibus communitatem vniversalem habens ad eas omnes diffundatur; eisque summam dignitatem pretiumque conciliet. Nec enim sive Æternitas sive Immensitas, absque Infinitate concipi, nomenque suum, quod hanc sua significatione involvit, tueri possent; neque Sapientia, Bonitas, Misericordia vel vllum aliud attributum sedem in essentia naturaque Divina obtinet, nisi interminatam in suo quodlibet ordine, infinitamque possideret excellentiam. Solum hoc nempe Infinitatis attributum (cæteris, quæ intra Divinitatem admissa sunt, implicatum) fecit, vt ea tam excelsæ mansionis iure donarentur. Petit enim essentialiter Deus in omnium ac singularum, quas recipit perfectionum genere Infinitus esse. Quod & Catholica supernaturalique fide certissimum est, & (quamvis non sine magna difficultate) naturali etiam lumine rationis convincitur.

2. Quod ad fidem spectat Catholicam, sponsorem habemus Davidem; qui psalmo 144. Ita canit; *Magnus Dominus & laudabilis nimis & magnitudinis eius non est finis.* Vbi cùm magnum dixit, voluit perfectum intelligi; & magnitudinis infinitæ nomine perfectionem significat infinitam; sicut enim ait Augustinus lib. 6. de Trinitate cap. 8. in spiritualibus quantitatis molem nullam habentibus, id censetur esse maius, quod melius atque perfectius. Eodem sensu dicitur psal. 146. *Magnus Dominus Deus noster & magna virtus eius, & sapientia non est numerus.* Idem habetur in cap. 3. Baruch; *magnus est & non habet finem*; sunt & innumera in sacris literis loca, que Deum, iam in hoc, iam in illo genere indicent esse Infinitum; scilicet in Sapientia, Bonitate &c.

3. Prædictæ congruenter Scripturæ Sancti Patres liquidò passim pronunciarunt Deum Infinitum esse simpliciter & absolutè in omni genere; ita vt perfectiones omnes perfectissimo modo contineat, & in singulis omnem graduum virtualium possibilitatem absorbeat. Id verò definierunt Lateranensis sub Innocentio tertio Concilij Patres cap. *Firmiter*: Et habetur in symbolo Athanasij, perfectionum infinitate sub immensitatis nomine declaratâ: *Immensus Pater, Immensus Filius, Immensus Spiritus Sanctus.* Expressè Basilius homil. in principium Ioannis; *Infinitus* inquit, *Pater, Infinitus Filius*; eleganter illius Frater Gregorius orat. prima in id Geneseos (*faciamus hominem.*) *Magnum Deum cogita, & huic magno plus etiam atque etiam adde, quàm cogitasti; atque ita exple cogitationem tuam; neque unquam quæ infinita sunt capies; nec magnitudine excluditur, nec finibus cohibetur.* Non omittendus est elegantissimus Hilarij locus in psalmum 144. asserentis *Deum nihil habere in se mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum, & magnitudinis suæ & laudis. Arctus ad id sensus noster est, ingenium hebes est, sermo mutus est. Finem ipsius magnificentiæ nescit, & emetiendi se opinionem immensa magnitudo non patitur &c.* Considerandum verò est cùm summam habeat excellentiam tanta vis immensitasque collectarum perfectionum; longe item excellentem videri modum, quo invicem colliguntur, & in vnum confluunt indivisibile: ita vt in eo non aliud sit Sapientia, aliud Bonitas, aliud Potentia &c. Nec enim aliud est Deum esse Sapientem, aliud esse Potentem &c. Sed unde Potens, indidem Bonus est, ac Sapiens &c. vt optimè Bernardus explicat sermone 8. in Cant. & lib. 5. de consid. *Quodlibet bonum summa eius natura est* (inquit Anselmus in mono. cap. 15. & 16. de Deo loquens) *illa simpliciter natura cum sit omnia bona; necesse est, vt omnia illa non plura, sed vnum sint. Idem igitur est quodlibet vnum illorum, quod omnia sunt simul, sive singula.*

4. Quantum facile est lumine supernaturali ex Scriptura Sanctisque Patribus probare absolutam essentiæ Divinæ Infinitatem in omni genere secundum totam latitudinem possibilitatis entis; tam difficile est ob humanæ mentis imbecillitatem id ipsum ratione naturali convincere, & iis satisfacere, quæ ad singulas probationes infirmandas objiciuntur. Atque cum hic ante omnia statuendum foret quid propriè intelligi nomine infiniti debeat, id ipsum difficiliter expeditur. Et quidem primo distinguendæ sunt variæ infiniti acceptiones. Licet enim haud rarò nomen illud vsurpetur privativè, pro eo scilicet quod caret termino seu fine, quem tamen natum sit habere. Licet item sæpe accipiatur hyperbolicè pro eo quod valde magnum est; vt cum 3. Reg. cap. 3. dicitur *infinitus populus* & cap. 10. *infinitum aurum nimis.* Licet prætereà sumatur in Scholis pro eo quod cùm verè actu in se finitum sit, consideratur semper in vlteriore potentia, & vocatur *infinitum syncategorematicè, aut finitum in infinitum* In præsenti nihilominus quæstione sumimus infinitum maximè propriè. Cuius definitio verusque conceptus non ita obvius est; Nec videtur satisfacere Aristoteles 3. Phys. cùm illud ita describit, *quod actu existens superat omne finitum.* Oporteret enim vt doceret quodnam sit illud finitum omne, & vtrùm detur. Non item cum ibidem ait cap 6. *infinitum id esse cuius partem aliquam finitam accipientibus restat semper aliquid accipiendum ulterius.* οὗ κατὰ τὸ ποσὸν λαμβάνουσιν, αἰεί τι λαβεῖν ἔξω ἐστίν.

5. Ista secunda descriptio, quæ videtur soli competere infinitati quantitatis, seu numeri, potest quidem omnibus rebus etiam spiritualibus & simplicibus adaptari; quatenus in ijs considerantur partes virtuales. Sed habet difficultatem non parvam. Etenim dato numero infinito (v. c. hominum) negari non potest, quin clauderentur in illa infinitate majores & majores numeri finiti; ita ut nunquam veniri posset ad eorum extremum, hoc est, ad eum numerum finitum, qui unâ superadditâ unitate fieret infinitus. Atque sic intra illam infinitatem darentur actu producti numeri finiti, quorum multitudini conveniret prædicta infiniti descriptio Aristotelica; nempe *ut partem aliquam accipientibus restet semper aliquid accipiendum:* Quod implicat. Nam intra numeros illos finitos, antequàm ad infinitum perveniretur & cis infinitatem, inventum fuisset verum infinitum. Vide numerum nonum infrà sub ejus finem.

6. Sed quocumque modo possit infinitas definiri, certum est illam omnimodam, & in omni genere amplissimè sumptam in Deo locum habere; cujus rei probatio nobis nunc investiganda est, si ulla possit abstrahendo à revelatione ductu solius luminis naturalis inveniri. Et quidem non valet quicquam ea probatio quam Aristoteles lib. 8. Phys. textu 7. & lib. 12. Metaph. textu 41. sumit ex eò quòd Deus virtutem habeat movendi Cœlos tempore infinito. Supponit hæc ratio Mundum & Cœlorum motum fuisse ab æterno, illos Deo per seipsum ciente. Sed quamvis id ita extitisset ab æterno, & extiturum esset in æternum, nihil tamen prorsus valeret ea ratio. Ad sempiternam enim corporum cælestium agitationem sufficeret virtus finita superioris ordinis, dumtaxat perseverans, nec per temporis longinquitatem imminuta, aut debilitata. Quandiu enim virtus maneret eadem, apta foret facere idem. Interpretatio verò & explicatio quam D. Thomas adhibet illius rationis invalidæ, præsertim lib. 1. contra Gentes cap. 2. non est satis ad rem aut mentem Aristotelis.

7. Nec validior est ratio quam Gregorius in 1. dist. 42. substituit, sumptam ex eo quod Deus possit motum localem facere velociorem in infinitum syncategorematicè, & frigefacere in instanti aliquod calidum. Non etiam probatur efficaciter Infinitudo Divina ex eo quòd possit Deus continuare generationes rerum in perpetuum, atque ita infinitos effectus producere successivè, aut etiam simul conservare. Ad id enim omne sufficere posset virtus finita sublimioris ordinis. Idemque responderi posset ad rationem quam Scotus ut firmiorem affert dist. 2. quæst. 1. desumptam ex eo quòd Deus prima causa agens per intellectum debeat simul omnes effectus præintelligere, quos valet in infinitum producere. Sanè Durandus & quidam alij vim eam in humano Christi intellectu admittunt. Non valet etiam ad probandam Infinitatem Dei, quod ait D. Thomas quæst. 7. art. 1. *Esse Divinum non esse receptum in essentia.* Supponit enim falsum de distinctione existentiæ & actualis essentiæ in creaturis. Cùm irritæ sint, nec sufficientis momenti probationes jam adductæ, & aliæ nonnullæ similes, visum est quibusdam non posse ratione naturali, nec aliter quàm revelatione probari Deum esse Infinitum. Puto tamen non ita esse, sed posse id sufficienter convinci per ea quæ dicemus infrà.

8. Suares disp. 1. Metaphys. rejectis minùs probalibus Infinitatis Divinæ probationibus, quasdam affert alias, quæ videntur ipsi habere aliquid efficacitatis. Inter quas illa est, quæ sumitur ex creatione & extractione rerum à nihilo. Eam equidem probationem, prout à multis ostentatur, non magni puto esse ideo faciendam, quòd dum aliquid producitur ex nihilo dicatur educi ad existentiam ex infinita distantia: Neque ideo, quòd si virtus agentis major esse debet, quando potest quidpiam producere ex materia magis impedita, sivè ex potentia magis distante ab actu; multis videatur maximam & infinitam debere esse virtutem eam quæ producit aliquid ex nulla penitùs potentia passiva. Totus, inquam, ille discursus parum habet roboris, & non bene ludit in nomine distantiæ metaphorico. Nam quamvis propter passivam subjecti (quod v. g. frigidum sit) resistentiam desideretur magna vis activa in agente productivo caloris, nihilominùs falsum est effectum, qui est submersus in nihilo, distare ab actuali sua existentia infinitè, ut ad eum ex tam longinquo accersendum necessaria sit agentis vis infinita. Non enim ille effectus à suo distat ortu, nisi totâ sui latitudine. Quare posset responderi argumento prædicto, ad creationem alicujus entitatis finitæ sufficere potentiam finitam superioris ordinis. Imò nec superioris ordinis juxta illos, qui existimant (ut Lessius opusculo de Misericordia Dei num. 113.) formas omnes materiales produci in ipso subjecti sinu ex nihilo: cùm prius naturâ sit illas esse, quàm esse unitas; atque adeo priùs quàm subjectum habeant, & ab eo in sui productione juvari possint.

Naturali ratione probatur efficaciter Deum esse Infinitum.

9. His tamen non obstantibus hoc argumentum fundatum in necessitate virtutis infinitæ ad creandum, prout à Suare proponitur, non videtur inef-

ficax. Perspicuum enim est, constareque debet inter omnes infinitam esse oportere Divinam illam creandi virtutem, quæ habet pro suo objecto omne ens capax participandi magis ac magis sine fine perfectiorem Dei continentis eminenter omnem perfectionem creaturarum possibilem: Quæ perfectio possibilis creaturarum, si esset finita, Deus non posset in actione sua progredi, nisi usque ad certum determinatumque finem; cùm certum sit posse progredi infinitate saltem syncategorematicâ. Ad quem in agendo progressum meræ foret insanitatis non aliam virtutem agnoscere, nisi finitam quantumcumque sublimis ordinis; præsertim cùm ad creationem non aliud requiratur ex parte effectus, quàm vt non repugnet, nec involvat contradictionem ullo impedimenti interventu. Ac deinde cum ipsa creatio suos producat effectus secundum omnem, quæ in eis funditus est, rationem entis; cùm nullum ens præsupponatur, ex quo res fiant.

10. Non caret item efficacitate ad Infinitatis Divinæ probationem hæc ratio: Quod nempe Deus sit Ens à se, & omninò necessarium, atque primum, omnemque præocupans, vt ait Dionysius, perfectionis possibilitatem; non acceptum ab alio ente præsupposito, quod nullum est; nec talem vt posset in ipso Deo non existere aut limitari ad aliquam tantum partem perfectionum possibilium. Sic enim dicendum esset aliam perfectionum possibilium partem à Deo exclusam, in nullo posse ente reperiri, & sic inutilem remanere; vel reperiri in alio quodam ente à se, necessario atque improducto; & & hoc non; cum nequeant esse duo Entia à se & necessaria; quorum quodlibet sit perfectum velut dimidiatè: Vel denique recipi in entibus creatis ac secundarijs; Et hoc etiam non; Nam entia creata non possent ab ullo talem accipere perfectionum partem: Non à Deo, sivè increato Ente cum ab ipso ea perfectionum pars esset exclusa; nec dari posset ab illo qui eam non haberet. Cùm igitur ex dictis constet Deum præoccupasse omnem perfectionum possibilitatem independenter ab omni causa, quæ potuerit in illo tot tantasque perfectiones impedire aut limitare; & cum aliunde capacitas ipsius Entis primi sit ad illas recipiendas illimitata; negari absque impia stoliditatis pertinacia non potest; quin Ens illud ad quod perfectiones omnes & omnis entitatis realitas atque perfectio toto possibilitatis impetu confluxit, Infinitatem habeat absolutam. Vnde apparet fundamentum Infinitatis in Deo esse; quod is sit Ens à se, & habeat negationem dependentiæ. Quamvis enim (ut bene monet Suares in Tract. de Deo lib. 2. qui est de Attributis negativis cap. 10.) negatio dependentiæ non constituat rationem formalem Infiniti, sed improducti, quod distinctum est ab infinito. Tamen illa duo sic se habent, vt ex ratione improducti & Entis à se, sivè Entis primi, Entisque necessarij colligi omnino debeat essentiæ infinitudo. Atque ita certum manet non tantum revelatione, sed etiam lumine ipso naturali Deum esse Infinitum; imò videtur ea veritas esse quasi per se nota lumine naturali postquam aliquis cogitavit Deum & summum Ens.

11. Sanè nullus est, qui lumine naturali cognitionem de Deo suscipiens non eum judicet omnibus reliquis entibus tùm existentibus, tùm possibilibus esse perfectiorem; & omnes creaturarum dotes in se cum eminentiâ continere: Cùm enim ratio dictet Deum vt causam æquivocam productorem esse omnium entium, ac nihil esse possibile nisi quatenùs ab eo produci potest; necessarium est ipsum omnibus rebus possibilibus antecellere. Præterea certum esse debet res possibiles infinitas esse saltem syncategorematicè. Nec enim vlla est ratio, cur contrarium asseratur. Affirmandum itaque videtur vlteriùs, nisi quis obstinatè rixari voluerit, illam summam essentiam, cui potentia competit actualis creaturas syncategorematicè infinitas perfectiores & perfectiores producendi, esse actu categorematicèque infinitam. Quamvis enim, vt superius indicavimus, non videatur id quasi vi formæ sequi, si velit quis esse pertinax, & cum contumaciâ dicat sufficere, ut summa illa essentia superioris cujusdam sit ordinis licet finiti. Tamen eam contumaciam refugit sapiens intellectus; negarique non potest, nisi malignè talem essentiam in tanto excessu & supereminentia transcendere gradum omnis finitudinis.

12. Denique longè excellentius est infinitum esse in perfectione, quàm esse in ea finitum: lumen autem naturale dictat, vt per se notum principium, Deo tribui oportere id omne, quod excellentius est, si non implicat contradictionem, qualem hic nullus ostendet. Omnes enim gentes hanc Dei notionem habent; vt tale sit Ens, quo nihil queat perfectius concipi. Atqui ego quacumque perfectione quam mihi finitam proposueris concipiam perfectius aliquid; nec enim repugnat cuicumque perfectioni finitæ superaddi vnum gradum. Stet igitur certum non solo supernaturali, sed & naturali lumine, Infinitatem Deo competere, quæ idem sit quod summa omnimodaque perfectio. Melius enim quàm Aristoteles infinitum definierunt antiquiores Philosophi quos ipse lib. 3. Physicorùm cap. 6. textu 62. ideo reprehendit, quòd infinito definitionem hanc summi perfecti tribuerent *cuius extra nihil est οὗ μηδὲν ἔξω*; nimirum, quod in se vniversa possibilia complectitur. Ea sane definitio potior est quàm Aristotelica; quæ ex contrario asserit infinitum esse cujus semper aliquid est extra *οὗ αἰεί τι ἔξω.* cuius definitionis vitium nos supra ostendimus num. 4.

CAPVT VI.

Circa infinitas cùm Essentiæ, tùm Attributorum Divinorum perfectiones, Mystica contemplatio.

1. MAGNVS es Domine & laudabilis nimis & Magnitudinis tuæ non est finis: Vt tuus olim canebat Propheta Psalmo 144. Quam verò ille Magnitudinem tuam ait non habere finem; ea ipsa finis est vltimus, propter quem omnia facta sunt, & in quo denique omnia terminantur. Finem tamen ipsa non habet, nec ad quem tendat, nec quo terminata claudatur. Sicut enim non ab alio quam à te, nec per alium quam per te, sic nec propter alium quam propter temetipsum eâ magnus es Magnitudine quam infinitam prædicto carmine Psalmistā significavit. Ista tua Magnitudo (instar indivisibilis puncti) non est per quantitatis partes extensas; sed per virtuales gradus perfectionis, quæ nullo termino limitevè definiatur. Id vel solo naturali lumine percepit olim (Si quod cicebat intellexit) ille Philosophus, qui Divinam Magnitu-

dinem pronuntiavit, *Spharam esse, cuius centrum ubique sit, circumferentia vero nusquam.* Quandoquidem illa est conditio ratioque centri vt essentialiter indivisibile sit, nec plus quam puncto constet. Magnitudinem, sphæræ huius infinitæ, in quâ vbiquè centrum, atque adeò quæ tota centrum est, & quæ circunferentiæ nullo definitur ambitu, necesse est cum sua infinitate indivisibilem esse; ita vt absque vlla formali dimensionis extensione virtualem spatiorum latitudinem contineat; quæ Cælorum immensitatibus, & mundis innumerabilibus sufficiat recipiendis. In quorum mundorum spatiis, si producerentur, inciperet Deus novam habere præsentiam, absque sui mutatione. Non enim ipse ad illos sese extendendo porrigeret; sed illi ex suo nihilo producti novi recentesque venirent ad ipsum in suam (ut ait Dionysius cap. 1. de Cælesti hier.) indivisibilitatem infinitatis collectum, in eaque fixum, ἵδρυον ἐκεῖ τῷ ἐν ἀκινήτῳ ταυτότητι πεπηγότα.

2. Quantam verò Divina indivisibilitas contineat amplitudinem atque infinitatem exponit mistica subtilitate idem Dionysius cap 9. de Div. nom. applicatis translatisque ad id tribus corporum dimensionibus. Si velis, inquit, adaptare ac velut adalligare tres corporeæ extentionis formas sivè dimensiones, Deo materialium huiusmodi affectionum experti. Εἰ βούλει τὰ τριττὰ σωμάτων σχήματα θεῷ ἀσχηματίστῳ περιάψαι. Dicendum erit Magnitudinis Divinæ latitudinem esse effusissimum & omni dilatione majorem ad omnia progressum: πλάτος θεῖον, ὑπερευρεῖαν ἐπὶ πάντα πρόοδον. Longitudinem verò esse potentiæ vim ad universa pertinentem, ultra omnem extensionis modum: μῆκος δὲ, τὴν ὑπερεκτεινομένην τὰ ὅλα δύναμιν. Profunditatem denique censeri posse abditissimam omnibus, latentemque naturam, & à creaturarum oculis cognitioneque submotam: βάθος δὲ, τὴν πᾶσι τοῖς οὖσιν ἀπερίληπτον κρυφιότητα, καὶ ἀγνωσίαν.

3. Ita nimirùm si tuæ, Domine, Magnitudinis infinitudo exponenda sit à mortalibus, qui mentem à sensuum externorum consuetudine, & rerum corporatarum formis ac imaginibus avocare nesciunt; non potest perfectionum amplitudo aliter à nobis intelligi; nisi quadam ad corporum extensionem proportione. Quare tuam (vt altior mysticorum Theologia loquitur) Super-sapientiam, Super-bonitatem, Super-potentiam; vel sicut ait Boëtius lib. de Trinitate Vltra-sapientiam, Vltra-bonitatem, Vltra-potentiam; atque reliquorum exuperantiam attributorum non aliter informare animo possumus; quàm vt iis quoddam sublimitatis genus, necnon longitudinis, latitudinis, profunditatisque tribuamus. Nempe vt omni sublimitate superiorem in excelso solio maiestatem suspiciamus; & super Cælos gloriam tuam; altitudinemque divitiarum Sapientiæ tuæ. Et præterea longitudinem, ac latitudinem quoquoversum effusam circumspiciamus instar immensæ lucis, quæ mundum impleat, superet atque circumfundat ἐγκόσμιος, ὑπερκόσμιος, περικόσμιος, ut loquitur idem Dionysius. *Si ascendero in Cælum tu illic es; si descendero in infernum ades; si habitavero in extremis maris, manus tua deducet me* psal. 13. Denique quod ad profunditatem attinet, iudicia tua abyssus multa, quæ explorari non potest. Qui tamen scrutari profunda tua non debemus, iubemur ea venerari. Da mihi Domine intelligere (quâ moderatione, sobrietate; venerationeque par est) cum omnibus Sanctis quæ sit Infinitatis tuæ latitudo & profundum: Latitudo Charitatis qua nullo excluso vis omnes homines salvos fieri: Longitudo Sapientiæ, potentiæque tuæ, quâ attingis à fine usque ad finem fortiter, sublimitas promissionum tuarum, & eorum bonorum, quæ nec oculis visa nec auribus audita, nec in cor hominis ascendentia præparasti diligentibus te: Profundum denique decretorum tuorum, atque illius providentiæ; quâ salutem quibusdam efficaciter procuratam adjudicas; aliis qui oblatam eam nolüere, abjudicas.

4. Infinitam perfectionum suarum sphæram ita Deus inhabitat, vt cum in ea suum vbique centrum, & suam Beatissimus requiem ipse habeat; in eandem requiem suam nos omnes introire exoptet. Illa est enim requies ad quam Christianos invitat Paulus in Epist. ad hebr. cap. 4. ne ob incredulitatem nobis contingat idem quod illis quibus iuravit Deus in ira sua, non introituros eos in ipsius requiem æternam ac beatissimam. Quare nostras Deus voluntates in illud suæ requiei centrum, ad quod vergant quodque summo velut nisu, naturaliq; pondere capessant, inclinat. Cum enim ex Aristotele centrum naturas eas, quarum est proprius locus, non solum dùm eas præsentes possidet contineat, muniat atque conservet; sed etiam absentes ad se alliciat & attrahat; eam vim nos ad se convertendi atque rapiendi in hoc experimur præcipue centro; ad quod nos ita Deus fecit; vt inquietum sit cor nostrum (instar acus magneticæ huc illuc vibrans,) donec in beata illa sede requiescat, quam Dionysius vocat cap. 1. de Div. Nomin. ἑστίαν τελειωτικὴν, καὶ πρὸς ἑαυτὴν ἐπιστρεπτικήν. Qui autem eò se vertere quò creati sunt, recusant, & quocunque aliò divertunt; eorum animus locum in quo quiescere possit, nullum inveniet; æstu scilicet interminatæ cupiditatis abreptus, & ejus adductus impetu peccati, quod infinitum & sine scopo idem Dionysius cap. 4. de Divin. Nom. ἀόριστον καὶ ἄσκοπον vocat: atque ita nihil habens quò tendat, infinitas peregrinabitur extra suum centrum inanitates, & vacuitatis spatia, quæ nullam extremitatem aut oram habeant.

5. Quod si quis creaturæ alicuius delectatus ludificatusque illiciis, ad eam ultimò tanquam ad finem adhæreseat; in ea dùm requiem quæret, nequaquàm inveniet; sed inutiles motuum circa illam gyros malignâ luce, vespertilionis instar, nullo progressu conficiet. Tantum verò abest vt (instar Caïni semper vagus) in rebus creatis aliquod possit invenire perfugium; vt potiùs ab omnibus contumeliosam passurus sit repulsam; & vndecunque fugatus, ne quidem intra seipsum recipere se poterit, suâ illum conscientiâ intùs lacerante, & extra ipsummet deturbante præcipitem. Et quidem meritò. Consentaneum enim est, vt quisquis à Deo & ab omni quod in Deo continetur alienus esse voluerit, ab omni ente rejiciatur hostiliter; & à semet exulans ab ipsâ quâ constat essentiâ deseratur redactus in nihilum, nullibique futurus. Quod Adamum fuisse meritum ait in secundâ allegoriâ Philo Iudæus. Si enim inclamanti, & ipsum hac voce (Adam vbi es?) insequenti Deo verè appositèque refuga ille respondere voluisset; nihil aliud iuxta prædictum authorem dicere potuisset, quàm se *nullibi esse*, τόπον γὰρ οὐδένα ἔχει ἡ τοῦ φαύλου ψυχή. Hoc est, nullum habet locum anima impij: Quarè Græci, inquit, impium vocant Ἄτοπον.

LIBER QUINTUS

De Divina Incomprehensibilitate Dei, & per Lumen Gloriæ Visibilitate.

QVEMADMODUM summa Dei excellentia ex ijs intelligitur Attributis, quæ sive positivis, sive negativis expressa vocabulis, increatam vel constituunt, vel sequuntur essentiam, absque ullo ad creaturas respectu. Sic & infinitam ejus sublimitatem illa indicant Attributa, quæ quandam ipsius cum creaturis comparationem significant. Quarum tanta est præ tanti Numinis excelsitate humilitas, ut ne quidem ad ejus aspectum possint accedere absque supernaturali auxilio, sicut ostendendum isto suscipimus Libro. In cujus primo Capite probabimus Essentiam Divinam à nullo intellectu creato esse comprehensibilem. Capite deindè secundo nec naturaliter esse visibilem. Supernaturaliter tamen esse constabit Capite tertio. Postea differetur de Visione Beatifica in Capite quarto. In quinto autem agetur de Lumine Gloriæ. Sextum deniquè Caput exhibebit anagogicam Visionis Beatificæ contemplationem.

CAPVT I.

An & quomodo Deus sit Incomprehensibilis.

1. QVAMVIS hoc Attributum denominationem sumat solùm ab extrinsecis creaturarum potentijs: Valet tamen ad significandam summam Divinitatis perfectionem intrinsecam; quæ tanta sit, ut à nullo intellectu comprehendi queat. Verùm ut quid Incomprehensibilitatis nomine hic intelligatur, & quod comprehensionis genus excludat, exponamus. Notandum est quam Græci dicunt κατάληψιν, Latinos comprehensionem vocare, & eo sensu explicare, ut sit velut, dum quispiam alium contentiore insecutus cursu, & tandem assecutus, manu eum tenet comprehensum. Quam subjectam esse vim ei voci sumitur ex Paulo scribente ad Philippenses cap. 3. *Se nondum accepisse & sequi ut comprehendat, in quo & comprehensum sit à Christo Iesu.* διώκω δὲ εἰ καὶ καταλαμβάνω ἐφ' ᾧ καὶ κατελήφθην ἀπὸ Χριστοῦ. Desumptâ similitudine ab ijs, qui (ut ipse alibi dicit) in stadio plures ita currunt, ut unus cæteris præripiens, suæ celeritatis accipiat in meta comprehendatque bravium. In hoc primigenio sensu non hic sumimus Incomprehensibilitatem, prout nimirum eam comprehensionem excludit, quæ idem sit cum assecutione. Eo enim sensu dicunt Patres Deum à nobis viatoribus comprehendi in patria, ubi scilicet Beati sunt comprehensores, juxta illud 1. Corinth. cap. 9. *Sic currite, ut comprehendatis.*

2. Porrò vox ea comprehensionis traducitur è currentibus in stadio ad eos qui studio magno contendunt rem aliquam mente assequi. Primus verò author illius metaphoricæ locutionis fuit Zeno, qui (ut refert Cicero lib. 1. Acad. quæst.) perfectam cognitionem alicujus rei vocavit κατάληψιν seu comprehensionem; qualis est earum rerum, quæ manu totæ clauduntur. De quo Zenone idem Cicero sub finem lib. 4. sic scribit. *Cum extensis digitis adversam ostenderat; visum (inquiebat) hujusmodi est: Deinde cùm paulùm digitos contraxerat, assensus hujusmodi est: Tùm cùm planè contraxerat, comprehensionem eam esse dicebat.* Id comprehensionis seu καταλήψεως nomen usurparunt Christiani Theologi, de recondita natura Dei disputantes, & Incomprehensibilitatem ei asserentes. Zenoniam prædictam comprehensionem impugnans in quibuscumque rebus Arcesilas conatus est, meram omnium Incomprehensibilitatem seu ἀκαταληψίαν inducere in eam, quæ media dicta est, Academiam *Ignorantiæ Magister*, ut à Lactantio vocatur; *qui Auditores suos nihil scire docuerit.*

3. Comprehensionis genus (quod Fides Catholica amovet respectu infinitæ essentiæ Dei ab omni creato intellectu) exponit ac definit omnium optimè Augustinus Epistol. 112. cap. 9. his verbis: *Aliud est videre totum, aliud videndo totum comprehendere. Quandoquidem id videtur, quod præsens utcunque sentitur: Totum autem comprehenditur videndo; quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem; aut cujus fines circumspici possunt; sicut te nihil latet*

præsentis voluntatis tuæ; circumspicere autem potes fines annuli tui. Vbi clarè asserit comprehensionem in eo consistere, ut totum objectum, non autem aliqua solùm pars ejus videatur. Sic & sermone 38. de verbis Domini ait, corpus oculo comprehendi non posse; *Cujus hominis faciem*, inquit, *vides, dorsum non vides eo tempore, quo faciem vides: Et quando dorsum vides, faciem non vides. Non sic ergo vides ut comprehendas, sed quando aspicis aliam partem quam non videras, nisi memoria tecum faciat, ut memineris te vidisse unde recedis, nunquam te diceres aliquid vel in superficie comprehendisse.*

4. Consimilem possumus definitionem sumere comprehensionis ex Gregorio Nazianzeno orat. 36. quæ est quarta de Theologia; & ex Chrysostomo homilia 5. de incomprehensibili Dei natura. Eumdem Augustinus iam citatus comprehensionis clarè fusèque conceptum explicuit, nullus est qui non se profiteatur amplecti; vt nempè id comprehendi censeatur in quo nihil est quod lateat videntem. Vnde colligitur perfectum illud comprehensionis genus non posse esse nisi cognitionem intuitivam. Quod enim cognoscitur abstractivè dici potest latere totum; vtpote absens, nec apparens.

5. Quamvis Augustinianam cognitionis comprehensivæ definitionem omnes videri velint supponere, & amplecti: Nihilominùs cùm agitur de expedienda difficultate quæ hinc statim oritur, quomodo cùm Deus sit indivisibilis & Ens simplicissimum, fieri possit, vt à Beatis videatur sicuti est facie ad faciem quin videatur totus totaliter, & dici queat comprehendi. Sunt qui mentem Augustini varijs & à se excogitatis interpretationibus ita modificent; ut cùm eam verbo probant, re deserant & impugnent, atque velint Beatos ita Deum totum videre, ut nihil ejus lateat ipsos videntes, & tamen ab his non comprehendatur. Quod est definitionem comprehensionis ab illo Sancto Doctore traditam, evertere. Quid ad hoc ergo? Varij varia.

6. Primò Sanctus Thomas, & ferè omnis ejus Schola quæst. 17. art. 7. non satis esse opinantur ad comprehensionem, ut videatur totum penitùs quod est in objecto, nisi videatur tam perfecto modo quàm ab ullo intellectu cognoscibile est: Ita ut tam excellens sit intuitio Dei in ratione cognitionis, quàm ipsius essentia in ratione cognoscibilis; & nulla possit esse cognitio perfectior. 2. Okam & alij Nominales ad varias significationes, in quibus potest sumi nomen comprehensionis divertunt, & per multiplicatas distinctiones argumenta, quæ ipsis proponuntur, cludunt; quæ illorum communis ars est & palæstra. 3. Suares lib. 2. de Attributis cap. 29. & Vasques disp. 53. cap. 4. ut in Augustiniano sensu Incomprehensibilem Deum esse defendant, aiunt non cognosci creaturas eminenter in ipso contentas; cum aliquo tamen inter hos ipsos discrimine.

7. Non hærendum jam puto in referendis & refutandis variis illis modificationibus quibus omnes prædicti authores definitionem comprehensionis Augustinianam, dum interpolant, immurant omninò & evertunt; Illorum rationes & fundamenta protulimus nos impensè & confutavimus in tract. de Incarn. libro 4 cap. 3. Ijs itaque nunc omissis, sat erit, quod huius propriè loci est, si probetur non posse ab ullo intellectu creato perfectiones omnes & Attributa Divina cognosci; & solùm ideò incomprehensibilem esse Divinam naturam; quòd sic tota videri non possit, ut nihil ejus lateat videntem. Quia verò id supponit esse in Deo perfectiones & rationes objectivas; quæ licet entitativè indivisibiles & simplicissimæ sint, cognitione tamen intuitivâ separari possunt, præscindique ab alijs. Ad quod ostendendum necesse est institui sequentis Capitis disputationem.

CAPUT II.

Perfectiones in Deo esse virtualiter diversas, quarum aliquæ videri, cæteræ latere possint.

1. Censeri posset hæc veritas probata satis ex ijs quæ cap. 4. libri superioris contra Nominales disputata sunt; ubi ostendimus reperiri distinctionem omnium conceptuum objectivorum inter illa quæ nullam habent inter se differentiam entitativam cùm in creatis, tùm in Divinis. Quare mirum est quòd Thomistæ, Suares, Vasquesius, &c. Nominalibus adversantes; in præsenti tamen quæstione inficientur posse aliquod Attributum Divinum attingi cognitione beatificâ, quin simul omnia cætera perinde cognoscantur. Sanè prædicto cap. 4. vidimus Sanctos Patres contra Aëtianorum & Eunomianorum hæresin asseruisse perfectionum Divinarum non solùm esse diversa nomina, sed etiam diversos conceptus objectivos. Sic eorumdem Patrum authoritate in præsenti, quam agitamus quæstione argumentari possumus; ut probemus posse cognitione beatificâ perfectiones quasdam Divinas attingi, licèt omnes reliquæ non attingantur.

2. Nec valet quod Thomistæ ac aliqui cum ijs dicunt, in cognitione quidem abstractiva posse dari conceptus objectivos, sed non in cognitione intuitiva Divinorum Attributorum. Id enim quod dicunt, negant eis vel ipsi quidam Nominales respectu essentiæ Divinæ comparatæ cum perfectionibus relativis seu personalibus. Et universim posito quod in abstractiva cognitione admittantur præcisiones objectivæ, non tantùm respectu perfectionum in Deo relativarum, sed etiam respectu perfectionum absolutarum & essentialium, asserunt illi ipsi Nominales non posse illas negari in cognitione intuitiva. Inter eos Nominales est Ariaga in 1. partem quæst. 9. sect. 2. cujus sectionis titulus est, *Ostendo posse visionem æquè esse posse præcisivam ac cognitionem abstractivam.* Ejusque authoris juvat afferre quædam verba. Sic enim habet num. 11. *Ergo tam bene potest fieri præcisio per cognitionem immediatam seu intuitivam, quam per abstractivam seu mediatam.* Et num. 12. aït: *Cùm per adversarios Beatus non videat in omnipotentia terminum omnem ejus, nempe talem aliquam creaturam possibilem; sequitur non ab ipso videri continentiam talis creaturæ in omnipotentia (atque eodem modo in idea) cùm tamen ea continentia in omnipotentia & idea sit essentialis Deo.* Hæc Ariaga, ut ostendat non loqui consequenter eos qui fieri negant ullam præcisionem in cognitione intuitiva omnipotentiæ, cùm tamen hæc videri nisi viso suo termino nequeat.

3. Ex dictis colligi ita potest. Si Deus non comprehenditur à Beatis, ut Adversarij fatentur: Ergo dantur præcisiones perfectionum Divinarum in cognitione

gnitione tam intuitiva, quàm abstractiva, & aliquæ perfectiones videntur, cum infinitæ lateant. Quod si ex contrario asseratur (ut item asseritur ab ijs contra quos disputamus) Deum à Beatis videri secundum omnes, quas formaliter intra se continet rationes, clarum est eum absolutè comprehendi. Illud enim comprehenditur, ex suprà citato Augustino; *Quod videntis cognitione finitur*: Sive, *Quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem.* Nonne ad hoc ut videatur totus Deus, sufficit videri totum quod Deus est; ita ut nihil quod intra eum est, sit extra cognitionem videntis?

4. Hæc autem sententia, quod Deus à Beatis non videatur adæquatè secundum ea quæ in ipso formaliter continentur, sumitur passim ex Patribus, quorum duos tresve referam præter Augustinum, qui suprà sæpe est citatus, ut hujus sententiæ præcipuus author; cum Gregorio Nazianzeno superiùs item commemorato; qui & orat. 34. Divinam Naturam adæquatè posse cognosci viderive negat secundum id totum, quod ipsa in se est: τὸ θεῖον μὴ ληπτὸν εἶναι, ὅσον ἐστί. Hilarius initio Libri 2 1. de Trinitate significat eorum Attributorum, quibus Deus continetur, Infinitatem esse causam, cur eum nulla intelligentia creata comprehendat. *Intelligentia capacitatem*, ait, *quidquid nullo fine continetur, excedit*: Atqui Deus intra se & non tantum numerus creaturarum (quæ sunt objectum Omnipotentiæ) caret omni fine. Pergens paulò post, de Dei Incomprehensibilitate hæc addit: *Intelligentiam commove, & totum mente complectere; nihil tenes; quia totum hoc habet reliquum: reliquum autem hoc semper in toto est* (vident scilicet Beati Deum identicè totum, sed formaliter & virtualiter infinita reliqua supersunt in ipso toto, quæ non possunt videri) *Ergo neque ei totum est, cui reliquum est: neque reliquum est, cui omne quod est, totum est: Reliquum enim portio est: omne verò, quod totum est.* Hactenùs Sanctus Hilarius.

5. Egregiè hanc ipsam inadæquatam Dei visionem declarat Epiphanius in hæresi 70. similitudinem sumens à magnitudine maris inadæquatè sic visi, ut visum & asseri & negari possit. *Nos*, inquit, *postquam mare ex montis vertice inspexerimus, non mentiemur, cùm visum à nobis esse mare dicemus; sed nec mentietur, qui negaverit, dicens, mare non vidisti.* εἴ τις ἀντείποι λέγων ὅτι οὐχ ἑώρακε. Nemo enim (subdit) videre potest quò maris longitudo, quò latitudo se porrigat, quàm alta sit profunditas, &c. Eodem modo vult hic Pater Beatos videre Deum inadæquatè, & ea quæ tam formaliter in ipso reperiuntur, quàm longitudo, latitudo, & profunditas sunt in mari quod constituunt: nec posse profunda Dei (τὰ βάθη τοῦ θεοῦ) & ejus Attributorum fines terminosque videre: quæ in Deo tanquam perfectionum omnium possibilium Oceano latent. Clemens Alexandr. lib. 5. Strom. interpretatur vocari à Ioanne sinum Dei, in quo sit Vnigenitus, qui omnia Patris sui arcana comprehenderit, & velut sinu complexus sit προειληφὼς καὶ ἐγκολπισάμενος. Manifestum est ex allatis Sanctos Patres nostram omnino probasse, docuisseque sententiam circa perfectionum Divinarum multiplicitatem virtualem, & per conceptus nostros objectivos separabilitatem. Quamvis Petavius primis Libri septimi Capitibus plurimas Sanctorum Patrum quasi nobis adversantium authoritates coacervare conatus sit.

6. Nec desunt inter Scholasticos plurimi qui eandem quam nos circa hoc opinionem tradiderint (ipso fatente Suare lib. 2. cap. 22.) vt Okam in 4. quæst. 13. asserens Deum solum, nullos autem Beatorum, posse videre omnia prædicata quæ illi conveniunt; Richardus in 3. dist. 14. & Bonaventura ibidem asserentes Deum esse quidem simplicem; sed in ejus profunditate, quatenus infinitus est, reperiri, quæ partim lateant, & partim cernantur. In eadem est opinione Ferrariensis. Sunt & alij prolati ab ipso Suare cap. illo 22. num. 7. ubi multi sunt Thomistæ. Atque, ut Vasques etiam fatetur, hæc Doctrina valde conformis est principijs Scoti admittentis in Dei perfectionibus & Attributis distinctionem ex natura rei. Sed in præsenti controversia nullam video præferendam authoritatem Nominalibus, utpote nullo modo in ea suspectis, cùm aliunde per abstractivam cognitionem præscindi negent perfectiones Divinas. Eorum tamen aliqui censent eos qui admittunt præcisiones in cognitione abstractiva, debere id æquè in intuitiva. Vt suprà diximus num. 2.

CAPVT III.

Incomprehensibilitas Dei adstruitur respectu omnis intellectûs creati.

1. QVANDOQUIDEM ex primo hujus Libri Capite habemus comprehensionem alicujus objecti consistere in eo quòd secundum se totum, & secundum omnes suas partes videatur. Et ex secundo Capite certum sit nobis virtuales in Deo reperiri partes & perfectiones objectivo conceptu diversas ac separabiles. Superest ut indagemus, an ab omni creato intellectu Deum repugnet sic intuitivè conspici, ut nulla ejus perfectio seu Attributum lateat. Dicendum est primò Deum incomprehensibilem esse à creaturis nunc existentibus. Ista conclusio docetur à scripturâ cùm ait Ieremiæ cap. 33. *Deum esse magnum Consilio & incomprehensibilem cogitatu.* Item ad Rom. cap. 11. *Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius & investigabiles viæ eius! Quis cognovit sensum Domini?* Et definitur in Concilio Lateran. sub Innoc. III. Cap. *Firmiter*; ubi asseritur expressè *Deum esse Incomprehensibilem.* Quod intelligi debet respectu creaturæ consideratæ secundum vires naturales. Putatque Vasquez disp. 52. in nullo alio sensu Incomprehensibilitatem Dei esse de fide. Quare si quis Divinitatem à Beatis de facto per vim supernaturalis luminis comprehendi assereret, vult hic author illum quidem temerè omnibus Theologorum Scholis adversaturum; non tamen peccaturum contra fidem.

2. Probabilius ego judico tanquam fidei dogma, non posse ullum intellectum jam creatum elevari reapse, aut posse elevari usque ad comprehensionem Dei; ut sentit Scotus in 4. & Suares lib. 2. de Attributis cap. 5. num. 6. Idque omnino congruit sensui fidelium communi, qui proditur cùm ex Concilio Basileensi, quod Sess. 22. ait Christi animam non comprehendere Deum: tùm ex eo quòd Sancti Patres absolutè, & magna cùm emphasi pronuncient Deum esse Incomprehensibilem. Quamvis enim ut plurimùm disputent contra Aetium & Eu-

nomium eorumque asseclas Anomæos, asserentes habere se aliter quàm per fidem in hac vita notitiam Dei perfectam, sicut rerum (ut ipsi dicebant quæ videntur & manu palpantur, ὡς ὁρατῶν καὶ χερσὶν ψηλαφωμένων) Tamen hi Patres tam absolutè Incomprehensibilitatem Dei affirmant; ut eorum argumenta latiùs quàm contra illos hæreticos pertineant. Audi Chrysostomum contra Anomæos orat. 4. sic loquentem: *Vocemus Inexplicabilem illum, Incomprehensibilem illum; quem nemo cogitare, nemo videre, nemo assequi potest. Quem nec investigare Angeli possunt, nec Seraphim neque Cherubim mente percipere. Qui est invisibilis omnino toti creaturæ; sed à solo Filio, & Spiritu Sancto cognoscitur.*

3. Dicendum est secundò Deum Incomprehensibilem sic esse vt nec ab ullâ possibili creaturâ cognosci totaliter valeat sive per vires naturales, sive per quamcunque gratiæ elevationem. Hæc conclusio licèt minus certa sit quàm præcedens: Mihi tamen est indubitata. Nam modo quo loquuntur Scripturæ, Concilium prædictum Lateranense, atque Sancti Patres, Deus absolutè ac simpliciter adstruitur Incomprehensibilis. Vt dum Chrysostomus proximè citato loco ait Naturam Divinam nec ab Angelis &c. vestigari posse, soli cognitam Filio & Spiritui Sancto. Cùm etiam vulgo Patres probant Spiritus Sancti Divinitatem ex eo quòd comprehendat omnia secreta Dei, sivè quod *scrutetur* (ut loquitur Paulus 1. Corinh cap. 2.) *profunda Dei.* Item quod idem Apostolus dicat *quæ Dei sunt neminem cognoscere nisi Spiritum Dei.* In eadem rem videri potest Athanasius disputatione cum Ario in Concilio Nicæno versus finem.

4. Eò etiam facit illud Psalmi 138 *mirabilis scientia tua ex me* (præ me *mimmeni*) *confortatu est* (*nisguebah*, exaltando se fugit me) *& non potero ad eam* (pervenire.) Quod egregiâ similitudine explicat Nazianzenus orat. 34. *Sicut impossible est* (inquit) *vt antecedentem vmbram nostram assequamur, nedum antecedamus; dum quantâ nos vt eam comprehendamus sequimur, tantâ illa fugiens ne comprehendatur, festinatione se eripit.* ὥσπερ ἀδύνατον ὑπερβαίνειν τὴν ἑαυτοῦ σκιὰν, καὶ τῷ λίαν ἐπειγομένῳ. φθάνει γὰρ ἀεὶ τοσοῦτον, ὅσον καταλαμβάνεται.

5. Porro alia suppetunt argumenta desumpta non tantùm ex authoritate, sed etiam ex ratione ad probandum iuxta nostram hanc secundam Conclusionem; quòd inter omnes possibiles intellectus nullus creabilis sit, qui per quamcunque gratiæ elevationem queat omnes Divinas perfectiones ita videre, vt nulla eum lateat. Naturali siquidem lumini omnino consentaneum est asserere Deum tam perfectum, vt perfectior cogitari nequeat. Maiores autem infinitèque plures in eo formaliter esse perfectiones ille sine dubio asserit; qui tantam ei tribuit cognoscibilitatem & amplitudinem obiectivâ, ut omnem superet vim intelligentiæ creatæ: Minores autem ille ac pauciores, qui illas ab aliâ, quàm à Divinâ cognitione circumscribi posse asseverat.

6. Alterum argumentum ex fundamentali nostræ huius conclusionis ratione sumitur. Constat enim esse in Deo plures virtualiter distinctas perfectiones: Nempe Sapientiam, Bonitatem, Omnipotentiam &c. Quamvis autem eæ perfectiones omnes, si genericè sumantur possint reduci in valde paucas ut si dicamus eas esse lumen intellectivum ad cognitionem abstractivam & intuitivam, ad scientiam absolutam, conditionalem, essentialem, contingentem; esse voluntatis bonitatem sanctitatemque moralem; esse omnipotentiam agendi ad extra, seu creandi &c: Si tamen Divinæ perfectiones sumantur iuxta magis specificas differentias, eæ multiplicari possunt infinitè, & à nullo creato percipi posse intellectu. Licet autem differentiæ attributorum & perfectionum Divinarum non sint entitate plures, sed quid vnum identicè: Tamen cùm virtualiter & secundùm rationes objectivas distinguantur; non minoris est difficultatis illas distinctè, singulas & vniversas intueri simul, quàm si entitativis differentijs essent diversæ.

7. Vnde novum se offert argumentum; nam si adversarij affirmant Beatos, dum vident Deum, non posse cognoscere in ipso omnes eminenter contentas creaturas, propterea quod hæ sunt infinitæ. Quomodo asserere possunt illos intueri cunctas adæquatè perfectiones intra Deum contentas formaliter, cùm harum rationes objectivæ distinctæ inter se virtualiter non minorem, imò majorem infinitatem habeant? Quod enim Suares ait cap. 22. nu. 15. & seqq. non esse necessariam visionem infinitam, ut videantur perfectiones infinitæ Divinæ; & tamen necessariam esse, ut cognoscantur in Deo infinitæ creaturæ; est incredibile. Quandoquidē simplicitas Divina non tollit virtualem perfectionum multiplicitatem. Et quamvis dicas rationes illas infinitas, quæ videntur, non videri ut multiplices, sed ut vnam simplicem entitatem: Id non tollit specificam ipsarum rationum objectivarum differentiam; nec aufert sed auget visionis difficultatem. Perfectius enim est ac difficilius videre distinctè infinities infinitas rationes in vnam simplicem confusas entitatem, quàm simpliciter infinitatem distinctarum entitatum agnoscere. Atque hinc est evidentissimum, tantam esse hanc difficultatem, ut superet vim intellectivam non modo Beatorum, omniumque jam creatorum spirituum, sed omnium qui sunt infinitè in infinitum possibiles.

8. Ex hac tanta difficultate seu impossibilitate videndi actu ac simul omnia entia infinitè in infinitum possibilia convincuntur omnes illi qui Deum à Beatis totum ita videri volunt ut nihil eius lateat; & tamen ipsum (ut Suares & Vasquesius volunt) non comprehendi propterea solùm quia cum eo possibiles omnes creaturæ non videntur. Contra hos enim evidens hoc suppetit argumentum. Si nihil quod intra Deum est, lateat Beatos; ergo non illos latet ulla eminentia creaturarum. Quamvis enim creaturæ non sint in Deo nisi eminenter; nihilominus ipsa eminentia est in eo formaliter; & videtur à Beatis distinctè tam ratione omnipotentiæ quam ratione ideæ. Atqui Beati talem videre distinctè creaturarum eminentiam nequeunt, quin distinctè creaturas ipsas cognoscant, Sequitur ergo, nisi Beatifica visio queat facere distinctionem attributorum aliquorum sive eminentiarum ab alijs; Beatos dum nullam distinctam creaturarum ignorant eminentiam, non posse vllam ignorare creaturam, quod tamen prædicti Suares ac Vasquesius negant; in eoque solo ponunt Incomprehensibilitatem Divinam. Nec valet; si dicatur eminentiam creaturarum non ad has respectum habere realem & plusquàm rationis. Id enim quod verè de attributis contingentibus dicitur, falsum est de attributis & eminentijs essentialibus ac necessarijs. Patetque potentiam creandi rosam, &c. dicere transcendentalem respectum ad rosam & facere determinatè cognosci non leonem, non arborem, sed rosam.

9. Denique contra ipsos directè adversarios probatur non repugnare intuitivam cognitionem Attributorum Divinorum inadæquatam. Ipsi enim talem admittunt in Beatis inadæquatam ex parte objecti. Multi siquidem eorum affirmant (& Suares cùm dubitat, non negat capite illo 22. nu. 19.) Immensitatem (quæ formaliter in Deo est quodammodo extensa & diffusa) videri inadæquatè. Tandem optimum sumitur pro nostra opinione argumentum ex eo quod contraria sententia non alia ratione fundetur, quàm proferendo Simplicitatem Indivisibilitatemque Divinæ naturæ quæ non magis quàm punctum sumi dividique potest per partes. Sed nos jam cap. 2. partes in Deo reperiri virtuales ostendimus. Quare illo diruto fundamento sententiam, quæ illo solo nititur, necesse est corruere.

CAPVT IV.

Vtrùm Deus videri naturaliter possit ab aliqua creatura.

1. DIFFERT visio à comprehensione, ut superiori cap. diximus, quòd non dicat necessariò cognitionem objecti omnimodam; sed inadequata esse possit; tantùmque requirat, ut id quod objicitur usurpetur coram, & sub quamdam velut experientiam cadat; eo fere modo, quo in sensatione quæ fit per oculos; à quibus visionis seu intuitionis nomen traductum est ad cæteras potentias cognoscitivas, usque ad intellectum. Qui licet vim habeat (quemadmodum & aliqui sensus interni) objecta absentia cognoscendi abstractivè; tamen dubium non est, quin possit non tantum extra corpus, eo modo quo solent Angeli sed etiam in corpore circa præsentia, quà talia, intuitivè versari; quoties nimirum cum sensu communi attendit ad ea quæ per sensus repræsentantur externos, qui omnes intuitivi sunt circa objecta propria. Quærimus igitur, nùm (ut superiùs ostendimus nec naturaliter, nec per quamcunque elevationem ullius creaturæ comprehendi posse Deum) sic & asserendum sit ipsum non posse videri, sivè naturaliter, sivè supernaturaliter, sivè per intellectum, sivè per sensum, sivè à creaturis jam productis, sivè à quibuscunque possibilibus.

2. Et quidem Aëtius atque Eunomius, horumque asseclæ Anomæi jactabant se non fide, sed scientiâ velut attrectationis, perfectè Deum cognoscere, μὴ πίστει Θεὸν ἠκριβωκέναι, ἀλλὰ κατὰ εἴδησίν τινα ψηλαφήσεως, inquit de illis Epiphanius hæresi 76. Id verò isti asserebant, cùm propter omnes Dei perfectiones, tùm præcipuè propter perfectionem & nomen Ἀγέννητος: quam perfectionem concipere se dicebant non esse notionaliter Patris, sed Dei, quà Dei, propriam essentialiter; atque ita Filium affirmabant, qui non sit *Ingenitus*, Dei essentiam participare non posse. Tanta verò impudentiæ emphasi suam illam scientiam jactabant, ut majorem se Dei quàm sui-ipsorum habere notitiâ assererent: Addit que Epiphanius illos fateri corporatas concretasque res ut elementa, stirpes, & quæque obvia ignorari à se, at nullo modo Deum, quòd ejus natura simplicissima sit. Hos hæreticos multi è Græcis Patres profligarunt, Basilius & ejus Frater Nyssenus, Chrysostomus, Nazianzenus, Cyrillus Alex. Theodoretus. Quod eorum aliqui tantâ concitatione fecerunt; ut ipso disputationis impetu videantur abrepti ultra præscriptam ab orthodoxa doctrina lineam, & Catholicæ Fidei terminos, quemadmodum Capite sequenti videbimus, eorum dicta referentes; & quâ decet adversus tantos Doctores reverentiâ in eum sensum commodè, quem ipsos intendisse præsumendum est, exponentes.

3. Dicendum est primò non posse ab ullo intellectu jam creato Deum naturaliter videri. Ita cum Patribus paulò ante indicatis docet S. Thomas, & Catholici omnes: Itàque definitum est contra Beguardos & Beguinas affirmantes naturâ intellectualem posse per seipsam consequi, ut Deum absque lumine gloriæ videat. Qui propterea damnati sunt in Concilio Viennensi, ut habetur in Clementina *Ad nostrum*, de hæreticis. Ante hos Aëtius & Eunomius, & cum his Anomæi, ut præcedente dictum est numero, evidentem Dei cognitionem naturaliter haberi posse defenderunt; eandemque hæresim Basilidi, qui fuit illis antiquior, imputare videtur Clemens Alex. in 5. Strom. Probatio hujus conclusionis petitur ex Rom. 6. vbi postquàm Apostolus dixisset; *habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam* (quæ vita in Dei visione consistit) continenter subdit; *Stipendium peccati mors*; *Gratia autem Dei*, *vita æterna*. Vbi notandum discrimen quod assignatur inter mortem, & vitam æternam. Quamvis enim hæc sit tàm præmium meriti, quàm illa demeriti; nihilominùs quoniam illa nostræ superat fastigium naturæ, vocatur *Gratia*, & non ut illa *Stipendium*. Huc referri potest illud Psalmi 83. *Gratiam & Gloriam dabit Dominus*. Vbi Gloria proponitur, non ut per naturam, sed ut per donum cōparabilis perinde atque Gratia, quàm nemo dubitat esse supernaturalem. Quæ loca tàm intelliguntur de Angelis, quàm de hominibus; quemadmodum ille Isaiæ locus 34. & 1. Corinth. 2. *Oculus non vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Et 1. Timoth. 6. *Quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest.* Cujus rei rationem, quæ communis item est Angelis, præmiserat Apostolus, cùm diceret, *Qui lucem habitat inaccessibilem.* Vnde Augustinus lib. 12. de Civitate cap. 9. docet, quæ in Scriptura Sacra dicuntur de Charitate, Gratia & Gloria, quòd sint supernaturalia dona Dei, non minùs de Angelis vera esse, quam de hominibus. Eleganter Ambrosius lib. 1. in Lucam ait, *Divina natura esse non videri, voluntatis videri.*

4. Accedit ad authoritatem ratio ex supereminentia Divinitatis, quæ comparata ad intellectum nostrum disproportionem habet maximam. Vt enim in rebus corporeis inveniuntur quædam objecta, quæ ob splendoris excessum sustineri percipive non possunt ab oculis imbecillibus; sic mirum non est, si increatum Divinitatis lumen inaccessibile nobis sit, nisi per supernaturalem visionem. Qualis verò sit illa supernaturalitas, explicatur Cap. seq. Huc facit, nec omitti debet Augustini locus de Trinitatis supra omnem creaturarum captum sublimitate, sic loquentis in suis Soliloquiis: *Quis enim cognovit nisi tu te? imperscrutabiliter habitas in te ipso. Hoc est Cælum tuum Domine: Cælum celans, superintelligibile, & superessentiale lumen, de quo dicitur, Cælum Cæli Domino: cui terra est omne Cælum, quia supernatu-*

raliter exaltatum est super omne Cœlum: Ad quod etiam terra est Cœlum Empyreum. Hoc est enim Cœlum Cœli Domino; quia nulli notum est, nisi Domino: quem neque Seraphim perfectè cognoscunt; sed alis contemplationum suarum velatur facies sedenti super thronum excelsum & elevatum. Eodem pertinet, neque hic taceri potest quod initio libri sui de myst. Theol. Dionysius ait, in Theologiæ vertice omne cognitionis lumen superante misteria internæ Divinitatis *obvolui silentij tenebris presulgentibus.* ἐγκεκαλύφθαι κατὰ τὸν ὑπέρφωτον κρυφιομύστου σιγῆς γνόφον.

5. Hic reprehensione dignum occurrit quod contra jam dicta, & (quod peius est) non satis conformiter cum definitione Concilij Viennensis, asserit Durandus, ut refert Vasques disp. 41. cap. 2. rationem cur homines videre nequeant Deum naturaliter hanc esse, quia hi quandiu sunt in corpore nequeunt aliud intuitivè cognoscere, quam quod per sensus intrat: Sublato autem illo post præsentem vitam impedimento, cùm amplius non pendent à sensibus, vult eos posse per seipsos nosse Deum intuitivè; cùm is sit intellectus nostri objectum iuxta modum, quo illi proponitur. Quare cum in hac vita sensibus velut obtencto velo impediantur, posteaque Deum clarè propositum habeant, censet eos necessariò illum per seipsos immediatè intuituros. Male. Cùm ut ante dicebam, intellectus humani imbecillitas nullam habeat ad tam sublime objectum proportionem; &, quod præpræcipuum est, Concilium Viennense damnarit hanc Beguardorum & Beguinarum propositionem; *quòd qualibet intellectualis natura sit Beata naturaliter, & non indigeat lumine gloriæ ipsam elevante ad videndum Deum.*

6. Dicendum est secundò non apparere contradictionem, quominus inter creaturas possibiles aliqua reperiatur, quæ naturaliter Deum videre queat, aut etiam quæ essentialiter actualem eius visionem requirat. Est Doctrina Majoris in 4. dist. 49. quest. 4. qui dubitat (licèt immeritò) num Angeli iam creati possint per naturalem vim videre Deum; Molinæ ad quæst. 12. a. 5. disp. 2. Becani tract. 1. cap. 9. quæst. 5. & partim Valentiæ disp. 1. quest. puncto 3. Hanc sententiam ait etiam Ariaga in tractatu de visione Dei disp. 5. sect. 7. esse valde probabilem; & illis meritò imputat Nominalibus, qui censent possibilem esse creaturam natura sua impeccabilem, & Sanctam. Additque multos recentiores doctos & ingeniosos nobiscum sentire: Atque ipse rationes sigillatim fuséque refutat, quæ contra opinionem istam afferuntur; quam tandem ait absque ullo defendi posse periculo. Notandum est plurimos authores quæstionem hanc proponere de solo lumine gloriæ, an scilicet ulli creato intellectui possit esse connaturale. Commodiùs nos, ut fecerunt Molina, Suares & quidam alii, eam proponimus de ipsa Dei visione, quæ posset intelligi naturalis non tantum ex eo quòd lumen velut qualitas connaturalis possideatur; sed etiam ex eo quòd vis substantialis intellectiva tanta sit, ut ipsa sibi sit pro lumine gloriæ. Satis vero posset nostra conclusio, quatenus negat apparere contradictionem, probata videri ex solutionibus inferius afferendis eorum argumentorum, quæ proponuntur contra ipsam. Si enim nulla contradictio probatur argumentis, non est quòd asseratur. Sed præter probationem illam negativam positiva, directaque non deest.

7. Et quidem primò ea contemnenda probatio non est, quam pro nostra sententia sibi objicit quamque rejicit Suares; nempe quod lumen gloriæ visioque Dei Infiniti limitatæ perfectionis sit (non enim iuxta eundem Suarem repugnat, cognitione lumineque quod sit entitatis finitæ, attingi obiectum Divinum & infinitum) atque ita nihil vetet, quominus conferri possit alicui substantiæ creatæ vis Divinam essentiam per lumen beatificum intuendi. Addo multo minùs futuram ullam repugnantiam; licet beatificum lumen & visio Dei esset perfectionis infinitæ, quominùs concederetur substantiæ creatæ, quam etiam possibilem esse infinitam suppono contra principia Suaris negantis omnem creaturis infinitatem categorematicam. Assero autem rationem hanc quam sibi Suares objicit, (quantumvis non convincat ipsum) omnibus iis meliorem videri rationibus; ob quas partim ille partim alii moventur ad tuendam sententiam nostræ contrariam; ut videbitur paulò post in earum examine. Interim illam ipsam rationem quâ solâ prædictus author contra nos movetur, verto contra ipsum, & ex ea probo nostram sententiam. Cæteris enim ille neglectis rationibus, in hac sola Divi Thomæ quamquam timidè atque diffidenter, conquiescit. Modus essendi Dei (inquit) ordinis est altioris modo essendi creaturarum omnium possibilium; Ergo intelligibilitas Dei est ordinis altioris omni intellectiva vi creata. Illam ego rationem in contrarium converto. Quamvis vera sit (inquam) prima iam allati enthymematis propositio; falsa tamen est indè ducta conclusio; ut Scotus, Durandus aliique convincunt. Nam manifeste falsum est, naturas quò habent altiorem modum essendi, habere altiorem modum intelligibilitatis, ita ut intuitivè nequeant intelligi ab eo intellectu, qui habeat inferiorem modum essendi. Hinc enim sequeretur Seraphinum, quem constat habere modum altiorem essendi quàm inferiores Angelos, non posse naturaliter ab his intuitivè cognosci. Hoc igitur cùm ita sit; habeo, infirmam esse rationem eam, quam pro sua opinione Suares præcipuam esse iudicat.

8. Clarius tamen pro nobis, & principale est argumentum. Nam re contingit, ut compositum ex nostro intellectu & lumine gloriæ, licet finitum & limitatum, visionem Dei habeat connaturalem: Non ergo repugnabit dari creaturam, quæ illo composito perfectior, in sua simplicitate visionem similiter connaturalem habeat. Antecedens patet; nec audiendus est Scotus in 4. dist. 49. quæst. 24. ubi negat esse posse naturalem lumini gloriæ visionem Dei, utpotè disproportionatam omni creaturæ: Verum quidem est, visionem eam non esse naturalem homini, etiam ut habenti lumen gloriæ. Cùm enim lumen ipsum Beato sit supernaturale, erit etiam eidem quatenus tale lumen habenti & ut illius subjecto supernaturalis visio, quæ virtute luminis elicitur non per aliam hominis potentiam, quàm obedientialem & elevatam. Nihilominus evidens est & Caietanus quest. 12 art. 5. Ferrariensis 3. contra Gentes cap. 54. Suares, Vasques & alij vulgò fatentur visionem Dei (quæ respectu intellectus per se considerati, etiam quando habet id lumen, est dicenda supernaturalis) debere tamen dici naturalem non solum lumini gloriæ, sed etiam consequenter ei composito quod ex lumine consurgit & illud essentialiter continet; quemadmodum non animæ rationali tantum, sed etiam homini simpliciter naturalis est ratiocinatio.

9. Posito igitur superiore antecedente probatur consequentia. Nam si prædicto composito, quod ex intellectu & lumine gloriæ conflatur, & quod verè creatura est, concipimus esse connaturalem visionem beatificam; quare negabimus Angelo alicui possibili idem competere? Cur enim nequeat Deus perfectionem unius compositi accidentalis ponere in una simplici substantia? aut quare non possit substantiam condere tantæ elevationis, quantæ est lumen gloriæ? Quod aliqui respondent, repugnare ut detur substantia supernaturalis, quoniam supernaturale concipitur in ordine ad aliquod subjectum, ad quod comparari substantia non potest; si præsertim completa sit, qualis nimirum sola debet in hac disputatione versari. Id, inquam, non valet. Nam primò falsum est omne supernaturale concipi in ordine ad subjectum. Cur enim quemadmodum accidentia supernaturalitatem habent in ordine ad subjectum, sic eam substantiæ ex contrario ordine, non possint habere; nimirùm quia respiciunt, ut connaturales formas, ea accidentia, quæ sunt alijs substantijs supernaturalia? Quis verò Christum neget esse substantiam aliquam supernaturalem absolutam, completam, nec respicientem ullum subjectum? Quamquam inde non sequitur omnes substantias superiores & nobiliores alijs, dici posse supernaturales respectu inferiorum. Supernaturale enim, ut iam solet usurpari, dicitur id quod est supra omnem naturam, & extra ordinem totius naturæ; quales non sunt Angeli. Est tamen talis Christus, cùm ea illi competant, quæ omnes fatentur esse supra omnem naturam. Neque urgeri potest, quid per naturam intelligamus? Si enim Christum in ea claudimus, non erit ipse supra naturam; si hunc ab ea excludimus, principium petimus. Non potest, inquam, sic urgeri. Nos enim eo sensu naturam sumimus, quo tu ipse sumis, cùm dicis Charitatem & Gloriam esse supra naturam. In eadem velut regione Christum (cui Charitas & Gloria non est supernaturalis) constituimus, necnon alias multas substantias possibiles.

10. Secundò, Quamvis verum esset nullam dari posse substantiam completam, cui denominatio supernaturalitatis (utpotè dicentis ordinem ad aliquam informationem) competere posset; nihil tamen contra nostram sententiam sequeretur. Nec enim curamus, utrùm Angelus ille possibilis, cui visio Dei naturaliter competeret, vocandus esset, necne supernaturalis. Sanè qui eum sic vocare noluerit, abstineat ab illa appellatione; modò fateatur ipsum continere in sua substantia virtutem luminis gloriæ, & esse ejusdem elevationis cum illo, ita ut lumen ipsum non posset ad illum comparari ut ad entitatem inferioris ordinis, quomodo comparatur ad omnes substantias jam productas.

11. Respondet ad hoc argumentum Suares, non sequi ex eo quòd possint dari accidentia supernaturalia, & composita accidentalia, quibus connaturalis sit visio Dei; quòd possint simplices dari substantiæ similes supernaturales: rationemque differentiæ reddit ex proprio munere accidentis & substantiæ. Nam substantia inferior non potest participare per seipsam, quod est proprium superioris; habere autem substantiam Divinam pro objecto visibili connaturali est proprium Dei, quatenùs substantia ejus est intellectus ejus. At verò accidētia sunt instituta ad perficiendas substantias, & ad supplendum defectus earum; ideoque per accidentia superaddita, & quæ sint verè supernaturalia participare potest inferior substantia aliquo modo id quod est propriū superioris. Contra. Nam nolumus nos, ut substantia inferior participet id quod est proprium solius substantiæ superioris, sed volumus ut participet id quod potest esse utrique commune; qualem dico esse visionem Dei genericè sumptam, prout potest competere tùm Deo, tùm creaturæ possibili; salvâ differentiâ, quæ constituit visionem in Deo infinitè perfectiorem. Quamvis porrò accidentia sint instituta, ut inferior aliqua substantia in se habeat velut adumbratam perfectionem superioris; non tamen ostendit Suares impossibile esse, ut aliqua Deo inferior substantia possit omnes jam productas ita excedere, ut in se per essentiam contineat quod istæ per accidentia. Superest ut varias rationes audiamus, quibus varij conclusionem nostram majore impugnant strepitu, quàm impetu.

Proponuntur & solvuntur argumenta contrariæ sententiæ.

12. Nominales in 4. dist. 45. aliud non afferunt, nisi quia visio Dei non potest aliter fieri, quàm per creationem: nulla autem est creatura possibilis, cui perfectio, quæ per solam creationem fiat, debeatur, connaturaliter. Totum hoc est falsum. Visionem enim, utpote actum vitalem, impossibile est sic à Deo solo creari, ut per eam intellectus constituatur videns. Hæc enim denominatio formam requirit, quæ educatur ex ipsomet intellectu per ejusdem efficientiam, ut ex Philosophia suppono. Deinde nec verum est quod additur non posse ulli creaturæ deberi connaturaliter perfectionem quæ per solam creationem fiat. Cujus rei certum ipsi documentum sumus; quibus connaturalis est anima rationalis, quæ per solam creationem producitur. Eamque Deus materiæ debet post introductas legitimas dispositiones.

13. Nec secundò solidiùs argumentatur Scotus eadem dist. qu. 11. cùm ait rationem cur nullus intellectus creabilis possit naturaliter Deum videre, esse, quoniam ad Dei visionem necessariò requiritur hunc esse præsentem, vel per seipsum in ratione objecti, vel per aliquid quod eum contineat eminenter. Prius nulli potest esse connaturale creaturæ. Quòd enim Deus per se præsens sit, provenit ex sola ejusdem voluntate & gratia. Secundum est impossibile: Nihil enim habet eminentiam supra Deum. Ita Scotus. Malè. Nam primò petitur principium. Ea enim est quæstio utrùm repugnet Deum esse præsentem in ratione objecti alicui creaturæ connaturaliter. Et quòd non repugnet, constat ex lumine gloriæ, cui connaturale est habere Deum præsentem objectivè. Præterea non bene fit distributio ex parte secundi: nam impossibile quidem est Deum in aliquo loco eminenter contineri. Et quamvis id possibile esse fingeremus, insufficiens foret, atque impertinens ad visionem propriè sumptam. Id enim cujus eminentiam videmus in alio objecto nobis præsente, non cognoscimus plusquàm abstractivè. Quod si non de cognitione intuitiva & propriè dicta visione quæstio foret, sed de cognitione tantùm quidditativa, & per propriam speciem, manca esset distributio, quam initio Scotus fecit. Angelus enim unus alium cognoscit quidditativè, licèt nec per se præsentem, nec per aliud, in quo eminenter contineatur. Satis enim illi est species. Posset ergo aliquis dicere non repugnare

creaturæ habere connaturalem Dei speciem; præsertim cùm ipse Scotus posse velit Angelos, qui re existunt, cognoscere Deum quidditativè per speciem.

14. Tertiò Div. Thomas qu. 12. art. 4. sic argumentatur: Inter objectum aliquod & cognoscentem non est major proportio in esse cognoscibilis & cognoscitivi, quàm sit in modo naturæ & in modo existendi: Atqui inter objectum increatum & inter cognoscentem intellectum quemlibet creatum nulla est proportio in modo naturæ & in modo existendi: Ergo & nulla in esse cognoscibilis & cognoscitivi. Hanc probationem (quam, ut Suares ait, unam D. Thomas in 1. p. elegit, alijs posthabitis, quas varias obtulerat lib. 3. contra Gentes cap. 52.) meritò Vasques in notatione illius articuli 4. fatetur nihil concludere, nisi de intellectu humano conjuncto corpori, quatenùs in hac vita nihil à nobis cognosci potest absque sensuum ministerio: Deum autem repugnat sub sensus cadere. Et quidem in D. Thomæ syllogismo jam allato major propositio negari debet. Falsum siquidem est quòd modus cognoscibilitatis sequatur exactè modum essendi: Sic enim negandum esset reperiri in lumine gloriæ connaturalem vim ad efficiendam visionem Dei; cùm in illo non sit tam perfectus modus existendi ac in Deo: Negandum item esset Angelum inferiorem videre naturaliter posse superiorem, ut suprà dicebam num. 7. ubi ostendi hac ipsa ratione quæ contra nos affertur, nostram conclusionem sententiamque probari. Minorem item ejusdem syllogismi per se alioqui certissimam D. Thomas ratione probat plusquàm incerta; quòd nempe in creaturis, contra ac in Deo, realiter intellectus distinguatur ab essentia.

15. Quartò ex recentioribus colligi possunt aliqua contra nostram doctrinam argumenta. Vt ex Vasquesio, quòd nulla creatura possibilis sit, quæ ex natura sua sit impeccabilis: Ergo nulla cui naturaliter competat visio Dei. Respondetur ad id. Esse quidem fide certum, nullam creaturam seu naturam, quæ jam producta sit, esse impeccabilem, si omni gratiæ auxilio destituatur: At verò quòd nulla sit natura possibilis, cui tam connaturaliter impeccabilitas conveniat ac nunc Divo Petro (sive illi composito quod ex ipso Petro lumineque gloriæ consurgit) non debet ut certum assumi: de eo enim est instituta præsens disputatio; & nos falsum esse contendimus. Nec multùm illi rationi tribuit Suares cap. 9. num. 6. Nihil verò Ariaga suprà citatus num. 6.

16. Vt mihi videtur, potuisset Vasques hac nos urgere, majoris ad solvendum indigente explicationis, instantiâ, desumptâ ex consideratione Filiationis hæreditatisque Divinæ. Cui enim connaturale esset videre Deum, & hunc eâtenùs lege jureque naturæ possidere, is Dei foret & Filius naturalis & hæres: Quod tamen nequaquam dici potest absque blasphemia; cùm eum qui sit Filius naturalis, oporteat & Deum esse & unigenitum. Hæres autem Dei naturalis non sit nisi unus Christus, quatenus homo simul & Deus: quicunque enim præterea Filij Dei dicuntur & hæredes, non sunt nisi adoptivi. Hæc, inquam, videtur instantia esse fortior atque difficilior omnibus rationibus, quæ contra nostram côclusionem afferuntur. Ad ipsam nihilominùs bene respondetur. Eum quidem cui connaturale esset videre Deum, non fore Dei Filium adoptivum per adoptionem propriam: eo enim ipso quòd existeret absque supereminente decreto adoptionis, id omne juris ex natura sua haberet, quod Sancti nunc habent ex adoptionis gratia. Sed nec etiam dici posset esse Filius Dei naturalis eodem sensu & modo, quo Verbum Æternum dicitur esse genitum in sinu Patris. Quid ergo? Participaret aliquid ex utroque. Non propriè naturalis esset Filius Dei: quoniam non ejusdem foret cum Deo naturæ sivè substantiæ; foretque (qualis non est Christus, habens naturam humanam) persona extranea; eatenùsque participaret aliquid ex adoptivo. Non item propriè foret adoptivus; quia naturaliter ex vi essentiæ suæ creatæ haberet jus Filiationis & hæreditatis Divinæ, tanquam sibi debitum; atque sic haberet etiam aliquam speciem similitudinemque Filij naturalis: hoc tamen genus Filiationis naturalis non impediret, quin ex fundo, ut ita loquar, essentiæ suæ servus Dei foret absolutè, etiam per eam ipsam naturam, ex qua Filius esset naturalis aliquo modo, sed alio sensu inferiore, quàm Christus sit Filius naturalis; qui non est persona extranea, etiam ut homo.

17. Suares lib. 2. de Attributis cap. 9. num. 2. præter authoritatem D. Thomæ, & allatam ab hoc rationem quæst. 12. art. 4. (quam rationem suprà retulimus, & inefficacem ostendimus) ait hoc videri sibi probabile argumentum; quòd nulla de facto producta sit creatura, cui connaturale sit videre Deum. Ergo signum est talem visionem esse extra latitudinem earum perfectionum, quæ possunt esse connaturales creaturis. Vnde addit Scotum rectè dixisse, rationi consentaneum esse, vt Angelis tribuamus omnem naturalem perfectionem intelligendi possibilem: Præsertim cùm, vt asserit S. Thomas quæst. 50. art. 1. ad perfectionem vniversi pertineat vt constet ex omnium rerum gradibus, & ordinibus possibilibus. Respondeo non videri argumentum illud eam habere probabilitatem, quâ multum debuerit tantus Doctor moveri. Quot enim sunt supra gradus jam productos quæ non possumus asserere impossibilia esse Deo?

CAPVT V.

An quæ existunt Creaturæ intellectuales Deum supernaturaliter videre possint.

1. QVEMADMODVM Arianorum ex Platonicâ Scholâ error negavit posse supremi Dei Majestatem ab excelso sui numinis fastigio inclinare se, atque deprimere vsque ad producendas gubernandasque creaturas: Cùm præsertim hæ tam sublimis vim efficientiãque causæ sustinere non valerent. Ideoque cômenti sunt Platonici secundarium à primario Deo genitum Deum. Νῦν δεύτερον, ἢ Δημιουργὸν; Cui mundi fabricandi regendique mandata sit cura. Ita non defuerunt varij Hæretici, qui tam Angelos quàm homines (utpotè creaturas, omni ad Deum verum proportione destitutas) negaverint ad tanti numinis contemplandam essentiam assurgere; Sed illorum visionem beatificam non ultra lucem quandam eminentem, & ex reconditâ Divinitate emicantem, progredi posse affirmarint. Illam quorumdam hæresin refert Gregorius Magnus lib. 18. Moral.

cap. 38. Quem errorem assignant omnes Armenis, ut etiam quidam alijs nonnullis. Ita Radulphus Archiepiscopus Armacanus lib. 14. de quæstionibus Armenorum cap. 1. adiungit Armenis Græcos, apud quos præcipuus erroris huius vindex fuit Gregorius Palamas substituens loco essentiæ Dei lucem quandam increatam oculis aspectabilem, quæ fuit in monte Thabor.

2. Veruntamen dicendum est claram Dei prout in seipso est visionem reipsa supernaturaliter & per gratiam concedi intellectui cùm Angelorum, tum hominum beatorum. Ita nunc Ecclesiæ iudicio definitum est; cùm olim Sanctos Patres plures & celeberrimos aliter censuisse sit quædam ex eorum monumentis suspicio; & in eo illos errasse firma quorundam opinio; Quæ benignior atque comior de tantis Ecclesiæ Doctoribus esse debuisset; qualem nostram exponemus, dum ipsorum Patrum infra proferemus & explicabimus dicta, postquam hanc nostram probaverimus conclusionem: cuius veritas definita fuit à Benedicto 11. Extravag. *Benedictus.* vbi visio Dei, quam habent Sancti, dicitur facialis, & intuitiva. Necnon à Conciliis Francofordiensi in Epistola ad Episcopos Hispaniæ; & Florentino in litteris vnionis; vbi damnatur Armenorum error, & illorum hæreticorum veterum, quorum meminit sine nomine Gregorius Magnus lib. 18. moral. cap. 38. existimantium Beatos videre Deum non qualis est in essentia sua, sed eo modo, quo Solem in splendore intuemur. Fundabantur isti in iis quæ superiori capite nu. 3. 4. & 5. diximus de Invisibilitate Divina, non distinguentes quid creaturis naturaliter debeatur, & quid per gratiam concedi supernaturaliter possit.

3. Nititur vero prædicta Ecclesiæ definitio manifestâ Scripturæ sacræ authoritate, in qua proponitur Dei visio tanquam merces; vt Matthæi 5. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Et Ioan. 4. *Qui diligit me diligetur à Patre meo; & ego manifestabo ei meipsum &c.* Item 1. Corint. c. 3. *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* &c. *Explicatur autem quid sit videre faciem Dei* (inquit Augustinus epist. 112. cap. 8.) *à Sancto Ioanne 1. cap. 3. Similes ei erimus quia videbimus eum sicuti est.* Idem præmium videndi faciem Dei sortitos esse Angelos testatur Christus Math. 1. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* Quod vero asseritur de Angelis; idem asseritur de hominibus quos idem Christus Math. 22. ait *Similes fore Angelis Dei.* Nec obest quod ait Petrus Epist. 1. cap. 1. *Angelos desiderare in Deum prospicere.* Ad id Gregorius Magnus lib. 18. Moral. cap. 39. respondet desiderium illud non esse de re non habita. Id enim solùm ostendit tantam esse illius pulchritudinem objecti, ut quo magis illam Angeli contemplantur, & in ejusdem grata contemplatione quiescunt, eò magis illi adhæreant, nec se ab ipsa distrahi velint. Sic grave corpus, quod in suo centro non gravitare dicitur; resistit tamen & ejus possidendi velut desiderium præ se fert, si quis illud ex eo conetur extrahere. In ijs Scripturæ, quæ retulimus, locis intelligenda est juxta constantem Ecclesiæ sensum, & juxta ipsius materiæ, de qua est sermo, naturam, vera Divinæ essentiæ, nec talis metaphorica visio, qualem metaphoricam alibi eadem scriptura significat: vt cùm Iacob dicit se *Deum vidisse facie ad faciem.* Hic enim admittere cogimur metaphoram habita ratione materiæ. At vero in illis cogimur ad contrarium. Quare nunc inter Catholicos nullus relinquitur hac de re seriò disputandi locus. Quoniam nonnulli Theologi aliquorum Patrum insignium suspectam reddiderunt authoritatem, consentaneum est Sanctos hic ex adverso Patres adduci, quorum evidens sit in hac quæstione sententia.

4. Inter Græcos antiquissimus occurrit primum Irenæus, qui lib. 4. cap. 37. *Quoniam,* inquit *vivere sine vita impossibile est, substantia autem vitæ de Dei participatione evenit; participatio autem Dei est videre Deum, & frui benignitate eius: Homines igitur videbunt Deum, & vivent per visionem immortales facti, & pertingentes usque ad Deum.* Nazianzenus in orat. 34. postquam contra Anomæos asseruisset humanæ intelligentiæ viribus Deum non comprehendi, ait *Non id invidia ipsius Dei fieri*, & post quædam interposita indicat *præmium quod expectatur, nos reperturos in alia vita, cum mens nostra conjuncta fuerit naturæ Divinæ sibi cognata & imago ad archetypum ascenderit; Atque ita nos cognituros quantum cogniti sumus.*

5. Non omitti debent quatuor præcipui Latinæ Doctores Ecclesiæ. Gregorius Magnus lib. 1. moral. cap. 28. *Suis* inquit, *dilectoribus hæc Dei Sapientia* (Christus) *quòd se aliquando ostenderet pollicetur, dicens, qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo me ipsum illi.* Ambrosius in commentario in Lucam, *Videri Deum in resurrectione significat non corporalibus oculis, sed mundo corde, juxta illud, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ex pluribus quæ afferri possunt Augustini locis unum dumtaxat afferam. Sermone 10. de verbis Domini sic de sublimitate loquitur gloriæ cælestis: *Quod est fastigium construendæ fabricæ quam molimur? Quo perventurum est cacumen ædificij? Cito dico. Vsque ad conspectum Dei. Videtis quam excelsum est? Quanta res est conspicere Deum? Promittitur nobis conspectus veri Dei, summi Dei; Nobis promittitur visio Dei viventis & videntis.* In Epist. 112. sæpius hanc veritatem confirmat.

6. In eandem sententiam testimonium clarum est Hieronymi relatum ab eodem Augustino epist. 111. *Homo* (ait) *faciem Dei videre non potest; Angeli autem etiam minimorum* (*hoc est parvulorum, ut dixit Christus*) *semper vident faciem Dei: & nunc in speculo videmus & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem quando de hominibus in Angelos profecerimus.* Inter Latinos Patres non omittendus Bernardus; *In æterna,* inquit, *Beatitudine fruemur Deo: Ipsam præcipuè cognoscentes in semetipsa Trinitatem, & gloriam illam sine ullo ænigmate; mundo cordis oculo contemplantes. In hoc enim erit vita æterna vt cognoscamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu, & videamus Deum sicuti est.*

Referuntur & in Catholicum sensum explicantur Patres quidam gravissimi.

7. Iam ut ad disceptandam eorum Patrum causam veniamus, quos aliqui parùm comiter interpretantes, asserunt in hac, de qua agimus, controversia non satis orthodoxè sensisse. Notandum est quòd eorum Theologorum sententiâ, qui contra nostram primo hujus Libri Capite traditam doctrinam, existimant nullam fieri posse in perfectionum, quas Deus formaliter possidet, intuitivâ cognitione præcisionem; valdè difficile esset quædam Patrum testimonia exponere in ea benignitate, ut

illos possimus errore eximere. At verò admissa conceptuum objectivorum in Beatis substantiam Dei videntibus præcisione, possunt bellissimè omnia hujusmodi dicta in sensum commodum exponi; quemadmodum experientia mox in eorum examine docebit.

8. Hos autem inter Sanctos Patres vocatur præcipuè Chrysostomus in suspicionem erroris; & inter ejus loca præcipuè notantur quæ hic à me referuntur; quia magis ob viri eloquentiam eminent. Et primùm ea in angustum cogo, quæ ipse sparsim protulit in homil. 15. in Ioan. Ibi nempè asserit, *Deum cujusmodi est in se* (intrinsecè scilicet atque formaliter) *nec ipsos Angelos, Archangelosve vidisse unquam*, ὅπερ ἐςὶ ὁ Θεὸς ὐδὲ ἄγγελοι ὔτε ἀρχάγγελοι εἶδον. *Aitque illos si interrogentur, nihil aliud dicere habituros, quàm, Gloria in excelsis. Præterea solus videt Filius & Spiritus Sanctus eam quam accipit Divinam substantiam.* Additque ex Paulo *Manifestum fuisse tantum in carne Deum Angelis quibus ejus substantia non ante aspectabilis fuerat*, ἀγγέλοις τότε ὤφθη ὅτε σάρκα περιεβάλλετο, ἐπειδὴ αὐτοῖς ἀόρατος ἡ ὐσία. Hæc loca ex illa homilia 15. collegi & in angustum redegi; Nec ullibi quicquam in suis operibus habet quod difficultatem majorem facere possit.

9. Ad omnia dicta Chrysostomi responderi debet ex Augustiniana comprehensionis definitione. Quòd Beati dum intuentur quasdam formales perfectiones in Deo, nequeant intueri tam multas quin aliæ lateant infinitæ. Quare potuit aliquo vero modo dicere Chrysostomus ipsos Beatos Deum non videre (adæquatè scilicet) quamvis non dubitaret eos videre inadæquatè. Ita qui per angustum foramen vidit Cœlum, dici potest vidisse, & dici potest non vidisse: sic enim vidit ut non videret totam ejus latitudinem & exporrectionem. ὐ γὰρ εἶδε τὴν ἐκτασιν, ὔτε τὸ πλάτος. Sicut ait Epiphanius hæresi 70. Et ponderari debet ipsum Chrysostomum in homil. 4. de incomprehensibili Dei natura, tantùm dixisse non posse Deum à creatura cognosci expressâ & integrâ cognitione, quam vocat τὴν ἀκριβῆ κατάληψιν καὶ τὴν τετρανωμένην γνῶσιν. Homil. verò in Ioann. ait, *Neminem videre Patrem nisi Filium; qui certâ ratione visum & comprehensionem habet.* In aliis item locis significat se excludere ab Angelis solam Dei comprehensionem perfectam.

10. Hactenùs Chrysostomi solius causam egimus, & virum Sanctissimum Divinâque luce copiosissimè perfusum non potuisse ostendimus ignorare, quod tam apertè Christus de suipsius & naturæ Divinæ manifestatione Ioannis 14. & de Angelorum Gloria semper videntium faciem Dei Patris, qui in Cœlis est, Matth. 18. pronunciavit, quodque ex præcipuis est Christianæ Fidei capitibus. Nunc ad quosdam alios venio Patres, quos in eandem erroris suspicionem vocare aliqui non dubitarunt. Et quidem in illis Cyrillus Hierosol. non tantùm omni se suspicione eximit; sed modum quo nos Chrysostomum exposuimus, mirificè comprobat, semet explicando: nimirùm quòd Angeli, cùm Deum vident, quasdam essentiæ increatæ perfectiones videant, non tamen universas; factâ utique præcisione, dum intuitivè cognoscunt objectum illud increatum, cujus perfectiones plures vel pauciores Beatus quilibet (inquit Catechesi sexta) potest attingere pro suorum modo meritorum Θεῦ πρόσωπον ἄγγελοι διὰ παντὸς βλέπουσιν ἐν τοῖς ὐρανοῖς. βλέπουσι δὲ κατὰ τὸ μέτρον τῆς οἰκείας τάξεως ἕκαστος. Addit verò puram & ex toto perfectam Dei visionem sivè comprehensionem, (ἀκραιφνὴς ἡ τῦ πατρὸς θεωρίας) propriè Filio, Spirituique Sancto reservari. Idem est quod præcedente dixerat Catechesi, βλέπουσιν ὐ καθώς ἐστιν ὁ Θεὸς ἀλλὰ καθόσον αὐτοὶ χωρῦσι, hoc est, vident non quantum Deus est, sed quantùm ipsi capere possunt; Eodem modo quo Hierosolymitanum jam explicuimus, intelligendus est Alexandrinus Cyrillus, dum in 32. Thesauri ait *Deum à se solo, qualis suapte naturâ est, nosci.* Eodem item modo Athanasius orat. in illud, *Omnia mihi tradita sunt à Patre, &c.* negans Seraphim intueri Divinam Majestatem.

11. Suprà dicti Sancti Patres censeri meritò possunt extra erroris invidiam, cùm solùm vel essentiæ Divinæ comprehensionem integram, qualem solus Deus habet, vel corporeis elicitam oculis visionem creaturis denegant. Verumtamen non desunt aliqui alii, quos similiter ab hujusmodi errore purgare non possumus. Theodoretus enim nihil excusationis habere potest in primo Dialogo ἀτρέπτῳ sive Immutabili. Intuitivam siquidem essentiæ Divinæ cognitionem Beatis Angelis apertè denegat; nec alio modo vel sensu visionem Dei illis adjudicat, quàm Moysi, Prophetisque cæteris; *non enim Divinam*, inquit, *substantiam vident, sed gloriam quandam ad eorum naturam temperatam*; ὐκ τὴν θείαν ὐσίαν ὁρῶσιν, ἀλλὰ δόξαν τινὰ τῇ αὐτῶν φύσει συμμετρουμένην. Quosdam alios non ejusdem cum suprà commemoratis authoritatis Patres, hac in re manifestos erroris omitto; qui idem cum Theodoreto sentientes, commodam satis benignamque expositionem non capiunt.

CAPUT VI.

De Lumine Gloriæ.

1. QUANDOQUIDEM perfectio Divinæ essentiæ tam sublimè ex naturali omnis intellectûs jam creati operatione eminet, ut inventi sint quidam ex Sanctis primariisque Patribus, qui asserere visi fuerint nullum Beatorum ad illam intuendam elevari posse; licet nos eorum Patrum plures comiter, & in communem iamque Fide Catholicâ receptum sensum jam explicaverimus: Necessarium est, ut quomodo Fidei, Charitatis, &c. datur supernaturalis habitus, qui sit instar potentiæ, ut reddat intellectum, voluntatemque habilem ad talium virtutum actus eliciendos; ita præcelsus quidam habitus detur ad eliciendam visionem Dei (quæ non minùs imò & magis supernaturalis est, quàm sit ullus actus prædictarum virtutum) quo excellenti ac præcelso habitu mentes Beatorum vim habeant intuendi essentiam Divinam clarè. Quare hunc habitum aliqui malè confundere voluerunt cum specie impressa: quam nos suprà ostendimus nec dari (cùm sit per seipsum præsentissimus Deus) nec si daretur, concursuram fore aliter ad visionem, quàm simpliciter adhanc determinando. Quamvis porrò beatæ mentes ad tale

iale attingendum objectum possint elevari alio quodam superiori, non habituali, sed actuali lumine, scilicet pleniori concursu auxilioque Dei supplentis defectum habitus & confortantis potentiam: ut fit in primo fidei actu, quem infidelis, dum convertitur, elicit; & in actu contritionis, per quem justificatur impius. Tamen cùm lumen gloriæ non præsupponat visionem Dei, ut per hanc meritoriè obtineatur; quemadmodum fides & charitas habitualis præsupponit actum, qui illam congruè mereatur. Longè conformius est, ut ante visionem beatificam, tanquam à se producendam, lumen ipsum gloriæ per modum habitûs infundatur. Quod tam consentaneum est, ut Theologus nullus eâ de re dubitet, præter Scotum, & quosdam Nominales; qui visionem beatificam non ab intellectu volunt elici, sed à Deo creari; & Durandum qui in intellectu vim sufficientem agnoscit absque tali lumine.

2. Imo ut Vasques in 1. p. q. 43. disp. 2. & Suares lib. 2. de Attributis negativis cap. 14. testantur, existimavit Cajetanus cum quibusdam alijs Thomistis id esse Divinâ fide sancitum à Concilio Viennensi in Clementina, *Ad nostrum. De hæreticis*; licet ea definitio non sit satis clara, nec pertinere eò videatur, ut lumen gloriæ debeat esse habitus quidam, & qualitas, voluit enim concilium definire solum contra Begardos non posse nostrum intellectum vi suâ naturali videre Dei essentiam, sed indigere supernaturali quodam auxilio. Porro quicquid sit de fidei certitudine indubitatum aliundè esse debet, quod absolutè nos cum gravioribus Theologis affirmamus lumen gloriæ qualitatem seu habitum esse mentibus Beatorum infusum, ut elevet eas ad producendam visionem Beatificam.

3. Quem habitum seu qualitatem clarè distinctèque reperire non est apud antiquos Ecclesiæ Doctores. Qui mentis quidem Beatæ oculum Divino quodam auxilio & lumine corroborandum esse affirmarunt; sed lumen illud gloriæ, quod nos tanquam principium efficiens, & velut qualitatem intellectui adjunctam esse affirmamus, non visi sunt veteres agnoscere. Qui lumen supernaturale, quo intellectus adjuvetur ad visionem Dei eliciendam, in objecto potius seu in Deo (qui ut ait Ioannes lux est) quàm in Beatis considerant: Sicut Augustinus epist. 6. his verbis; *Lux illa Deus ipse est; Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Sed lux mentium purgatarum, non istius corporis oculorum*, Sic Dionys. cap. 1. de Div. Nom. ait Divinas mentes (nihil distinctius explicans) ad illucentem sibi radium attolli, & quibusdam velut pennis in altum sublevari. Ἐπὶ τὴν ἀκτῖνα τὴν αὐτοῖς ἐπιλάμπουσαν ἀνατεινομένας ἀναπτεροῦσθαι. Et Epiphanius hæresi 70. simpliciter ait Deum humanam naturam corroborare, ut ad se videndum, quod illa per se non valet, potens reddatur. Ἀνθρωπίνην φύσιν ἐνισχύειν ὅπως ἴδῃ τὸ ἀόρατον ἐνδυναμωθεῖσα.

4. Nihilominus evidens est quamvis objectum lucidum, fulgore suo visibile, se coram sistat, & ipsum etiam videntem irradiet (ut in sole adverso nostri experiuntur oculi) debere tamen supponi perfectam plenamque in ipso vidente facultatem intuendi. Quare meritò Scolastici præter Dei lumen objectivum asserunt necessarium esse aliud (quod aptè dicitur lumen gloriæ) ex parte videntis perficiens complensque naturalem, quæ per se sola insufficiens est, potentiam. Quod lumen vel actuale sit (nempe Dei extraordinariè concurrentis auxilium; quale auxilium est in contritione ejus qui peccavit mortaliter) vel (quod convenientius est) habitus permanens & complens creatam potentiam; cum qua Deus non aliter, quam, ut causa prima ordinaria concurrat, eo modo quo concurrit cum habitu Fidei Charitatisque supernaturali.

5. Porro visio Beatifica, ad quam lumen gloriæ concurrit efficienter, licet comparata cum intellectu & ipso simul lumine sit naturalis; comparata nihilominus cum intellectu qui lumine informatur, supernaturalis est: Nec se habet eodem modo quo visio corporea se habebat, v. g. in homine illo, cui à nativitate cæco Christus supernaturaliter visivam facultatem dederat. Quia licet ea facultas fuisset supernaturaliter concessa, tamen ipsa visio per talem facultatem erat non tantum ei facultati; sed etiam homini per se considerato naturalis. At visio Beatifica intellectui per se considerato prout subest lumini gloriæ, est ut dixi supernaturalis, quamquam sit ipsi lumini naturalis.

6. Advertendum tamen est hanc visionem, cum sit actus vitalis, atque adeo intellectum ut causam efficientem simul & subjectivam respiciat; non esse supernaturalem ipsi intellectui prout causæ subjectivæ. Quandoquidem lumen Gloriæ nullomodo concurrit nec elevat ad illam sustinendam, sed tantum ad producendam & eliciendam. Atque hinc habes cur Ricardum reprehendas autumantem ex adverso lumen Gloriæ requiri non ad eliciendam, sed ad recipiendam visionem. In simili reprehensione est Major, qui lumen asserit necessarium esse tantum ad disponendum & aptandum intellectum ut ipsam recipiat visionem.

7. Ex superioribus intelligitur, quæ sit necessitas & quod munus luminis gloriæ; nempe non ut adjunctum intellectui creato visionem absque cooperatione intellectus producat, quomodo visio non esset actus vitalis; sed dumtaxat ut ipsius potentiam intellectus elevet atque perficiat, & illi se adjungendo sufficientem constituat ad visionem Dei eliciendam, ad instar aliorum habituum supernaturalium circa actus fidei, spei & charitatis. Atque hac de re non est opus nos quicquam addere, sed nec refutatione indigent, qui volunt hujus luminis officium esse idem quod speciei impressæ, uniendo intellectui objectum, hujusque supplendo vices. Ex dictis etiam capite superiori habetur primò speciem & ejus officium nullo modo requiri, nisi quando objectum non est satis præsens, cum ejus tantum vices supplere debeat; Atqui Deus intellectui Beatorum præsentissimus est & intimus: quare lumine quod sit illius species non indiget. Secundo nec objectum quando adest nec ejus absentis vicaria species aliud beneficium exhibet intellectui, quam ut hunc determinet simpliciter absque ulla efficientia: supponit enim vim in eo esse sufficientem & plenam ad operandum; quam nisi haberet non posset determinari ad agendum. Ergo cum ad visionem beatificam intellectus Beatorum non per se habeat vim sufficientem, debet eam necessariò habere siue per lumen gloriæ actuale, hoc est per auxilium extraordinarium quod Deus concurrendo supra munus causæ primæ exhibeat: sive per lumen gloriæ habituale, hoc est per qualitatem, quæ ipsum intellectum informet.

8. Eodem modo confutantur illi qui ut refert Suares lib. 2. de Attrib. negativ. cap. 15. asserunt unam & eandem qualitatem simul esse lumen gloriæ influens efficienter cum intellectu, alioquin ad-

eliciendam visionem invalido; & simul esse speciem impressam ad determinandas Beatorum mentes. Iam ostendimus inutilem esse speciem ubi præsentissimum & intimum est objectum; quare frustra lumini gloriæ adjungitur munus speciei. Videri potest Suares loco citato; vbi eos etiam refutat qui volunt hoc lumen deseruire tantum in genere causæ materialis seu dispositionis ad recipiendam visionem Beatificam. Qui enim ita sentiunt, ut nullam vim efficiendi, sed solam vim materialem disponendi adscribant lumini gloriæ; necessarium est ut vel pessimè totam potentiam videndi Deum intellectui creato relinquant, sicut videtur sentire Maior, vel asserant visionem à nulla creata causa fieri sed à solo Deo creari infundique indellectui, ut opinatur Gabriel & aliqui Nominales.

CAPVT VII.

Quomodo Deus sit ineffabilis, & vtrùm omni modo.

1. CVM sermo non possit excedere, imo sæpe nec assequi perfectionem cognitionis quam declarat, manifestum est Deum esse creaturis saltem tàm ineffabilem, quàm à nobis cap. primo est ostensus Incomprehensibilis. Quis enim effari possit rationes eas in Deo quarum nullam suspicionem habet nec vestigium videt? certe nec ea quæ viderat potuit Paulus enarrare, etiam si linguis usurus Angelorum fuisset. Nam ut ait Augustinus 7. de Trinit. cap. 4. *Verius cogitatur aliquid de Deo quàm dicitur.* Et Ambrosius iisdem fere verbis tractatu de symbolo cap. 1. *Quamvis Deus non possit à nobis ut est cogitari; tamen verius cogitatur quàm dicitur* Idipsum antea Trismegistus & Plato pronunciarant, ut Cyrillus 1. contra Iulianum, & Nazianzenus orat. 2. de Theologia commemorant. *Quæris* inquit Augustinus in psal. 85. *quid sit Deus? quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quid quæris ut ascendat in linguam, quod in cor hominis non ascendit?* Idem tradit Dionysius cap. 1. de Divi. nom. Idem & Gregorius Magnus 27. moral. cap. 26. aliique multi Patres, & nominatim Synodus Lateran. cap. *firmiter* Deum ineffabilem esse definivit.

2. Hanc Patres Doctrinam ex scripturis hauserunt; quæ licet ipsam ineffabilitatis vocem non expressè habeant, satis tamen significant Dei essentiam, nulla posse vel cogitatione vel locutione comprehendi. Quò pertinet quod ex cap. 3. Exodi notat Philo lib. de nominum commutatione: Cum Deus Moysi quærenti quodnam sit nomen ipsius respondit, *Ego sum qui sum*; illud hic author ait *idem esse ac si Deus respondisset, natura mea est esse non autem dici.* Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, ἴσον τῷ εἶναι πέφυκα οὐ λέγεσθαι.

3. Nihilominus attributum hoc ineffabilitatis sivè (ut ita loquar) innominabilitatis non ita intelligendum est, quasi Deus nullo modo possit quidditative significari. Certum enim mihi videtur, vt & antiquis apud Vasquem Theologis, Beatos posse habere signa etiam externa & corporea, postquam resurrexerint, locutionis; quibus supposità quadam inter ipsos institutione significent quod de Deo vident & capiunt; unde à fortiori dicendum est, Deum voces instituere posse, quibus significet creaturis, non id quidem omne quod ipse de se intelligit; sed id quod de ipso valerent intelligere ij, quibus loqueretur, ut notat Henricus in Summa art. 73. q. 9. Non enim debet significatio vocum mensurari ex sola loquentium cognitione, sed etiam (& multò magis) eorum ad quos locutio dirigitur; quandoquidem significare nihil est aliud quàm facere ut quis intelligat; Si igitur ego quantumvis rem intelligam quam narro, non facio ut eam tu intelligas, non illam tibi significo, ut egregiè docet. Paulus

4. Certum item apparet homines viatores posse habere voces, quibus significent Deum quidditativè & secundum essentiam, licet confusè & modo ipsis proportionato conceptam; qualium vocum præcipuas inferiùs proponemus: nisi enim ita esset, non possem ego ista de Deo scribere. *Quod à me dictum est Deum esse Ineffabilem, si ineffabile esset, dictum non esset*, inquit Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana Cap. 6. ubi & subjungit, *At per hoc ne Ineffabilis quidem dicendus est Deus, quia cùm hæc dicitur, aliquid dicitur, & fit nescio quæ pugna verborum; quoniam si illud est ineffabile quod dici non potest, non est ineffabile, quod vel ineffabile dici potest.* Quod utrumque nempe Deum simul & explicari, & inexplicabilem esse; ita ut nec id dicatur ipsum quod dicitur asserit eliganter Nazianzenus orat. de fide quæ est 49. ex quo sumpsit ad verbum Augustinus quod ait sermone 190. de tempore. *Hoc est Deus, quod cùm dicitur, non potest dici; cùm æstimatur, non potest æstimari; cùm definitur ipsâ definitione crescit.* Nequaquam est opus (quidquid in contrarium doceat Suarez cap. 31. num. 13. & 14.) ut is qui significationem nomini imponit, cognoscat distinctè rem eam quæ per tale nomen vult significari, & quæ ab audiente intelligi potest; Imo nec opus est, ut qui loquitur & per voces enarrat quippiam, intelligat id quod dicit. Potest enim rem quam dicit nec novit verè significare illi audienti, qui percipit quod sibi dicitur. v. g. Si puer qui latinè nihil intelligit, didicerit memoriter aliquam ex Livio historiam, & eam ex memoria pronunciet mihi eius narrationem ipsis Livij verbis; Ille verè dicendus erit mihi latinè significare historiam quam forte vel ignorabam, vel non memineram. Et contra Germanus quis si quam probè novit historiam, mihi exponat linguâ suâ quam nesciam, is nihil mihi significabit, ut habetur ex paulo suprà citato.

5. Quæres nùm postquam ab intellectualibus creaturis voces quædam institutæ fuissent ad significandas Divinas aliquas perfectiones, possent illæ prolatæ coram Deo id significare ipsi ad quod denotandum facta fuisset earum institutio. Respondendum est, licet hominibus aut Angelis prædictam institutionem scientibus possent rem eam significare, cujus rei declarandæ vim accepissent, & cujus ipsi homines aut Angeli cogitationem intermisissent; vox enim omnis id significare dicitur, cujus novam cogitationem excitat: Tamen si loquamur Deo, nulla vox potest ei significare quidpiam, nulla enim excitari potest in illo nova cognitio, qui nunquam ullius rei actualem attentissimamque cognitionem intermittit. Quare nulla creatura propriè potest Deo loqui voce verbisque prolatis, sed nec etiam propriè mente internisque verbis propter eandem rationem. Nec enim ullus sivè suas cogitationes, sivè à se cogitata objecta significare illi potest, cui non tantùm præsentes patent,

ſed & futuræ *præparantur noſtra cogitationes.* Neque aliter loqui Deo creaturæ intellectuales dicuntur, niſi quatenus cogitationes ſuas, quas attendunt Deum aliunde neceſſariò videre, ad ipſum dirigunt: Homines tamen in hac vita non poſſunt abſque peculiari auxilio & illuminatione cogitationes objectorum internas formare, quin ſimul apud ſe forment verba illius quam norunt linguæ, putà gallicæ, latinæ, græcæ, &c. Quæ verba Deus per ſe ipſum neceſſariò videt, quando formantur.

CAPVT VIII.

De Divinis Nominibus.

1. CVM ut jam dictum eſt, Deus non ita ſit ineffabilis, quin utcumque de illo fari poſſimus; imò ex eo *quòd eſt ineffabilis* (inquit Leo Magnus ſerm. 10. de Paſſione) *fandi nobis tribuat facultatem, quia non poteſt deficere quod dicatur, dum non poteſt eſſe ſatis quod dicitur.* Diſputant Theologi de varijs quibus eum ſignificare poſſimus nominibus: de quibus videri poteſt D. Th. q. 13. & ejus expoſitores ac nominatim Vaſques diſp. 58. & 59. Quandoquidem (vt ait Ariſtoteles cap. 1. Elenchorum) nominibus inter diſſerendum utimur vice rerum pro quibus illa ſupponimus, eo modo quo calculis utuntur illi qui rationes ſupputant. Muneris eſt Theologici inveſtigare quænam ſit vis eorum nominum quæ Deo diverſimode tribuuntur; & quibus nos uti cum de ipſo loquimur neceſſe eſt. Sunt autem multiplicia, partim affirmantia, ſive ut Græci Theologi loquuntur, θετικά, partim negantia ſine ἀφαιρετικά. *Quoniam enim congruum non poſſumus illi nomen invenire, non remanet in uno nomine*, inquit Auguſtinus in Pſalm. 35. Quare Dionyſius Deum quem ob ſummam ejus excellentiam dicit eſſe ἀνώνυμον propter eandem aſſerit πολυώνυμον. Ratio reddi poteſt ex Clemente Alex. lib. 5. Strom. quod ſingula illi ſignificando ſatis eſſe non poſſunt, ſed omnia ſimul collata vim omnipotentis indicant. Eleganter Auguſtinus tract. 13. in Ioan. *Omnia dici poſſunt de Deo, & nihil dignum dicitur de Deo: nihil latius hac inopia. Quæris congruum, non invenis: quæris quoquomodo dicere poſſis, omnia invenis.*

2. Et quidem dari plurima conſtat communia Deo creaturiſque vocabula. Quæ cum nullam in ratione ſua abſtracta & communi imperfectionem includant, poſſunt de illo ſine metaphora prædicari. Talia ſunt nomẽ Cauſæ, nomen Bonitatis, nomen Sapientiæ &c. Sed nos illa nomina abſtracta & cõmunia contrahimus ad Deum; ut cum ad conceptum Cauſæ addimus conceptum Primæ &c. Porro præter genera nominum prædicta quæ non repræſentant Deum niſi inadæquatè, non repugnat dari quædam nomina quæ ſupremum illud Ens adæquate ſumptum ſignificent: Atque ea proportionantur aliquo modo excellentiæ Divinæ. *Omnes Deo digna denominationes* (inquit Dion. cap. 2. de Diu. nom.) *non per partes, ſed in tota perfecta & plena Deitate à ſcripturis celebrãtur.*

3. Tale vero eſt in primis nomen Θεὸς ſive Deus, quamcumque dicatur habere etymologiam. Scitè apud Lactantium lib. 1. cap. 6. Trimegiſtus ait Deo, quia ſolus eſt, non eſſe opus alio quam Dei nomine quaſi proprio & adæquato. Imponi enim neceſſe eſt nomen, cum diſcrimen exigit multitudo, ut unamquamque perſonam ſuâ notâ & appellatione deſignes; Deo autem quia ſemper unus eſt, non eſt proprium aliud nomen quam Deus. Porro illud nomen Θεὸς licet ad ſubſtantiam ipſam & naturam ſignificandam inſtitutum ſit; non tamen ſumptum eſt etymologicè ab ipſa Divina Subſtantia. Quo ſenſu intelligendus eſt Chryſoſtomus homil. 2. in epiſt. ad Hebr. cum dixit οὐδὲ τὸ Θεὸς ὄνομα οὐσίας ἐστί. Et quidem nomen illud non niſi à quibuſdam operationibus deductum eſt. Clemens Alex. in Protreptico teſtatur ab Ægyptijs primo Solem cum alijs ſyderibus Divinitate fuiſſe conſecratum; & à perpetuo illorum motu curſuque (παρὰ τὸ Θέειν) Θεοὺς fuiſſe nuncupatos à Græcis Ægyptiorum ſuperſtitionem, & impium illum cæleſtium corporum cultum recipientibus. Plato in cratylo aït ſibi videri primos in Græcia homines accepiſſe coluiſſeque Barbarorum Deos, Solem, Lunam, Aſtra, Cœlos; & quoniam illa omnia perpetuo curſu progrediuntur, ἀεὶ ἰόντα δρόμῳ καὶ θέοντα, Θεοὺς ἐπονομάσαι. Gregorius Nyſſenus (quod communius receptum eſſe videtur) derivat hoc nomen à contemplatione. ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι. Eius Frater Baſilius deducit ex eo quod illius ſit omnia ponere (τιθέναι) & contemplari (θεᾶσθαι) Nazianzenus παρὰ τὸ θέειν vel αἴθειν propter indefeſſam agitationem & quod comburendo vitioſas affectiones conſumat, utpotè ignis conſumens.

4. Huic nomini (Deus) reſpondet Hebraïcum *el* (ut ait Hieron. epiſt. 136.) quod à fortitudine & potentia deductum eſt. Vbi notandum Hebræos ne ſummum illud nomen tribuerent falſis Dijs noluiſſe hos Deos vocare *elim* in plurali ſimpliciter ſed geminata per contemptum ſyllaba nominaſſe *elilim*, quaſi Deaſtros diceres. Celebratur præcipuè nomen *Iehovah*, nempe (qui eſt) cum Deus ſit eſſe per eſſentiam; nec enim aliud continetur nomine illo *Iehouah* quam verbum ſubſtantivum *haiah* ſive *hauah*. Eſtque haud dubiè ejus verbi tertia in futuro perſona & idem quod *erit*. Hujuſmodi nomen ab eſſentia ſumptum Ioannes fuſius Apocal. cap. 1. exponit his verbis εἰρήνη ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος. Hoc eſt Pax ab eo qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt. Quod nomen tantò majoris fieri debet, quòd ipſe ſibi Deus Exodi 3. illud impoſuit. Si enim ſolius Dei eſt; ut aït apud Platonem Socrates, nomina imponere, *Singularumque rerum eſſentiam in literas ſyllabaſque includere*, τιθέναι εἰς γράμματα καὶ συλλαβάς, quantò magis id verum eſt, cùm de inſtituendo ipſius Dei nomine agitur.

5. Quare cum plura ſint apud Hebræos quàm apud cæteras gentes nomina Deo tributa; Hieronymus enim decem recenſet Epiſt. 136. Præcipuum tamen eſt *Iehouah* ob authoritatem Dei, qui ſuæ naturæ maximè conſcius id ſibimet impoſuit, tantaque fuit illius apud Iudæos reverentia, ut ab eis plebi vetitum eſſet, propoſitâ pœnâ mortis, ne ipſum per proprias literas pronunciaret; quod ſoli Summo Sacerdoti benedicenti populum ſemel licebat in anno, libri Numerorum cap. 6. Vocatur porrò ab illorum Doctoribus hoc nomen *filius quatuor literarum*, & *nomen magnum*, item, *nomen glorioſum*, denique *nomen explicatum*. Explicarunt autem illud dupliciter nimirum per duodecim literas triplicatis

literis hebraïcis nominis ipsius quadri-syllabi *Iehovah*; Et prætereа per quadraginta literas eas quæ primùm occurrunt initio Geneseos à primo *Beth* vocis *Bereschit* usque ad *Beth* vocis *Bohu*. In hujusmodi verò expositionibus longum esset afferre superstitiosas quas Rabbini comminiscuntur nugas. Illo nomine *Iehovah* per literarum variam transpositionem infinita putant fieri posse miracula, nec aliter edita fuisse, quæ Moses patravit.

6. Licet multùm superstitionis Iudaïcæ atque Thalmudicæ tandem irrepserit; initio tamen religiosa fuit non pronunciandi nominis illius reverentia. Quæ fundata videri potuit in eo quod Deus aït Exod. 6. *Ego Dominus qui apparui in Deo omnipotente, & nomen meum* Iehovah, *non judicavi eis.* Vnde colligere possumus non pronunciandum esse Dei nomen temere, quod ne quidem laudando proferre digni sumus. *Nescitis* (inquit Chrysostomus homil. 9. in acta) *quo ore sit appellandus Deus, & nomen illud pretiosum promiscue in usu fertur. O consuetudinem! &c.* Post illa quæ de excellentia nominis *Iehouah* diximus, non omittam addere nomen *Iah* (quasi decerptum esse ab illo per apocopen seu diminutionem) aptari posse Christo, qui verus Deus se exinanivit in hominem, minoratus paulo minus ab Angelis, & immensum quantum à Divino fastigio; cujus tamen ipse fastigii sublimitatem non reliquit, Atque eò refferre possumus, quòd in scripturis (ne *Iah* minus esse quam *Iehovah* æstimetur) illa duo nomina simul quasi unum ponuntur; ut Isaïæ 26. in *Iah Iehovah sour*, hoc est, *in Domino Deo forti.*

CAPVT IX.

Circa Visionem Beatificam, & ea quæ illi annexa sunt, contemplatio anagogica.

1. VISIONIS hujus excellentia physica tribus omnino continetur; nempè quòd sit actus vitalis, deinde quod supra ordinem naturæ elevata, quòd denique Deiformis. Quare triplicem parit Beatis mentibus perfectionem pro triplici, ex quo oritur principio; intellectu scilicet, à quo habet ut sit vitalis; lumine gloriæ, à quo supra naturæ fastigium elevatur; & objecto, quod sese in beatificà visione, ut in sui specie expressa, velut depingens, reddit ipsam sibi similem; Quomodo in adversa densaq; nube formam Solis videmus expressam.

2. Primo siquidem necesse est ut mentem beatifica visio verè vitalis veramque vitam tribuens mirificè dilatet ad Numinis intra sese capiendam complectendamque aliquo modo immensitatem. Sicut cyathum vel cochlearium oporteret mirificè dilatari ut totum capere posset Oceanum. Et sanè si corporeus oculus aspectu suo ad tantam se amplitudinem extendit, ut hemispherij vastitatem integri recipiat, & quantùm extensum est, admittat pupula Cœlum. Atque si lumen sapientiæ quod Salomoni concessum fuisse narratur à Scriptura, dedit ei latitudinem cordis quasi arenam, quæ est in littore Maris; quantò magis beatifica visio, quæ summæ est gloria sapientiæ, mentibus beatorum latitudinem largietur supra eam, quæ reperitur in Empyrei Cœli extensione interminata, ad quam inferiores omnes orbes & citerior totius universi natura non est nisi instar puncti. Etenim sicut Apostolo teste angustia est in omnem animam hominis operantis malum, & multò magis hominis ad infernum terræque centrum detrusi: ita Deus animas eorum qui operati sunt bonum, educit in latitudinem; Quod se David expertum ait Psalmo decimo-septimo, *Eduxit me*, inquit, *in latitudinem*, quos vero sui visione Deus beat, illos ad suæ lucidum spatium immensitatis admittit; Quod spatium increatum magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius, excelsus & non habens finem.

3. Secundò quantam dilatationem & immensitatem objectivam habet Beatifica visio; tantum necesse est in altitudinem vt mentes elevet. Non enim dilatationis & amplitudinis, de qua iam diximus, spatium alia quam altitudinis & elevationis proportione crescit. Hæc autem altitudo non modo ad Empyreum & supremum eorum cœlorum qui creati sunt pertinet; sed usque ad illud increatum assurgit cœlum; de quo, ut interpretatur Augustinus dictum est, *Cœlum Cœli Domino:* Quod Cœlum Deus est, in quo ipse habitat: Præ cujus & sublimitate & immensitate Cœlum omne censetur infimum, & instar puncti angustum; & *ad quod* (ut idem Sanctus doctor ait) Empyreum etiam ipsum terra est.

4. Tertiò denique, visio Dei Beatis mentibus concedit eam quam in se continet expressam similitudinem Dei. Et quandoquidem omnis intellectio suum attrahit & ad intelligentem adhærere facit objectum, necesse est vt mentes quæ visione potiuntur Beatifica Divinitatem intra se intentionaliter possideant, sintque Deiformes; hoc est ut loquitur Ioannes epist. 1. cap. 3. *Similes Deo fiant per omnia; quia vident eum sicuti est*; atque totidem esse Dij videantur.

LIBER SEXTUS.

De ijs quæ pertinent ad Intellectum Dei.

HACTENUS ea quæ simpliciter ad substantiam, seu esse Dei pertinent, & ab operando abstrahunt consideravimus: Superest ut deinceps agamus de ijs, quæ pertinent ad ejus potentias, & operationes. Non habet autem Deus alias potentias, præter intellectum & voluntatem ad immanenter, & omnipotentiam ad transeunter operandum: De quibus in sequentibus deinceps libris ordine disputandum erit.

Et hoc quidem libro agendum prius occurrit de intellectu; qui post attributa negativa (de quibus pro eo quantum opus fuit egimus) primum locum inter perfectiones, quæ positivæ à Latinis Theologis, à Græcis Θετικαὶ *dicuntur, obtinet: quandoquidem is præsupponitur alijs duabus potentijs; quarum scilicet operationes ab illius actibus diriguntur, & quodammodo pendent. Operosum verò ac spissum hic incumbit opus. In quo expediendæ quæstiones occurrunt nec parvis nec paucis obstructæ difficultatibus. Et primo quidem capite exponendum erit, an & quomodo intellectus, prout vim quandam in actu primo seu potentiam sonat, Deo possit attribui. Secundo capite qualem habeat actum secundum intellectus Divinus. Dein Tertio capite agendum erit de illa cognitione, quâ Deus intuetur essentialiter absolutas suas perfectiones. Quarto de scientia qua perfectiones suas relativas personalesque cognoscit. Quinto de illa simplici intelligentia, quâ novit possibiles creaturas. Sexto, quo Deus modo cognoscat in se ipso, & ex se ipso possibiles creaturas; Septimo an, & quomodo Deus cognoscat creaturas possibiles immediatè in se ipsis. Octavo de scientiâ practicâ. Nono de Divinis Ideis. Denique decimo librum hunc claudet moralis consideratio de verâ quæ soli Deo competit scientiâ.*

CAPUT I.

An, & quomodo considerari possit in Deo actus primus, seu potentia intelligendi?

1. DUBITARI non potest, quin Deus in perfectissimo summèque immateriali sit essendi gradu; atque ita vitam participet intellectualem. Licet enim non omne spirituale seu immateriale habeat vitam intellectualem (ut constat ex multis accidentibus spiritualibus; & fortè possibilis est spiritualis quædam substantia expers vitæ) tamen summum ac perfectissimum ens spirituale non potest carere vitâ intellectuali. Sanè Deum habere intellectionem rerum actualem, tum ostendit artificium gubernatioque mundi, tum docet omnis Divina locutio, atque revelatio. Quisquis enim loquitur, satis hoc ipso testatur, & in actu exercito velut dicit se intelligentem; speciatim verò & in actu signato traditur Deum intelligentem esse Ester 14. *Domine qui habes omnem scientiam.* Occurrunt passim Scripturæ loca, infinitam, altissimam, summamque in Deo scientiam atque sapientiam testantia. Infinitam David testatur Psalm. 146. *Et Sapientiæ ejus non est numerus.* Altissimam Paulus Romanor. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.* Summam, & ex omni eminentem sapientia Salomon in illo, qui de ipsa est sapientia libro; *Ipse sapientiæ dux est & sapientium emendator.* Variæ sunt hujusmodi in sacris consignatæ monumentis authoritates, ubi Deum asseritur *Nosse hominum corda, scrutari renes, intueri abyssos audire, scire, docere,* &c. Nec de ea veritate ambigere potest ratio naturalis; Quamvis enim, ut suo loco ostendimus, non sit per se nota existentia

Dei, probato tamen & confesso Deum existere, notum per se est lumine naturali eundem habere perfectionem omnem possibilem, atque præcipuè Sapientiam, quæ perfectionum omnium est maxima. Nec ulli fuisse leguntur unquam hæretici, qui Deo non concesserint omnium rerum intelligentiam, suique præcipuè cognitionem & beatitudinem, quam sine sui cognitione habere non potest; imò præcipuam Divinitatis notam, & excellentiam in cognitione & intelligentia ipsi etiam Ethnici posuerunt. Quare Aristoteles 7. Metaphys. & lib. 10. Ethic. cap. 8. indignum Deo putat statum similem dormitioni, & carentiam actualis cognitionis, licet esset respectu aliquorum duntaxat objectorum; asseritque Deum non tam intelligendi vim, quam ipsam esse formaliter intellectionem, quá se & Sapientissimus & Beatissimus novit, infinitisque se revolvat in eam sui notitiam reflexionibus. ὐ δύναμιν, ἀλλὰ νόησιν νοήσεως νόησιν. His dilucidioribus verbis Maximus Deum esse pronunciavit ὅλον νόησιν, ϗ μόνον νόησιν, ϗ νόησιν ὑπερ νόησιν. Vnde factum est, ut illi nomen Θεοῦ apud Græcos adhæserit à cognitione, quæ in ejus essentia Numinis præcipuè elucet.

2. Solemnis est hic disputandi locus nùm in Deo possit aliquo modo intellectus præcisè, sive, vt vocant, actus primus intellectivus admitti. Aureolus enim in 1. dist. 35. negat posse, vel quidem per conceptum nostrum in Deo distingui intellectum ab intellectione, quasi actum primum ab actu secundo; existimans id summæ actus puri, qualis est Deus, perfectioni repugnare. Quia intellectus est quædam materia in ratione intelligibilium ex Arist. 3. de anim. tex. 18. Et quia actus primus ut distinctus ab intellectione nihil est aliud, quam ordo ad hanc producendã & recipiendam; qualis ordo cadere non potest in Deum. Item quia Deus est puriùs intelligere, quàm intellectio creata; Ergo multò minùs continet in se potentiam quam intellectio, quæ nihil est aliud quam purè actus secundus. Et absolutè Deus undecunque est actus purus; ergo ei potentialitas omnis repugnat. Disputat immensè hac de re cum Aureolo Capreolus: qui tamen (ut ait Suares disput. 30. Metaphys. sect. 15.) non ita solvit illius argumenta; quin fateri cogatur, potentiam, sive actum primum, in Deo non posse reperiri quoad omnia, quæ actus primus seu potentia simpliciter dicit: sed tantum aliquo minùs proprio modo; qualis modus mox intelligetur in expositione sententiæ nostræ. Impugnat item Aureolum Ruis disp. 3. de scientia Dei sect. 4. & 5. ubi licèt illum temeritatis arguat, quasi Sanctis Patribus adversantem; eò tamen delabitur tandem, ut concedat intellectivam potentiam propriè loquendo non habere locum in Deo.

3. Dicendum est dari in Deo intellectum, qui juxta modum concipiendi nostrum sit radix & origo intellectionum in quas metaphisicè influat; licèt re non se habeat formaliter, nec plusquam eminenter seu virtualiter eò modo, quo à nobis concipitur. Nec enim dùm intellectum de Deo prædicamus, ipsi modum seu prædicandi seu concipiendi nostrum tribuimus, sed vim mentis quandam perfectissimam, in eo virtualiter existentem. Hæc conclusio communis est Theologorum Capreoli, Scoti, Durandi, Suaris suprà, Molinæ quæst. 27. a. 5. disp. 2. Vasquesii disp. 102. c. 4. disp. 112. & 142. c. 1. Ariagæ disp. 15. sect. 3. &c. Dubium non est, quin eadem sit Patrum sententia: qui Deum vocant mentem, intellectum, memoriam: *Divina mens* (inquit Dionysius de Diu. nom. c. 7. sub medium) *omnia continet, & scientiam anticipatam habet.* Necnon Ireneus lib. 2. cap. 48. *Deus totus existens mens quod cogitat hoc loquitur.* Cyrillus lib. 2. thesauri, Deum vocat *intellectum, qui ut supremus atque optimus se optimè novit.* Damascenus lib. 1. cap. 15. asserit in Deo intellectum elicere intellectionem his ipsis terminis; *Deum vocant intellectum & intelligentem; vitam, & viventem;* Augustinus & alij dicunt Verbum Divinum procedere *ex patris memoria*, hoc est ex intellectu; quatenus retinente scientiam ejus, quod novit ab æternitate.

4. Ratione item probatur conclusio. Negari enim non potest, quin Deus intelligat omne intelligibile, ut patet ex dictis nu. 1. Atqui nullus intelligit, qui non habeat vim & potentiam intelligendi; nisi velimus asserere id fieri, quod fieri per nullam potentiam queat; & intellectionem, quæ actionem sonat, illius non sonare actionem qui intelligat; aut eum qui intelligit, nihil agere. Sed ne verbis ludere, aut de illis solis disceptare videamur, attendendum est, quonam hic sensu dicamus & intellectionem esse actionem, & intellectum esse potentiam in Deo. Intellectionem siquidem nolumus talem actionem esse, qualem in nobis experimur; quæ fit cum verâ dependentiâ, & quæ à suo principio distinguatur; sed talem asserimus, quæ sit verè actus vitalis; qui absque propria physicaque emanatione ac dependentia tam perfectè, imo perfectiùs constituat formaliter intelligentem, quàm illæ intellectiones quæ sunt formæ realiter productæ, & in suo receptæ informationis subjecto. Intellectum item non eam esse volumus potentiam, quæ possit ab intellectione cessare, ut in creatis experimur susceptas intellectiones cogitationesque intermitti: Quòd si aliquæ (putà intellectiones beatificæ, vel eæ quas Angeli habent naturales sui visiones) nunquam intermittantur: eæ tamen sunt omnes hujusmodi; ut potentia intellectiva, quæ illas elicit, queat ab ijs cessare, si Deus velit suum denegare concursum. Præterea nolumus in Deo intellectivam talem esse potentiam physicam, quæ sit intellectionis vel productiva, ut vera causa efficiens, vel receptiva ut verum subjectum: cùm ex dictis habeatur non tribuendum esse Deo actum primum, sed nec secundum eo planè modo, quo reperitur in creaturis. Superest ut clarè judicemus peculiarem illum modum, quo à nobis dici concipique in Deo debeat actus cùm primus, tùm secundus.

5. Dicimus ergo rationem intellectus, seu actus primi, quatenus Deo tribui debet, hanc esse; ut in substantiâ Divinâ intelligente concipiamus vim penetrandi, seu intuendi objectum intelligibile, & facultatem continendi in se intentionali modo res cognitas. Quam actus primi perfectionem Augustinus lib. 2. ad Simplicianum qu. 2. explicat his verbis; *vivacitatem certa atque inconcussa veritatis, unâ atque æternâ contemplatione collustrantis.* Illam autem intellectus vim nos concipimus præscindendo interim ab intellectione actuali divina; atque item abstrahendo ab hoc quod prædicta illa vis sit propriè activa; vel quòd sit aut non sit ipsemet intelligendi actus formalis. Iuxta hunc modum exprimimus in Deo perfectionem quandam intelligendi extricatam ab actu secundo; ut se habeat *velut actus primus, ex quo non physicè sed metaphysicè debeat sequi intellectio Divina formalis.* Atque hic modus concipiendi seiungendique ab invicem actum primum, & secundum

sufficit; ut sine falsitate in Deo intellectum asseramus; ex quo per emanationem quandam metaphysicam oriatur actualis formalisque intellectio. Huc referri, & accommodari potest, quod Capreolus dixit, actum primum in Deo vt distinctum ab intellectione, *perfectionem esse intellectualitatis fixam & permanentem*; quatenus scilicet eam fixam permanentiam in intellectu concipimus, & de illa in intellectione Divina non cogitamus nec concipimus an fixa sit & permanens. Quod vero ait Ruis non videtur ad præsentem explicandam difficultatem accommodatum: Vult enim in Deo per intellectum aut actum primum significari meram intellectionis possibilitatem, vt abstrahentem ab omni emanationis specie. Verùm quis vnquam inter Patres, cum intellectum agnovit in Deo, voluit significare meram possibilitatem intellectionis? & quis Verbum Divinum generari asseruit non per verum intellectum nec per veram intellectionem, sed per meram possibilitatem intellectionis.

6. Non est inutile, sed aliqua consideratione dignum, quamvis Nominalitiam Scholam nonnihil redoleat, quod admonet Ariaga sect. 3. subsect. 1. cùm enim, ut distinguamus per mentem in Deo actum primum ab actu secundo, seu ab actuali intellectione; oporteat necessariò actum ipsum primum concipi ut habentem aliquod prædicatum, quod actuali intellectioni convenire non possit. Illud non ita esse intelligendum ait Ariaga, ut sit necessarium reperiri in intellectu Divino aliqua prædicata, quæ non conveniant intellectioni itidem Divinæ. Cùm enim intellectus & intellectio realiter non differat, nullum potest esse prædicatum in illo, quod non & in ista reperiatur. Quare aliter (inquit ille author) quæstio hæc expedienda est. Vt nempe consideremus prædicata actus primi, & actus secundi, prout hi actus in creatis realiter distincti reperiuntur. Nam in Angelo verbi causâ, cùm intellectus & intellectio realiter distinguantur, reperiuntur prædicata intellectus, quæ non sint prædicata intellectionis. Exempli gratiâ, prædicatur de Angelo de eiusque actu primo, quòd sit subsistens, quòd sit intellectivus, quòd sit intelligens, &c. Non autem potest de ipsius Angeli actu secundo seu intellectione similiter prædicari, quòd sit substantia, quòd intellectiva, quòd intelligens, &c. Ergo ascendendo ad Deum, & considerando ejus substantiam, inveniam ipsam ejus substantiam esse subsistentem, esse intelligentem, &c. Possum autem per abstractionem seu præcisionem considerare illius actualem intellectionem (quamvis realiter indistinctam) sine illis prædicatis; sed tantùm cum prædicatis, quæ conveniant Angeli actui secundo, non autem actui primo; ut quòd sit perceptio objecti, quòd sit vita actualis, &c. Atque hoc modo permittit ipsa etiam Nominalium Schola distingui per mentem objectivè in Deo actum primum ab actu secundo; quemadmodum in Angelo: propterea quòd in Angelo distinctio quidem sit realis; in Deo autem distinctionem realem suppleat distinctio, quam ego facio per mentem.

7. Rationes, quæ pro Aureoli sententia, quatenùs nobis adversatur, allatæ sunt num. 2. difficultatem non habent. Atque ex dictis in promptu est respondere. 1. Quidem intellectivam potentiam, quæ nullo modo ab intellectione realiter distinguatur, obesse non posse perfectioni actus puri. 2. Aristoteles cùm intellectum ad quoddam genus materiæ reduxit, non de eo loquebatur, qui re indistinctus ab intellectione, non possit ad hanc comparari quasi subjectum ad formam. 3. Sed nec talis intellectus realem potest ordinem dicere ad intellectionem tanquam ad distinctum terminum. 4. Purior quidem actus est Deus, quàm omnis intellectio creata: sed cùm hæc limitatam admodum habeat talis actus puri rationem, Deus infinitas habet virtualiter perfectiones, quarum unæ, per summam actûs puritatem, citra ullam compositionem, aut realem multiplicitatem, seu potentialitatem, subordinentur metaphysicè, subjiciunturque alijs. Quare ex suis rationibus alijsve, quæ (si vllæ sunt) prædictis continentur, patet nihil aliud posse Aureolum obtinere, quàm in Deo nullam intellectivam potentiam reperiri, quæ limitationes, seu imperfectiones, quales in creatis potentijs reperiuntur, habeat: post sublatas autem eas omnes imperfectiones, superest pura & integra illa vis seu vivacitas in Deo percipiendi objecta intelligibilia. Ita ut fundamentum habeamus dicendi Deum esse non tantùm Intellectionem, sed etiam Intelligentem. Contra id quod asserimus in Deo vim prædictam seu principium intelligendi, perperàm affertur locus Augustini ex lib. 7. de Trinitate cap. 1. Ibi enim nullo modo is negat Deum sapere per essentialem Sapientiam procedentem metaphysicè ab ejus vi & vivacitate intellectiva: nam loquitur Augustinus de Sapientia genita & producta physicè ratione hypostaseos. Et malè transfertur quod ille ait de tali Sapientia producta, hoc est, de secunda Persona, ad sapientiam essentialem, improductam physicè, & communicatam ipsi secundæ Personæ; quæ per intellectivam potentiam æquè ac Pater Intellectionem seu Sapientiam essentialem metaphysicè producit; & per hanc est idem Sapiens qui Pater.

8. Duobus hic verbis expedienda est vna, & altera quæstiuncula; ut percipiatur, qualis, & quàm perfecta sit ea vis & potentia intellectiva, quam in Deo esse ostendimus. Quæritur ergo, núm in illa, eo modo quo in intellectu creato, necesse sit speciem intelligibilem reperiri? Item núm & habitum? Quod ad prius circa speciem attinet, supponendum est, potentias in creaturis cognoscitivas indigere ad objecta cognoscenda, ut eas ipsa etiam adjuvent objecta, & cum ipsis ad cognitiones concurrant, velut causæ, non quidem efficientes, sed determinativæ & specificantes; quomodo referri possunt ad causas velut formales extrinsecas. Vnus enim Angelus, v. c. penetrans loco alterum Angelum aut aliquod animal, non habet vi sui intellectûs facultatem eliciendi visionem illius præsentis intimique objecti, nisi ab hoc ipso objecto determinetur, eatenùsque juvetur. Quòd si objectum absens sit, aut non applicatum sufficienter per seipsum; oportet ut vicaria pro illo species substituatur, quæ informans intellectum, id ei præstet officium, quod ab objecto, si adesset, præstaretur: quia verò præsens per se objectum non aliter juvaret intellectum, quàm determinando; sic nec opus est, ut species quicquam agat efficienter aut alio modo se habeat quàm determinando intellectum Angeli ad hoc potiùs quàm ad aliud objectum intuendum. His præsuppositis certum est, cùm Deus habeat in suo intellectu omnia, quæ necessaria sunt ut operetur, & ut ad hoc potiùs se determinet objectum intuendum, quàm ad quodcumque aliud, nulla indigere vel objecti præsentiâ, vel hujus loco sibi adjunctâ specie; sed ipsum sibi esse speciem; neque licet præsens sit objectum ullâ hujus indige-

te determinatione. Quare dicendum est Divinam intellectionem à suis quidem terminari, sed non determinari objectis. Quod ad alteram spectat quæstiunculam de habitu, respondendum est, intellectum Divinum non magis indigere habitu, quàm specie. Nam intellectuales habitus vel non distinguntur à speciebus, magis vel minùs adjuvantibus, prout magis vel minùs intensæ sunt: vel si à speciebus distinguantur, nihil aliud possunt, quàm operandi vel adimere difficultatem, vel facilitatem afferre & augere: atqui evidens est Deum infinitam habere per seipsum ad omnes suos actus facilitatem, quæ nullo modo perfici possit.

CAPUT II.

Qualem habeat actum secundum Intellectus Divinus.

1. QVOD spectat ad intellectionem, quæ Deo competit, ea est prima & jucundissima vita; actus quidam secundùm rem purus, per se subsistens, identificatus simplicissimè cum totâ Divinitate, invariatus; & quamvis non semper sit essentialis, aut necessarius quoad sui terminationem; est tamen semper indefectibilis, nec post primum velut instans Æternitatis incipere potest, aut novo modo se habere: nihil in eo obscuritatis, formidinis, incertitudinis, falsitatis, compositionis, vel divisionis, limitationis &c. Est ergo Divina intellectio summa, & æterna Sapientia intelligibilitatem omnium objectorum possibilium, impossibilium adæquans & secundum primam ipsam sui rationem in se mirabiliter reflexa propter summam clarissimamq; totius Divinitatis comprehensionem, ac purissimam immaterialitatem suam. Est item summè speculativa & efficacissimè practica, omnium continens in se rerum ideas. Voluntatem Divinam quoad aliqua mirè necessitat, quoad aliqua librat, & ejus determinationem, quam per modum prudentiæ dirigit, reddit perfectissimè liberam. Quæ de perfectionibus Divinæ Intellectionis cursim jam diximus, & varia, quæ mox in ejus divisione enumerabimus membra, intelligentur ex ijs, quæ speciatim de illorum singulis toto hoc libro deinceps disputabuntur.

2. Propter eminens decus intellectionis seu scientiæ Divinæ fit, ut quamvis non sit nisi una simplicissima entitas, possimus tamen ipsam ratione dividere in plures velut cognitiones toto genere differentes. Vnde & multa nomina. Possunt autem in Deo scientiæ distingui ac dividi, sive ex parte objecti, sive ex parte subjecti, sive ex parte modi quò tendunt in objectum; sic tamen ut aliquæ illarum scientiarum secundum diversas considerationes possint ad varias simul pertinere referrique divisiones. Quarum omnium diversitates suis infrà explicabuntur locis.

Nùm tres mentis (quales nostræ) operationes locum aliquo modo habeant in mente Divina.

3. Advertendum est intellectionis seu scientiæ Divinæ varias divisiones ita se habere, ut secundum quas considerationes fiunt, differant inter se, nec una cum alia confundatur. Tamen quædam illarum divisionum membra, quia plures habent considerationes, possunt ad diversas simul referri divisiones. Nam v. g. cognitio, quam Deus habet suorum Attributorum absolutorum, pertinet ad cognitionem essentialem, & ad cognitionem intuitivam; & cognitio rerum ut possibilium, est scientia Deo essentialis. Est item scientia simplicis intelligentiæ. Cognitio creaturarum existentium pertinet ad scientiam visionis, & ad scientiam contingentem; Et sic in quibusdam est distinctio formalis secundum quandam considerationem, & secundum quandam aliam conjunctio confusioque materialis; ut & nos obiter in singulis indicabimus & per seipsum quisque potest advertere.

4. Vt pleniùs intelligatur perfectio Divinarum intellectionum juvabit quærere, nùm in Deo locum habere possit insuper divisio cognitionis in primam, secundam & tertiam mentis operationem: hoc est, utrùm possit Deus res simplici apprehensione cognoscere, item an etiam judicare, ac tertiò an & quomodò habere discursum? Respondendum est, Deum participare perfectionem prædictarum operationum, nullo autem modo imperfectionem. Quare apprehendit quidem res omnes ac singulas; sic tamen, ut simul de ijs id omne quod sunt, judicet, ac rationes omnes seu media judicandi videat; nec in pura simpliciq; hæreat apprehensione. Porrò cùm judicat, non id facit per compositionem seu divisionem: compositio enim consistit in conjunctione duorum conceptuum objectivorum, qui sint & asserantur esse vnum & idem: repugnat autem Deo multiplicitas conceptum objectivorum, quando in re non est diversitas; sed & repugnat judicio Dei negativo divisio, non minùs quàm affirmativo compositio. Consistit enim divisio in eo quod subjectum & prædicatum sic per negationem à se invicem removeantur; ut ea remotio, & velut separatio concipiatur, velut ipsis superaddita, seu adveniens. Non ita est in Deo.

5. Nam dum concipit hominem v. c. ex una parte & lapidem ex alia; hocque ipso formalissimè unum ab altero removet; nec indiget superinducere remotionem posteriùs advenientem. Malè aliqui, antiquiores, rationem, cur Deus non componat vel dividat, reddunt ex eo quod judicet per unum & simplicem actum, quo subjectum & prædicatum simul concipiatur. Idem enim & facimus nos. Estque impossibile, ut dum quis judicat & concipit duo extrema convenire aut discrepare, unum catenùs extremum concipiat uno actu, & alterum altero; sed necessarium est ut unico tunc actu ambo concipiat extrema. Quare secundum hoc nec in nostris judicijs esset compositio vel divisio.

6. Circa discursum, quæ tertia est nostræ mentis operatio, removendam item esse constat illius omnem imperfectionem à Deo. Non discurrit Deus prout discursus sonat motum quemdam progressivum intellectus ab unius objecti cognitione ad cognitionem alterius: sive id fiat cum successione temporis, quæ potest contingere quando objecta percurrimus, quæ non habent connexionem illationis: sivè fiat absque verâ successione, & cum sola prioritate posterioritateque naturæ. Progressio ab uno objecto cognito ad aliud objectum cognitum non potest fieri à Deo cum successione temporis: quia sic Deus non omnia simul nosset: Non potest

teſt item in inſtanti cum connexione illationis per plures reales conceptus extremorum & medij; cum Deus non poſſit habere plures conceptus realiter diſtinctos, per quos fit diſcurſus formalis. Habet nihilominus Deus omnem perfectionem diſcurſus: Et poteſt unum cognoſcere non tantum in alio, ſed etiam ex alio: ut benè explicat, & probat Ariaga diſp. 10. ſect. 3. & diſp. 17. ſect. 2. necnon diſp. 18. ſect. 4. Itaque non repugnat Deo diſcurſus virtualis: qui non ita fit, ut ex cognitione unius objecti, cognitio alterius ſequatur objecti: ſed ita ut ſimplici cognitione ex uno objecto aliud objectum cognoſcatur cùm à priori, tùm à poſteriori.

7. Contra ſuperiùs dicta objicies. Deus, cùm ego judico & diſcurro formaliter, videt conceptus meos objectivos, quos inter judicandum & diſcurrendum diſtinxi, & ſubordinavi: ſed non poteſt videre ut diſtinctos à me & ſubordinatos, niſi eos ipſe ſibi ut tales proponat: habet ergo tunc eoſdem etiam conceptus objectivos diſtinctos & ſubordinatos, & conſequenter habet diſcurſum formalem. Tunc enim conceptus qui mei ſunt, ſunt illius. Reſpondeo ex communi multorum ſententia, ad hoc ut Deus diſcurſum haberet formalem, neceſſarium eſſet ut haberet non tantum conceptus objectivos, ſed etiam plures actuales cognitiones conceptuſque formales diſtinctos realiter. Et quidem reperiuntur aliqui Nominales, in quibus eſt Ariaga, qui licèt aſſerant conceptus objectivos non poſſe à nobis, & multò minùs à Deo multiplicari; ſeu inter illa, ut plurimum diſtingui, quæ realiter ſunt idem: velint tamen non tantum nos, ſed ipſum etiam Deum poſſe aliquando diſtinguere conceptus objectivos; nempè inter illa, quæ ſunt ita realiter idem, ut tamen realiter poſſint quodammodo à ſe disjungi; eò modo quo in Trinitate, licèt Paternitas, & eſſentia ſint idem; hæc tamen Filio communicatur, eique identificatur; at Paternitas non communicatur, manetque à Filio eatenus diſtincta realiter: & nihilominus hi ipſi Nominales non concedunt Deum circa diſtinctos hujuſmodi conceptus objectivos formalem poſſe habere diſcurſum cum non poſſit plures realiter habere cognitiones. Verùm omiſſis jam Nominalibus; Negandum eſt Deum poſſe conceptus objectivos cognitione ſua diſtinguere in ijs objectis quæ non habeant realem diſtinctionem; Quare in ſua Trinitate nihil aliud videt, niſi unam entitatem, eſſe re formaliter ſimplicem, virtualiter duplicem, quæ ſit eſſentia, & perſonalitas.

8. Porrò (ut plenè ſatisfiat objectioni factæ) cum Deus videt me diſtinguere, conceptus objectivos, non tamen eos, ipſe ut tales habet; nec ſua cognitione diſtinguit. Quod oſtendi poteſt iſto exemplo ſatis accommodato. Quando per fallacia perſpicilia objectum, quod verè eſt remotiſſimum aut parvum; ita video quaſi eſſet proximum aut magnum; novit Deus me videre talem objecti propinquitatem ſeu magnitudinem, quæ meorum oculorum ludibrium eſt: ſed tamen propinquitatem magnitudinemve illam ipſe non videt, nec errore luditur meo. Simili modo quibuſcunque nos conceptibus objectivis concipere videat myſterium ſuæ Trinitatis: Ipſe tamen non noſtro, ſed ſuo modo valdè diverſo videt Patrem & Filium eſſe unum & idem in eſſentia, & non eſſe idem in perſonalitate: & quamvis Paternitatis eſſentiæque diviſionem objectivam, quaſi ens meæ rationis cognoſcat; tale tamen ens ipſe rationis non facit; ſed dum eam diviſionem cognoſcit, factam ſupponit; dum interim directo ſuo in Paternitatem & eſſentiam tendens actu, ea intuetur, ut in re, ſic & in objectivo ſuo conceptu diſtincta ſolum virtualiter; at formaliter indiſtincta; atque ita unam & eandem entitatem eſſe realiter in Filio ut eſſentiam; & non eſſe realiter in Filio ut Paternitatem.

CAPUT III.

De ſcientia qua Deus perfectiones ſuas abſolutas eſſentialiter intuitivèque cognoſcit.

1. CUM proprium ſit eſſentiæ Divinæ ſicut ait Cyrillus lib. 32. theſauri, ut nihil omnino ignoret, *ἴδιον θεότητος μηδὲν ἀγνοεῖν*: totius autem ſapientiæ fundamentum ſit cognitio ſui: & objectum nullum Deo æquè applicetur, tamque ad beatificam cognitionem conferat, atque perfectiſſima ipſius Dei pulcherrimaque natura; dubitari non poteſt, quin Divinus intellectus, cum & ſapientiſſimus ſit, & ad applicata objecta actualiſſimus, & per ſuam operationem beatiſſimus, quidquid eſt ſummæ Divinitatis penetret: atque immediatè, perſpectum habeat: Ita ut Deus, qui poſſibilem omnem aliam comprehenſionem excedit, totus varijs modis comprehenſione claudatur, atque circumſcribatur omnium ſuarum perfectionum contemplator aſſiduus. Eſt enim ipſe ſibi tam proportionatum objectum, ut Dionyſius lib. 7. de Div. no. illum dixerit res quæ ſunt non cognoſcere, ipſarum ſed ſuimet ipſius ſcientiâ *τὰ ὄντα γινώσκει οὐ τῇ ἐπιστήμῃ τῶν ὄντων, ἀλλὰ τῇ ἑαυτοῦ.* Unde plurimi Theologi volunt Deum nihil poſſe cognoſcere, niſi per eſſentiam ſuam à ſe cognitam, quaſi per objectum formale. Hincque fit, ut de nullo alio objecto valeat intellectus Divinus potiorem quàm de ſe ipſo habere cognitionem, Quare viſio, quâ ſe Deus intuetur, eſt aliarum omnium cognitionum primum principium, & ultima ſimul analyſis; atque ideo perfectiſſima ſapientia, & ea ſumma ſcientia, quam nec ſimpliciter (*quia*) nec (*propter quid*) fas ſit nuncupare; ſed eam vocare poſſumus *ſcientiam per ſe ipſam*, utpote eminentiſſimam.

2. Porrò quoniam in Divina entitate rationes quædam ſunt eſſentiales, nempè illæ abſolutæ quæ naturam conſtituunt; Quædam non eſſentiales ſed neceſſariæ, nimirum perſonales atquè relativæ; quædam nec eſſentiales nec neceſſariæ, ſed merè contingentes; quales ſunt Divini omnes actus pendentes à libertate ſeu Dei, ſeu etiam creaturarum: conſequenter aſſerendum eſt cognitionem quâ Deus circa entitatem ſuam verſatur, attendi à nobis poſſe primò velut omnino eſſentialem, qualem capite iſto conſiderabimus; ſecundò velut ita neceſſariam, ut tamen non ſecundum omnem modum, ſed tantum ſecundum aliquem ſit eſſentialis, ſicut oſtendemus capite proximè ſequenti; ac denique tertiò velut ſimpliciter contingentem. De cognitione contingente, quâ ſuos Deus perſpicit actus liberos, diſputaturi ſumus poſteà ſeparatim libro ſequenti propter magnas, quibus obſtructa eſt, difficultates. Hic nunc de cognitione illa primùm agemus, quâ Deus, ſe novit ipſum; exindè cognitiones illas exponemus, quibus creaturas eſſentialiter cognoſcit. Quare ne

disputationem hanc in longiùs producamus, sit.

3. Conclusio prima. Deus essentialiter cognitione fertur intuitivâ in suarum perfectionum absolutarum existentiam. Evidens est illa conclusio; nec in ejus probatione immorandum. Nam ex ijs, quæ suprà diximus num. 1. constat scientiam & intelligentiam ita convenire Deo; vt ea sit speciosissima facies Divinitatis. Maximè vero cognitio perfectissimi, pulcherrimique Deum decet objecti; nempe sinmet ipsius. Et sanè cùm ex aliàs probatis concipienda sit essentia Divina, vt immensus Oceanus omnium attributorum, quæ meliora sunt ipsa quam non ipsa, dubitari non potest, quin essentialis ipsi Deo sit essentialium suarum perfectionum visio. Quandoquidem talis visio est perfectio simplex, nec ulli meliori vel æquali repugnat; vt per se patet. Explicanda tamen est, & abigenda quædam difficultas contra conclusionem, & contra id quod in ejus probatione diximus; cùm simplex omnis perfectio Deo sit essentialis, visionem omnium perfectionum essentialium esse ipsi essentialem; vtpote perfectionem & ipsam simplicem.

4. Si enim Deus essentialiter omnium suarum absolutarum & essentialium perfectionum videt existentiam, consequens est ut habeat visionem omnis eius suæ visionis, quæ sit essentialis & perfectio absoluta, atque ita supra omnem visionem essentialem dabitur visio essentialis: Quod implicat. Visio enim supra omnem visionem nulla est. Difficultas adhuc longè gravior foret in eorum sententia; qui volunt essentiam Divinam formalissimè ac primariò in sola consistere sui visione. Impossibile enim est, ut visio quâ suam Deus primò ac directè videt essentiam, sit formalissimè ac Metaphysicè ipsa eius essentia; nec ullum, quo terminetur, aliud habeat objectum, quàm seipsam. Non enim apparet, quomodò visio ulla sivè intellectualis, sivè ocularis terminari directè ac irreflexè possit ad se ipsam omni alio carente obiecto; ut meditanti patebit. Quâ enim ratione tuus oculus, v. c. visionem habere talem poterit, quæ non sit, nec coloris, nec ullius obiecti alius visibilis; sed quæ velut suspensa in se ac sine termino; sit ipsamet suum primum, ac solum obiectum? Rem hanc Sanctus Thomas tradit & explicat optimè lib. 3. contra Gentes cap. 26. asserens *omnes potentias, quæ possunt converti in suos actus, ferri primum in obiectum aliquod, & postmodum in suum actum. Si enim intellectus intelligit se intelligere, priùs oportet ponere quòd intelligat rem aliquam; & consequenter quòd intelligat se intelligere: Nam ipsum intelligere quod intellectus intelligit, alicujus objecti est. Vnde oportet, quòd vel procedatur in infinitum, vel si est devenire ad primum intellectum, hoc non erit primum intelligere, sed aliqua res intelligibilis.*

5. Cùm Valentinus Herice illorum sententiam sequatur, qui formalem rationem Divinæ essentiæ constituunt in sola eius visione primaria, hoc est, in visione illius ipsius primariæ visionis; multùm æstuat in hac expedienda difficultate; cuius qui nervos præciderit, invenisse se aït hactenùs neminem. Et quidem videtur insolubilis contradictio, si totum constitutivum Dei ponatur in visione primaria substantiæ Divinæ. Cumque omnis (etiam reflexa) visio substantiæ Divinæ sit Deo essentialis, impossibile est, ut detur visio ulla, seu reflexa cognitio, quæ sit intuitiva & præsupponens substantiam Dei plenè constitutam. Attamen recipit se facilè quidquid est huius difficultatis soluturum Ariaga disp. 18. sect. 2. qui dùm totam quæstionem reducit ad controversiam de nomine & significatione harum vocum (*Objectum & Terminus*) non videtur ipsium difficultatis caput satis bene clarèque tangere: nihil enim planè perspicuèque dicit, cur visio, quâ Deus suam videt directè ac primariò essentiam, possit esse ipsa formalissimè essentia, nullum objectum, quo sustineatur ac terminetur aliud habens, quàm seipsam. Verùm hæc difficultas ad nos nullo modo pertinet. Cùm enim suo loco Divinam essentiam asseruimus esse, pelagus omnium perfectionum simpliciter simplicium, facilè dicere possumus illarum unas esse aliis priores: Atque ita rationem *Entis à se*, sive *Entis increati* assignare possumus pro objecto Divinæ primæ visionis, quæ reflexa sui visio esse potuerit, & quæ cum illa reflexione pertineat ad Divinam essentiam, & includatur in immenso perfectionum essentialium Oceano.

6. Sed tamen ideo non vacui sumus omni difficultate; restat enim, ut satisfaciamus objectioni propositæ num. 4. & ad nos peculiariter spectanti. Estque ostendendum quomodo ex eo quod essentiale Deo sit videre perfectiones omnes suas essentiales, at per consequens nullam suam ignorare visionem essentialem (etiam reflexam) non sequatur inde reflexas illum habere visiones infinitas; ita ut supra visiones omnes essentiales detur essentialis aliqua visio. Ad eam objectionem respondendum est, nullam quidem à Deo ignorari suarum perfectionum essentialium, nominatim verò nullâ essentialem visionem. At non propterea necessarium est, ut intelligamus in Divino intellectu reflexiones infinitas formales, & plusquam virtuales. Satis enim est, si visio prima & directa; qua Deus in se videt seu rationem entis increati, seu quodcunque attributum; sit infinitè clara & in genere visionis perfectissima. Nam si in creatis omnis intellectio, quæ plena & clara sit, non tantum cognoscit suum objectum, sed etiam simul per virtualem reflexionem cognoscit se cognoscere; vt constat in Beatifica visione & in intellectione, quâ Angelus cognoscit suam substantiam; imo in omni nostra demonstratione: Per eam enim non tantùm scimus; sed etiam scimus nos scire. Quid sentiendum erit de increato intellectu? Negandum ergo est quod facta supponit objectio, in Divina mente visiones reapse incumbere visionibus. Non enim datur nisi vna formalis tendentia in objectum directè: quanquam illa tendentia; etiam cùm prima est & simplicissima, in seipsam virtualiter sit reflexa.

7. Cujus item exemplum aliquale passim habemus in nobis ipsis. Quoties enim formamus conceptum generalem *Conceptûs*; in eo generali conceptu clauditur & concipitur illemet ipse actus, quem tunc exercemus; & ipse cùm sit conceptus, est objectum suiipsius, non per reflexionem quæ præsupponat illum. Nam conceptus ille, cùm in prima sui existentia & ratione tendat in conceptum genericè sumptum, debet secundum primam sui rationem tendere in seipsum confusè consideratum. Alia similiter sunt, quæ in prima sua ratione involvunt seipsa objectivè, ut hæ voces, ***Signum, Dictio, Nomen, Verum, Vniversale, Intelligibile, Significabile***, &c. Hæc sanè secundum suam primam significationem seipsa important confusè. Hæc enim vox *Signum*, signum est, & hæc vox *Dictio*, dictio est: Ratio item obiectiva *Veri*, *Vniversalis*, *Intelligibilis*, &c. sibi convenit ipsi: est enim vera, universalis, intelligibilis, &c. Atque ex his apparet

quàm futile sit dari in Deo visionem suprà omnem visionem, & fieri absurdam reflexionum seriem & coacervationem.

8. Instabis. Valebit saltem objectio quoad virtuales reflexiones; quas necessarium est prædicto illo modo multiplicari; ita ut non detur ultima reflexio, nec ulla visio non visa. Respondeo. Non dantur propriè in Divina cognitione reflexiones; quas nos in illa possimus concipere. Vt rationes multas objectivas, sivè ut formalitates virtualiter distinctas: sed est una simplex formalitas adeo clara & perfecta, ac in seipsam (dum in externum objectum tendit) attenta; ut circa eam possit mens nostra infinitè ludere, concipiendo in ea infinitas; velut formales reflexiones. Nec in hoc infinito reflexionum Divinarum per mentem nostram progressu est ullum inconveniens. Quòd enim nos reflexiones reflexionum concipiamus, non est aliud in Deo, quàm visionem increatam esse suiipsius comprehensivam per unam simplicemq; tendentiam evidentissimè. In quâ tendētia continetur aliquo modo eminentissimè quidquid est perfectionis in scientia directa atq; reflexa, & quidquid à nobis significaretur infinitis propositionibus affirmantibus reflexiones super alias reflexiones, velut dicendo, Deus scit suam scientiam, & scit se scire suam scientiam, & scit se scire; quod sciat se scire, &c. Prædictam perfectionem agnovit in Deo Arist. lib. 12. Metaph. cap. 9. his verbis *Seipsam* (Suprema Intelligentia) *intelligit, si est quidem quod optimum est; & est intellectio intellectionis intellectio.* Dionysius autem Epist. 9. *Venerabimur*, inquit, *quandam vim simplicem per se mobilem, per se agentem, se non deserentem, sed scientiam qua est scientiarum omnium scientia, & semper se per semetipsam intuetur.*

9. Sed insuper adverto manere adhuc insolutam præcipuam objectionis suprà factæ difficultatem, quæ in hoc quasi discursu consistebat; quòd Deus si debet necessariò videre omnes perfectiones suas essentiales, debeat per consequens videre illam, quam habet suæ potentiæ (v.c. creativæ) visionem; utpotè perfectionem ipsi essentialem: Quod si debet videre illam primam visionem per alteram visionem reflexam, debebit & hanc reflexam (utpotè perfectionem etiam essentialem) non ignorare, & sic in infinitum oportebit eum continuâ reflexione videre suas omnes visiones visionum: quod esse impossibile inferebat objectio; quia implicat omnem videri visionem: Sic enim supra visionem omnem visio daretur aliqua. Illud, inquam, inconveniens videtur adhuc valere, nonobstante superiori nostrâ responsione. Nam si supponamus Beatorum aliquem (putà Sanctum Petrum) habere formalem reflexionem suprà visionem suam beatificam certis intervallis imaginarij in æternitate temporis (putà singulis v.c. velut mensibus aut annis) gratias agendo Divinæ essentiæ, quòd sui videndo copiam fecerit; & hanc beatificam, (quam idem Sanctus Petrus præsentem experitur & videt) visionem ipsi dederit. In hoc casu non tantùm possibili, sed etiam probabili; si Beatus per omnem æternitatem prædictis intervallis iteret illud ipsum, constanterque continuet, infinitas eliciet essentiales post suam primâ beatificam visionem formales reflexivasque visionum visiones; tot utique quot in omni æternitate erunt, sive mensium, sive annorum imaginaria intervalla. Atque ita Deus illas in Petro visiones reflexas, utpotè omninò futuras, cognoscet intuitivè; ita ut earum nulla sit unquam futura; quàm Deus non simul cognoscat; & quàm ipse Petrus non sit successive visurus. Iam peto num, illo supposito casu plusquam possibili, hæc difficultas (non obstante solutione quæ solet afferri) maneat; nempe quòd si reflexa omnis visio videatur, debeat dari visio supra omnem visionem. Fateor nos illam difficultatem seu eludere seu effugere per ea quæ dicta sunt à me numeris 6. 7. & 8. sed nescio an fortè nequeat id liquidò solvi atque intelligi, & num, quemadmodum Beatus Petrus in æternitate potest infinitas habere formales reflexiones successivè supra visionem suam primam; ita non repugnet Deum in instanti suprà suam omnem essentialem reflecti visionem. Licet meliùs ac decentiùs dici debeat id fieri in Deo per reflexiones solùm virtuales; & nullas Deum habere supra suam ipsius intellectionem formales reflexiones, ut suprà diximus, nisi negare quis velit in prædictis Petri reflexionibus collectionem; & in hac ultimam reflexionem.

CAPUT IV.

De Scientia, quâ Deus perfectiones suas relativas personalesque cognoscit.

1. **O**BSERVANDUM est perfectiones relativas seu personales, quamvis intra essentiam Divinam nequaquam formaliter, sed tantùm eminenter contineantur; alio tamen modo quàm creaturas intra illam eminenter contineri. Cùm enim hæ sint Deo extraneæ, & ab eo penitùs distinctæ; ac per seipsas nihil, tantùmque possibiles; Illæ contrà sic in essentia naturaque Divina per solam includuntur eminentiam; ut nihilominùs formaliter existant, si non intra ipsam essentiam, saltem intra Entis increati latitudinem, & actu cum essentia Divina identicè conjungantur. Quare cùm Deus id omne, quod formaliter intra suum Ens increatum existit, comprehendere debeat; necessarium est; ut has relativas perfectiones agnoscat. Porrò cùm omne quod existit possibilitatem habeat existendi; non potest Deus relativarum personaliumque suarum rationum existentiam actualem nosse; quin earum intelligat, quasi verorum entium possibilitatem. Itaque nobis explicandum incumbit quonam cognitionis genere possibilitatem, & quonam realem existentiam perfectionum relativarum, personalitatumque mens Divina cognoscat.

2. Dicendum est primò, Deum essentiali cognitione intelligere tres suas personalitates & rationes omnes relativas, secundum earum possibilitatem, velut abstractivè. Nullum potest esse dubium circa veritatem huius conclusionis. Debet enim Deus seipsum, & omnia, quæ formaliter possidet, comprehensione suâ velut definire ac circumscribere. Nec potest quicquam quod verum ac scibile sit, ignorare. Et quidem quod spectat possibilitatem rationum personalium consideratam in illa rationis prioritate, quâ existentiam actualem præcedit eo modo quo dicetur infrà, & à nobis explicatum est in Tractatu de Trinitate lib. 4. cap. 4. num. 10. & seqq. clarum est ipsam esse aliquid scibile, atque illius cognitionem esse perfectionem simplicem &

meliorem ipsam quàm non ipsam, seu quàm ignorationem eiusdem. Vnde censendum est hoc genus scientiæ esse Deo essentiale: præsertim cùm nemo neget essentialem esse Deo notitiam possibilitatis omnium creaturarum, seu scientiam simplicis intelligentiæ.

3. Dicendum secundò, reperiri in Deo personalitatum quatenùs existentium, cognitionem intuitivam, ut omnimodè necessariam. Hæc conclusio explicatione magis quàm probatione indiget. Omnium enim rerum extra meram possibilitatem existentium actualitas per intuitivam notitiam scibilis est: omnium autem rerum eo modo quo scibiles sunt, intelligentiam Deo præcipuè convenire nullus inficiari potest. Notanda verò est infinita quæ intercedit differentia inter intuitivam quam Deus habet creaturarum, & suarum personalitatum cognitionem. Creaturarum enim existentium intuitio, seu scientia visionis nequaquam est in Deo necessaria, sed planè contingens; quandoquidem creaturarum existentiæ, ad quas tendit, contingentes sunt. At verò hæc, de qua agimus, intuitiva cognitio habet pro objecto personalitates, quæ tam necessariæ sunt, & tam (imò magis) gloriosæ honorificæque Deo, quàm Omnipotentia, v.c. producendi creaturas: atque ita non minùs illi necessaria est personalitatum suarum, quàm Omnipotentiæ suæ intuitio.

4. Dicendum tertiò. Intuitiva personalitatum existentium cognitio non est essentialis Deo. In hujus intuitione explicationeve conclusionis occurrunt quædam difficultates subtilitatis non parvæ. Manifestam nihilominùs existimo illius probationem. Clarum est enim cognitionem eam quæ posterior sit productione & existentiâ personalitatum, non esse Deo essentialem: Atqui cognitio intuitiva personalitatum existentium posterior est, quàm existentia personalitatum: Ergo, &c. Maior ex eo patet: quòd personalitatum existentia posterior est constitutione integræ Dei essentiæ. Nam Pater perfectâ & integrâ Divinitate, quam debet communicare Personis productis, est in esse Dei constitutus antequam illas producat: si enim priùs eam non haberet, communicare non posset. Minor probatur. Nam omnis cognitio intuitiva præsupponit suum objectum, & circa illud se habet merè contemplativè: Intuitio igitur personalitatum Præsupponit has existentes & productas: atque cùm sit ipsis posterior, multò magis dici debet posterior Divinæ constitutione essentiæ. Confirmatur. Nam si intuitio personalitatum existentium ingrederetur constitutionem Divinæ essentiæ, & non esset extra ipsam; dicendum esset hujusmodi intuitionem fundamentum, ac radicem esse fœcunditatis generativæ, vtpote fundatæ in omni essentiali actu intellectus. Quare cùm actualis existentia secundæ (verbi gratiâ) Personæ supponat fœcunditatem sui generativam, si fœcunditas generativa supponeret ut priorem, & ut suum fundamentum, intuitionem actualis ipsius secundæ Personæ, negari non posset, quin à primo ad ultimum secunda Persona præsupponeret seipsam ut existens, & penderet à semetipsa ut existente: quod implicat.

5. Contra hoc magnam difficultatem generat quorumdam insignium Theologorum opinio, affirmantium secundam in Trinitate Personam generari ex intuitiva ipsius cognitione: quod esse non potest, nisi talis intuitiva cognitio sit Deo essentialis. Contra hos Theologos disputavimus in Tractatu de Trinitate libro 4. cap. 4. concl. 3. Nec bene intelligere potui, quid sibi velit eorum opinio. Si enim hæc vera foret, oporteret intuitionem secundæ Personalitatis priùs ratione, quàm secundam ipsam personalitatem existere; sive (quod idem, & ejusdem absurditatis est) eam personalitatis existentiam, quam intuitio supponit, ipsius intuitionis existentiam supponere. Quod utrumque non videtur posse eximi contradictione. Nam ita prior atq; posterior simul intelligeretur, & personalitate intuitio, & intuitione personalitas: quapropter in prædicto capite 4. asseruimus cognitionem Personarum, ex qua Verbum producitur, esse illarum duntaxat ut possibilium; & velut abstractivam; non autem ut existentium, seu intuitivam. Quamvis enim, ut ibi explicuimus, Deus Pater non habeat intellectionem Personarum, quæ abstrahat ab earum existentia, & quæ sit tantùm de earum possibilitate; nec debeamus concipere illum habuisse in ullo signo rationis cognitionem Personarum, quæ non esset ipsarum intuitiva: possumus tamen concipere, illi Divinæ intellectioni, quæ sit cognoscitiva simul & possibilitatis & existentiæ Personarum, convenire quippiam, quod non ei conveniat, quatenùs est intuitiva existentiæ; sed quatenus est simpliciter intellectio Personarum, tanquam verorum atque possibilium entium. Atque ita dicimus convenire illi, non prout est intuitiva, & ad existentiam actualem terminatur, sed prout est simplex veræ ac possibilis entitatis intellectio; ut sit principium formale generationis Verbi, atque ipsam generationem ratione præcedat; cùm illam ut est intuitiva, subsequatur atque supponat. Quemadmodum cùm Deus unico simplici actu cognoscit hominem impium, cognitio illa est principium amoris, ut ad hominem; odij, prout ad impium terminatur.

6. Opponi potest (nec id omittit Suares lib. 9. de Trinitate cap. 5. num. 8.) non repugnare, quin cognitio quatenùs intuitiva existentiæ Verbi, sit sufficienter in priori rationis, ut queat esse principium generativum ipsius Verbi. Cùm enim Divina cognitio sit intuitiva earum etiam rerum, quarum existentia non est nisi longo post tempore futura; sic in priori rationis est intuitiva Verbi, cujus existentia est in posteriori rationis, velut futura. Nihilominùs nego talem cognitionem, prout intuitivam existentiæ Verbi posse esse hujus generativum principium. Etenim posito quod concederetur esse Verbi principium, sequeretur manifesta contradictio. Nam in illo priori rationis hæc cognitio intuitiva deberet ferri in Verbum, ut in posteriori existens, & supponere ipsum ut producendum à semetipsa. Quare supponeret talis cognitio seipsam: Atque ita eadem, quatenùs intuitiva, foret prior & posterior seipsâ.

7. Objicies adversus hanc tertiam conclusionem. Cùm perfectiones relativæ ac personales non minùs in Ente increato necessariæ sint, quàm perfectiones absolutæ & essentiales; non apparet ratio, cur illarum cognitio intuitiva non debeat æquè ac istarum censeri essentialis: præsertim cùm utrarumque visio & intuitiva cognitio sit simul in eodem priori rationis antequam veniatur ad ullam actionem personarum productivam; atque ita possit esse fundamentum fœcunditatis, cùm generativæ, tùm spirativæ, ac per consequens possit esse principium generationis Filij & processionis Spiritûs Sancti, æquè ac visio perfectionum absolutarum. Respondeo. Cùm de-

beat existentia personalitatum præsupponi cognitioni quæ sit earum intuitiva & speculativa; personalitates autem existentiam habeant posteriorem perfectionibus omnibus essentialibus; non potest prædicta cognitio intuitiva non censeri posterior omnibus ipsis perfectionibus essentialibus. Et cùm nulla personalitas sit perfectio simplex, non potest illarum visio seu intuitiva cognitio inter perfectiones simplices numerari.

8. Vrgebis argumentando à simili. Docet Suares disput. 10. de Incarnat. sect. 4. & nos post ipsum lib. 4. de Incarna. cap. 8. non apparere vllam contradictionis implicantiam; quominus Deus Pater post decretam efficaciter & absolutè Christi existentiam, & post prævisa certissimè illius futura merita, potuerit (quando ventum est ad executionem) ex prævisis illis meritis fundatis in ipsa Incarnatione, ut decretâ & infallibiliter extiturâ, concedere Christo primam ejus existentiam, & vnionem hypostaticam, vt mercedem ab ipso commeritam. Ita vt Incarnatio diversimodè sumpta pendeat à seipsa: Sive à meritis in ea fundatis: Hoc est ita ut eadem quatenus executioni mandata & vt existens pendeat à semet, non ut existente adhuc, sed vt efficaciter decretâ, prævisâque vt fundamento infiniti meriti: Sic enim non idem eodem modo consideratum prius esset, posteriusque se ipso. Inde vero sic inferes; cur igitur intuitiva cognitio generationis Verbi in posteriore signo rationis futuri, non similiter poterit considerari tanquam præsupponens ipsius futuritionem Verbi, quam vt objectum suum respiciat; & esse deinde in generationis executione ejusdem verbi existentiæ principium? Certè non magis, hic quàm in allato iam Incarnationis exemplo apparet contradictio. Non enim sic cognitio intuitiva eodem modo considerata posterioritatem, & prioritatem habet respectu existentiæ Divini Verbi.

9. Respondeo sententiam illam quidem Suaris de absoluta possibilitate, quâ Christus suam primam existentiam mereretur, tam videri plurimis difficilem Theologis, ut eam se negent intelligere posse: Verùmtamen nos eam non modò facilem intellectu, sed etiam veram & omni contradictione exemptam meritò judicamus. Christi enim merita, ut prævisa, quæ ab Incarnatione ipsiusque Christi existentia physicè pendent, nequaquam intelligimus posse esse causam, quæ physicè illam ipsam, unde pendent, existentiam pariat. Nec aliter esse posse causa intelliguntur, quàm quia prævisa, ut certò futura Dei voluntatem excitare moraliter movereque valent; ut eorum intuitu Deus existentiam Christi physicâ suâ vi producat; & quod jam antea mysterium decreverat, exequatur. Quo modo tollitur non tantùm periculum, sed & omnis species contradictionis. At in præsenti quæstione, appareret omnino evidens contradictio; ut tertia hæc, quam nunc defendimus, conclusio probat & clarè ostendit. Esset, inquam, contradictio. Si enim cognitio intuitiva (quâ Deus Pater prævidet futuram in posteriori generationem Verbi) intelligeretur esse principium ipsius Verbi, non conciperetur id facere, movendo tantùm moraliter Patrem, ut liberè vellet generare Filium; sed ipsa ut principium physicum producere intelligeretur personalitatem Filij; quod omnino repugnat: Quemadmodum in sententia superiùs allata de meritis Christi contradictio non dubia foret, si merita quæ physicè pendeant ab existentia Christi, assererentur eam ipsam existentiam physicè producere: aut si ipse actus prævisionis fingeretur esse causa physica Incarnationis.

CAPVT V.

An essentialiter Deus possibiles Creaturas intelligat.

1. POSTQUAM duobus proximis capitibus actum est de cognitione, quam Deus habet de perfectionibus in ipso formaliter existentibus, quà essentialibus & absolutis, quà extra essentiam necessarijs ac relativis: Nunc sequitur ut agere de illa Divina cognitione debeamus, quæ ad creaturas extenditur, cùm possibiles, tùm existentiam aliquo modo implicatam habentes. De creaturarum cognitione possibilium presenti capite disserere incipiemus. Circa quam dubium esse non potest; quin Divinus intellectus (cujus lumen ad omne scibile latissimè patet) has ea notione, simplicis intelligentiæ quæ Deo essentialis sit, comprehendat. Et quidem primò quòd hujusmodi creaturarum simplex intelligentia in Deo locum habeat suadet disertè & infinita mentis supremæ ab æternitatis vertice perspicacitas; & possibilium creaturarum scibilis veritas; præsertim cum Heb. 4. Divinum nos his oraculum verbis admoneat; *Non est vlla creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus.* Et Rom. 4. *Vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt:* Hoc est, vocat, ideoque cognoscit ea quæ in mera latent possibilitate sicut quæ in actualem existentiam prodierunt. Et sanè, cùm res hoc ipso quod sunt possibiles, ejus Omnipotentiæ productivæ subjaceant, eius etiam ideæ cognitionique necessariò subjacent: Non enim quippiam potest ille producere, nisi ut agens intellectuale. Vnde constat creaturas cognosci à Deo secundùm earum esse formale quod nempe creari possit; non vero tantum secundum esse eminentiale, quod ab ipsa non differat Dei essentiâ.

2. Secundò quod hujusmodi scientia simplicis intelligentiæ quâ creaturarum esse formale & creabile cognoscitur, Deo sit essentialis inde constat; quòd non sit contingens; cùm non versetur circa objectum commutabile volubileque, sed circa id cujus æterna veritas & scibilitas variari nequeat, & nullatenùs supponat in aliqua rationis prioritate constitutam esse Divinam essentiam; sicut hanc supponit (quemadmodum Capite præcedenti docuimus) intuitiva productarum personalitatum cognitio. Quare nihil est quod talem possibilium creaturarum simplicem intelligentiam ab essentia Divina prohibere queat, cùm sit perfectio simpliciter; atque ejus objecta scibilitatem habeant, antequam ullum concipiatur Divinæ libertatis exercitium. Confirmatur. Cùm essentiale sit Deo, cognoscere suam Omnipotentiam, & suas omnes complacentias, atque reflexivè suum Verbum, seu suas cognitiones omnes; non potest non consequenter ad essentiam ipsius pertinere notitia rerum possibilium contentarum in ejus Omnipotentia, & terminantium ejus complacentias directasque cognitiones. Cùm res hinc perspicua sit, constetque satis, nequaquam opus est ulteriore probatione. Hæc verò tam necessaria & essentialis cognitio rerum possibi-

lium non ponit ullam in Deo imperfectionem & à creaturis dependentiam.

3. Tantum petere quispiam potest, num creaturæ, ut possibiles, veritatem habeant, & à Deo Patre per simplicem intelligentiam cognoscantur ante trium personalitatum, quarum una improducta est, aliæ duæ productæ, actualem existentiam. Respondendum est cum distinctione. Non habent quidem veritatem prius personalitatibus Divinis, ut possibilibus, & ut non involventibus existentiam præsentem; quomodo has terminare diximus cap. 4. scientiam essentialem; habent tamen veritatem creaturæ ut possibiles, antequam hos Divinas personalitates concipere possimus, ut per existentiam realem præsentes & actualiter sustentantes Divinitatem. Et quamquam personalitatum cognitionem Deus Pater non habeat nisi intuitivam, quâ nimirum simul & possibilitatem earum & actualitatem novit: tamen ea cognitio, quatenùs ad possibilitatem ipsarum tendit, non est posterior cognitione possibilitatis creaturarum; licet posterior sit, quatenùs earumdem est ut existentium intuitiva, eo modo quo explicatum est supra in illo cap. 4.

4. Ea porrò veritas, seu possibilitas creaturarum, prout scientiam essentialem prædictam terminantium, non dicit aliquod esse essentiæ actuale: ut videntur aliqui asserere, qui in modo saltem loquendi reprehensibiles sunt: ac inter eos præcipuè Henricus, qui in Summa art. 3. quæst. 23. & 25. & in varijs quodlibetis asseruit essentias rerum habere quoddam esse æternum, & præsuppositum non solùm efficientiæ, sed etiam scientiæ Dei; ut ratione illius possint terminare simplicem intelligentiam Divinam. Ab Henrico parum abesse videtur Capreolus in 2. distinct. 1. q. 2. art. 3. ad 4. Aureoli. Asserendum autem omnino est creaturas in sua possibilitate non aliud ex se habere, quàm meram non-repugnantiam, seu non implicantiam contradictionis. Quam creaturarum non-repugnantiam potentia in Deo productiva comitatur: Atque ratione hujus potentiæ, creaturæ possibiles habent quandam realitatem non in se, sed in causa sua: Sufficit verò prædicta non-repugnantia ad terminandam Divinam scientiam: Cùm hæc terminatio non fiat per ullam motionem, nec importet ullum objecti exercitium. Non est etiam approbandus modus loquendi Scoti: qui licet in rebus possibilibus, prout antecedunt cognitionem Divinam, non ponat ullum esse reale: Tamen vult ex cognitione Divina resultare in creaturarum possibilitatem, aliquod earum esse diminutum, seu objectivum, quod æternum sit & improductum. Graviter hunc Authorem Thomistæ reprehendunt; sed ei quod non dixit imponunt. Satis enim ipse explicat non tribuere se creaturis cognitis ullum esse reale ipsis intrinsecum, aut aliud quàm denominationem quandam extrinsecam, quæ faciat, ut in nostra existimatione, moralitatis velut fundamentum aliquo modo contrahere videantur; quomodò ille qui cognitus & amatus est à Rege nihil aliud ei tribuente: Quare Scotus in solo modo loquendi à cæteris discrepat.

5. Vt pleniùs intelligatur quomodò dici debeat necessariam & essentialem Deo esse cognitionem creaturarum possibilium; attinet exponere breviter rationem hanc possibilitatis, meramq; non-repugnantiam; occurrit enim aliqua difficultas; pendens-ne ea sit, aut aliquo modo independens à Deo, & quo pacto ad Divinam ipsam cognitionem secundum prioritatem posterioritatemve aut simultaneitatem se habeat. Videtur enim ex una parte possibilitatem illam, sive non-repugnantiam, utpotè speculativæ cognitionis objectum, à sui cognitione præsupponi, & consequenter tantùm abesse, ut à Deo sit dependens; ut ex contrario Deus illam, tanquam aliquid sine quo ipse esse non possit; præsupponat. Id tamen ex alia parte speciem habet primo aspectu indignam Deo; Cùm is, utpotè primum Ens, à nullo, & omnia ab illo dependeant. Vt istud quidquid est, extricetur, notandum est possibilitatem creaturarum considerandam esse duplicem. Vna est (de qua sola hic agitur) independens à Dei potentia creativa; & quæ, si per locum intrinsecum supponeretur nullam esse Creatoris potentiam, ipsa tamen non desineret esse qualis est; nimirùm talis ut prædicata non includeret pugnantia inter se, sibique contradicentia; atque sic, quantùm est ex se, maneret non-repugnantia, in qua consistit hæc possibilitas remota, & inchoata, seu imperfecta, considerata ex sola parte ipsius rei. Altera possibilitas quasi plena, proxima & perfecta (sine qua nunquam daretur reipsà ullius existentia creaturæ) denominationem sumit à potentia productiva, quæ in Deo residet. Vtriusque autem possibilitatis cognitio est ipsi Deo essentialis. Sed hoc loco de sola disputamus priore possibilitate; quæ nihil est præter non-repugnantiam, & de hac solvenda nobis est proposita superiùs difficultas, utrùm à Deo pendens sit, an independens.

6. Ad quam difficultatem respondetur, hoc genus possibilitatis, consistens in mera non-repugnantia, sic ad eam sui cognitionem, quæ Deo & necessaria & essentialis est, comparari; ut sit aliquid ratione prius, eo modo quo omne objectum præsupponi debet ante speculativam seu contemplativam sui cognitionem. Non tamen hæc Deo essentialis cognitio circa possibilitatem Creaturarum contemplativè versans pendet ab ea possibilitate, sicut creatæ cognitiones à suis objectis dependent. Nullum enim objectum Divinarum cognitionum has determinat, nec per se, nec per speciem suam: cùm intellectus Divinus per seipsum determinetur, & sit sibi ipse objectorum omnium species. Quare sicut possibilitas, seu non-repugnantia creaturarum est à Deo, seu Divina cognitione, ut supra diximus, independens; sic & ab ea possibilitate Deus & Divina cognitio, ut jam dicebamus, est independens: Et cum neutra possit esse sine altera, vtraque se habet simultaneè.

7. Possibilitatem porrò creaturarum physicarum & positivarum Deus per scientiam essentialem ita cognoscit; ut etiam in ea possibilitate omnes modos, ordines, combinationes, atque omnium & singularum rerum cum omnibus & singulis comparationes intelligat: quod sane mirabilem & super-infinitam ostendit vim intelligentiæ. Cognoscitur insuper negationum, privationumque possibilitas: Moralitatum item seu bonarum seu malarum. Imo ipsorum entium fictorum impossibilis natura, omnisque rerum falsitas. Cùm enim hæc omnia sint cognoscibilia, eorumque cognitio sit perfectio simplex, non possunt ab eo, qui essentialiter omni-scius est, ignorari. Et quidem cognitionem perfectissimam rerum habere non posset, qui earum tum negationes, tum privationes nesciret: Nec intellectum humanum ille nosset excellentissimè, qui entium rationis naturam & fingibilitatem non perciperet, &c.

8. Dicendum verò est negationes & privationes

non solùm cognosci à Deo per illa, quorum sunt negationes & privationes, sed etiam per seipsas, licet non sine ordine ad illa: etenim negatio & privatio non est forma positiva, quæ negatur, non etiam subjectum, quod privatur; sed est oppositum illius, & velut accidens istius. Dicendum eodem modo est entia rationis cognosci in seipsis ac secundum sua intrinseca, & non tantùm (quidquid in contrarium dicat Vasques) quatenùs Deus inintelligit actionem meam fingentem; istud enim non esset cognoscere ens rationis objectivum, sed solùm denominationem extrinsecam ficti. Verùm quidem est dum ens rationis in seipso & secundum sua intrinseca intelligitur à Deo, non intelligi ut à me, per modum assensûs, & per conjunctionem extremorum à se invicem abhorrentium, sed potiùs per dissensum & disjunctionem. Qua in re valdè mihi displicet quod aït Ariaga disput. 9. num. 43. Deum posse facere ens rationis, v. c. si dicat, posito quod equus esset homo, foret rationalis. Quasi nempe apprehendere hominem equum absque assensu, sit ens rationis.

9. Nec urgeas: Deus, postquàm ego talia extrema conjunxi, videt ea conjuncta, & id totum quod ego sum fabricatus. Fateor enim Deum videre me conjunxisse extrema, sed Deus id videndo non conjungit: Ergo non videt extrema conjuncta; ut effectum respondentem suæ intellectioni. Quid ergo? Respondet ejus visioni; me sic cognoscere, hoc est, meam actionem duo talia extrema conjungere per unionem; quæ nihil fit; & quam Deus dum cognoscit, non eo modo nec eo virtuali assensu cognoscit, ut ego qui fingo.

10. Quemadmodum cùm aliquis hæreticus judicat Christum humanam habere subsistentiam; Deus videt illud hæretici judicium, & apprehendit duo extrema, quæ in illo conjunguntur; & tamen ipse dum apprehendit illa ut impiè conjuncta, non conjungit judicando idem cum hæretico; sed tantùm judicat hominem impium judicasse; ita ut apprehendat simul ipsam hæresim tanquam illius objectum impii judicij. Oppones omnem cognitionem esse repræsentationem & imaginem rei cognitæ: Atqui entis ficti quod nihil est, repræsentatio esse nequit. Præterea objectum intellectûs, præsertim Divini, est verum, non secùs ac voluntatis est bonum: Ergo non potest ens rationis cognosci. Respondeo ad primum non repugnare dari aliquò modo repræsentationem & expressionem entis rationis, quemadmodum & hæreseos: nam is qui illud finxit, habet vitalem ejus imaginem, ut hæreticus sui erroris; Deus autem similem imaginem (ut putà falsam, & ad id quod nihil est, quasi ad reale tendentem) habere non potest; Habet ergo vitalem prædicti objecti imaginem repræsentantem illud eo modo quo se habet à parte rei, hoc est, ut non ens. Ad secundum dico: Præcipuum quidem objectum intellectûs est verum, quod nempe respiciunt omnes assensus & actus affirmativi. At præter verum cognoscit etiam intellectus falsum, tum per apprehensionem, tum per dissensum: Quemadmodum voluntas solùm tendit in bonum per prosecutivos actus, sed etiam in malum per aversativos. Considerandum tamen est, intellectum dici posse tendere in verum, dum aversando seu inficiando, vel simpliciter apprehendendo, tendit in falsum. Nam verè apprehendit rem ut est, & quod inficiando judicat, verè judicat.

CAPUT VI.

Quo Deus modo cognoscat in seipso & ex seipso creaturas possibiles.

1. CELEBRIS quæstio se offert circa modum, quo Deus possibiles creaturas intelligit. Sunt enim plurimi, qui velint Deum immediatâ directâque cognitione nihil posse cognoscere, quàm seipsum: Atque ita quidquid ab eo distinctum est non illi objici, nisi aliquo eo modo (qui mox explicabitur) per suam Divinam essentiam; sicut etiam ijdem tenent ipsius voluntatem nullum bonum creatum immediatè amare, sed ferri directè in suæ Divinitatis bonitatem; & mediante illâ, hoc est, propter illam, creaturas diligere. Ita Suares lib. 3. cap. 2. cum Capreolo, Cajetano, Ferrariensi, Henrico, Durando, Alensi, &c. In hac sententia duo asseruntur. Prius est quod omninò tenet ut certum Suares: creaturas possibiles cognosci in Divina essentia, ut in medio cognito; propter rationes quas nos afferemus conclusione primâ. Alterum est, quod idem Suares licet non omninò ut certum defendat, tamen aït sibi magis probari; nempe ipsas creaturas à Deo non cognosci in seipsis immediatè, propter rationes, quas is idem Author affert cap. illo 2. num. 12.

2. Secunda & extremè opposita opinio negat posse Deum creaturas cognoscere in seipso tanquam in causa præcognita. Sic docet Okamus dist. 35. quæst. 3. Gabriel eâdem distinct. art. 2. Aureolus apud Capreolum ibidem quæst. 2. art. 1. &c. Hæc verò sententia sic intelligi debet, ut à præcedente sententia non in hoc distet, quod intendit cognitionem Dei respicere creaturas in seipsis secundum proprias & formales harum rationes; id enim Authores primæ sententiæ fatentur, nec volunt Deum illas intelligere in seipso quoad ipsarum esse solùm eminentiale; sic enim propriè loquendo non creaturas, sed se duntaxat cognosceret, quandoquidem illud eminentiale esse non est nisi Deus ipse.

3. Dicendum est Deum cognoscere creaturas possibiles in sua essentia velut in multiplici medio præcognito; atque ita propriè loquendo cognoscere illas non tantùm in seipso, sed etiam ex seipso. Verificatur ista conclusio in tribus essentiæ Divinæ Attributis. Ea verò sunt Omnipotentia, tanquam creaturarum causa; Item Sapientia (quatenus est verbum essentiale seu earum repræsentatio, aut species expressa) denique Amor complacentiæ, quo Deus illas prosequitur. Conclusio probatur. Primò quidem authoritate Sancti Thomæ quæst. 14. art. 6. necnon Sanctorum Patrum. Vbi statim occurrit Dionysius asserens cap. 7. de Div. Nom. Deum suâ Omnipotentiâ cognoscere omnia vno causæ complexu, hoc est, vnâ simplicique comprehensione virtutis ac potentiæ suæ: in qua res omnes, velut in causa sua productiva continentur: *Divina mens, inquit, omnia continet antecellente omnibus cognitione secundùm quod causa est omnium, scientiam antè complectens* κατὰ τὴν πάντων αἰτίαν ἐν ἑαυτῷ τὴν πάντων εἴδησιν προειληφυῖα. Ac tandem disertissimè: *Deus non habet*, inquit, *cognitionem sui ipsius separatam, & alteram rerum aliarum. Ea enim*

quæ sunt intelligit non eorum scientiâ, sed sumet ipsius.

4. Accedit & cæterorum authoritas Patrum. Vnum adhuc addemus Augustinum: Apud quem celebris est variis locis distinctio matutinæ, vespertinæque scientiæ. Quam vtramque libro. 11. de Civitate Dei, capite septimo describit; cùm ait *cognitionem, quâ creaturæ in Dei Sapientiâ, velut in arte, quâ factæ sunt cognoscuntur, clariorem esse atque perfectiorem* (ecce quæ apud eum est matutina cognitio) *Illam autem quâ cognoscuntur in seipsis esse decoloratiorem* (ecce que vespertina.) Huic loco addendum est quod idem Sanctus Pater lib. 6. de Trini. cap. 10. scripsit his verbis: *In Sapientia sua novit omnia Deus quæ fecit per ipsam, & ideò cùm decedant & succedant tempora, non decedit aliquid vel succedit Scientiæ Dei.* Habes ex his duobus locis cognosci à Deo creaturas in ipsius Sapientia &c.

5. Patrum authoritati potest adjungi evidens ratio nam hic modus cognoscendi creaturas quem tribuimus Deo intuenti suam essentiam nihil habet quod repugnet; valdèque mirum esset, si cùm Angelus Deum cognoscat videndo se, Deus Angelum cognoscere non posset in sua Sapientia, Omnipotentia, & Complacentia quâ ipsum prosequitur. Præsertim cùm aliundè negari non possit, quin hic modus cognitionis sit valde nobilis; utpote maximè comprehensivus effectuum; & precedens non utcunque à priori, sed ab altissimâ primâque causâ. Imo videtur impossibile esse, ut Deus absque illo creaturas cognoscendi modo, videat suam potentiam productivam, nisi nempe cognoscat quarum sit productiva rerum, non tantùm in genere & confusè, verùm etiam in particulari. Quam in Deo necessitatem ita cognoscendi creaturas D. Thomas egregiè explicat quæst. 14. in corp. ubi notat Deum res omnes ab ipso diversas in seipso cognoscere, ut imperfectum aliquid in perfecto. *Quemadmodum*, inquit, *in imperfecto & inchoato cognosci non potest aliquod perfectum; sic è contra quod imperfectum est, facilè cognoscitur per cognitionem perfecti. Quare ut ex sua visione creaturæ intellectuales non possunt plenè Deum cognoscere; Deus ex contrario (cùm perfectissimus sit, & omnia in se contineat) necesse est ut ex se cognito res alias universas intelligat, secundùm quod illas eminenter includit.*

CAPUT VII.

An & quomodò Deus cognoscat possibiles creaturas immediatè in seipsis.

1. COMMUNITER Thomistæ, & cum illis Suares (qui tamen apparet incertus) Molina, Valentia, Cumel, Salas, & plures alij non aliam in Deo admittunt possibilium cognitionem præter eam, quam habet in seipso, & ex seipso. Putantque illam esse D. Thomæ sententiam: quia ubicumque ille de notitia, quam Deus possibilium habet creaturarum, non eam aliter explicat, quàm eo modo, quo eam sumit ex seipso, v. g. ex sua Omnipotentia, velut ex medio cognito: imò quod præcipuum est, in primo contra Gentes cap. 48. ex professo probare nititur excludendam esse à Deo cognitionem possibilium immediatam; atque ita solam illi eam esse tribuendam, quam de creaturis habet, cognoscendo se quasi supremam earum caussam unico complexu causæ, ut loquitur Dionysius cap. 7. de Div. Nom. Afferuntur & quidam cum Dionysio Sancti Patres pro hac sententia. Fatetur verò Suares argumenta Sancti Doctoris, quatenùs excludunt cognitionem immediatam possibilium in seipsis, rationes esse infirmas, quamvis Cajetanus & alij tanquam ijs convicti exclusionem illam defendant.

2. Hæ porrò aliæ à Suare rationes afferuntur non multò firmiores. Quia non debemus in Deo scientias, etiam secundum rationem multiplicare absque necessitate; hic autem nulla est necessitas; nam suppositâ comprehensione creaturarum in Omnipotentia Dei, hæc scientia inutilis est & supervacanea, multisque obsepta difficultatibus. Deinde ex perfectione Dei non sequitur duplex possibilium scientia. Præterea hæc immediata, de qua hic agimus, non est perfectio simpliciter, videturque à summa perfectione deficere; quia non est sui objecti comprehensiva secundum omnem ejus respectum capacitatemque; & quia dicit transcendentalem ordinem ad objectum suum, atque ab illo speciem rationemque aliquo modo sumit. Additur prædictis & hæc ab aliquibus ratio: quòd Deus non gerat vices speciei impressæ immediatæ, nisi respectu suiipsius; species enim immediata causatur ab objecto: Atqui species illa quæ Deus sit, non potest à creaturis causari: Has rationes adducere volui, non quòd aliquam ipsæ difficultatem habeant, sed quoniam earum infrà solutionibus vera explicabitur intelligeturque meliùs sententia; secundùm quam sit

3. Conclusio. Creaturæ à Deo in seipsis immediatè ac directè cognoscuntur. Pro hac conclusione stant non solum illi, qui cùm nolint creaturas cognosci à Deo in seipso & ex seipso tanquam ex medio cognito, coguntur immediatam creaturarum cognitionem concedere; Tales autem sunt Oxam, Gabriel, Gregorius Ariminensis, & cum illis Vasques 1. p. disp. 50. & 60: Sed præterea nostram conclusionem multi amplectuntur illorum, qui eum etiam priorem modum mediatæ cognitionis possibilium, quam Deus habeat ex seipso admittunt; & nobiscum vtroque modo creaturas possibiles volunt à Deo cùm mediatè, tùm immediatè cognosci. In iis est Herice tractatu de scientia Dei disp. 5. cap. 4. Ariaga disp. 19. sect. 4. vbi ait multos esse recentiores qui prædictam vtramque scientiam in Deo concedant: hisque multum favet Suares lib. 3. c. 2. De Scoto dubium non est, quin totus sit pro hac saltem conclusione. At vtrum cum immediata possibilium cognitione, mediatam etiam aliam qualem præcedenti capite probavimus tribuat Deo, non ita clarum est. Quod autem immediatam qualem nos hic asserimus ei adscribat constat ex iis quæ habet in 1. dist. 3. quæst. 1. cujus hac in re doctrinam Suares eleganter explicat capite illo 2. num. 12. & quam nos referemus infrà. Nunc nobis probanda incumbit veritas conclusionis nostræ, Deo cognitionem tribuentis immediatam rerum possibilium. Quæ veritas non pendet ex alia ea veritate, quam superiori capite probavimus. Sive enim Deus cognitionem possibilium creaturarum habeat mediatam ex seipso tanquam ex medio cognito; sive non; immediata non potest illarum ei denegari scientia.

4. Primò siquidem hic modus cognitionis nullam includit imperfectionem: quin potiùs simplicem Deo perfectionem tribuit; quæ neque repugnat

gsiat scientiæ mediatæ prædictæ, neque ulli perfectioni, quæ sit vel melior quàm ipsa, vel ei æqualis. Secundò cùm Divinus intellectus omnem debeat cognoscere veritatem, atque omnem objectorum scibilitatem actualitate cognitionis suæ adæquare; non potest, quin creaturas possibiles intelligat, prout in seipsis consideratæ non involvunt contradictionem, & sunt entia quantum ex se vera, nec ficta, & quod consequens est scibilia. Quare Beati earumdem quas in Verbo vident, scientiam habent creaturarum in proprio ipsarum genere. Vnde cum Augustinus libro 11. de Civit. utrumque creaturas cognoscendi modum, nempè mediatum ex Deo cognito, & immediatum in seipsis, tribuat Angelis per scientiam, quam matutinam vocat & vespertinam: Dubium non est, quin eandem asserat cognoscibilitatem creaturarum duplicem respectu Dei, à quo omni modo, quo cognoscibiles sunt, certum est cognosci. Audiendus Anselmus cap. 24. Monologij, affirmans *Creaturas verius esse in seipsis per suam essentiam quam in nostra scientia per suam similitudinem: In scientia autem Dei & Verbo veriùs existere quàm in seipsis per suam scientiam.* Quod intelligi debet de scientia Divina etiam immediata.

5. Addo quòd licet alter modus cognoscendi in essentia tanquam in medio possibilitatem rerum, sit magna in Deo perfectio, quandiu non denegatur ejus possibilitatis immediata cognitio: tamen si hæc denegetur, non videtur prior ille modus sufficere ad immensam perfectionem intellectûs increati. Nam quantumvis ille modus comprehensivus sit per altissimas primasque causas, & procedat maximè à priori; Tamen dico illum esse in genere cognoscendi minùs perfecto. Meliùs enim res cognoscitur, quo directiùs & magis in seipsa: cùm autem per medium cognoscitur, tunc formalior cognitionis ratio, & præcipuum intellectûs lumen circa medium impenditur, in rem verò per illud cognitam refunditur per solam redundantiam, & secundariò minùsque præcipuè. Vnde scitum illud Logicorum, præmissas ratione medij quod continent, & clariores, & certiores, veriorésque esse quàm conclusionem, seu rem in ea contentam: Quandoquidem, inquit Aristoteles, propter quod unumquodque tale & illud magis. Nec diffiteri hoc Suares videtur lib.3. cap.2. num. 4. Cùm enim idipsum sibi objecisset contra priorem creaturas cognoscendi modum, nequaquam respondet negando quod hic asserimus; sed potiùs admittendo, ait priorem illum, quem ipse defendit, modum nequaquam posteriorem hunc excludere, quem nos defendimus. Atquè ita utrumque annuit in Deo scientiæ modum reperiri. Qua tamen in rè constantiam postea non tenet num. 14. & seqq. Thomistarum scilicet, non tam ratione, cui parùm confidit, quàm authoritate abreptus. Et certè, quidquid sit de comparatione contentioneque inter illos duos notitiæ modos; clarum est ambos simul sumptos majorem dicere perfectionem, quam eorum alterutrum, quæ consideratio validissima est pro istius & præcedentis nostri capitis simul juncta doctrina.

6. Est & alia probatio efficax. Nam ex sententia Suaris, & jam communiter aliorum; cognoscit Deus creaturarum futuritionem non in seipso, sed in illismet immediatè. Quia scilicet veritatem habet ab æterno illarum futuritio: Quæ veritas est sufficiens cognitionis talis fundamentum & objectum. Atqui creaturæ, inquàm ego, consideratæ in sua possibilitate, non minùs veritatem & scibilitatem habent, quæ fundare possit immediatam sui cognitionem, quam earumdem futuritio. Ergo, &c. Imò longè difficiliùs est expedire se in tuenda illa cognitione futuritionis creaturarum, & ostendere quomodò ea possit conciliari cum Divina immutabilitate. Quam difficultatem, quia videtur inenodabilis esse, aliqui objiciunt contra eam, quam in Deo nos asserimus cognitionem possibilium creaturarum. Sed non attendunt quanta sit in hac re disparitas. Ex visione enim rerum futurarum, quæ contingentes sunt, difficile est explicare quo modo Dei non sequatur mutabilitas: cùm ex cognitione creaturarum possibilium, quæ variari non potest, & est necessitatis æternæ, sequi non possit ullum imminentis mutationis periculum.

Satisfit argumentis contrariæ sententiæ.

7. Quod ad authoritatem attinet D. Thomæ, fatetur Suares rationes ab eo allatas non urgere. Sed qualescumque illæ sint potest Sanctus Doctor in bonum sensum explicari, ut videre est apud Vasquem disp. 10. cap. 5. Aliquam item suo sensu explicationem Valentinus Herice proponit disput. 5. cap. 4. Contra immediatam possibilium, quam in Deo adstruimus, cognitionem sentire non potuit Augustinus, quem item nobis objiciunt aliqui: cùm is in lib. 11. de Civitate distinguat in Deo duplicem creaturarum omnium cognoscibilitatem vespertinam & matutinam; quarum illa sit immediata in seipsis & quasi decoloratior; ista sit mediata. Nec unquam hic Sanctus Doctor negavit, quin Deus omnem rerum cognoscibilitatem actuali suâ cognitione adæquet. Hùc referri potest locus Anselmi adductus suprà in num. 4.

8. Ad argumenta quæ Suares affert, & sumit ex ratione Thomistica, facillimum est respondere. Negatur enim multiplicari à nobis in Deo scientias absque necessitate. Necessarium siquidem est agnoscere in Deo scientiam omnium scibilium. Scibiles autem esse creaturas notitiâ immediatâ in seipsis, constat ex eo quod Angeli & Beati omnes talem habeant illarum notitiam, quam vespertinam appellat Augustinus. Neque hæc (licet non sit æquè sublimis atque illa, quæ in Deo ipso & ex Deo habetur) ullam imperfectionem includit. Atque evidens est duplicem modum possibilia cognoscendi, & mediatè ex Deo, & immediatè in ipsismet, perfectiorem esse, quàm eorum alterutrum. Atque ita falsum est inutilem esse cognitionem hanc immediatam, licet mediata sit in Deo cognitio. Infinitus enim intellectus capax est omnis intellectionis, in qua non potest demonstrari ulla imperfectio, aut incompossibilitas cum majore aliqua vel æquali perfectione. Talem autem esse constat hoc immediatæ cognitionis genus. Quare asserimus perfectionem in eo esse simpliciter simplicem. Quod Suares addit immediatam istam cognitionem non esse comprehensivam, negatur: siquidem nihil quod sit intra objectum, excluditur ab illa, & per eandem intelligitur sufficienter ex creaturis ipse Deus; neque est ullum inconveniens quod transcendentalem dicat ordinem, ad objectum suum. Nam nec talis ordo ad objectum suum negandus est ulli intellectioni aut volitioni Divinæ, nec potentiæ

creativæ harum vel illarum rerum, quamvis nullus actus potentiave Dei à suis pendeat objectis.

9. Asserimus porrò Deum esse eminenter speciem impressam non tantùm sui, sed & creaturarum. Estque falsum, eminentem ejusmodi speciem produci debere à suo objecto. Ad id quod aliqui petunt: Nùm per hanc immediatam cognitionem Deo quædam fiat perfectionis accessio. Respondeo affirmativè; & quidem magnam. Quod autem quidam, ut invidiam huic nostræ concilient opinioni, derivare velint, & conjicere in eam id omne difficultatis quod in visione Divina objectorum contingentium reperitur; quàm id injuriâ & extra propositum faciant, constat ex suprà dictis nu. 6. Denique quod Aristoteles vocatur ad hanc controversiam dirimendam cum aliquo jure suffragij; talem nos judicem in talibus Christianæ Theologiæ causis ejuramus.

CAPUT VIII.

De Scientia Dei practica.

QUID scientia sit speculativa, quid practica, & quæ in ijs conditiones requirantur, fusè disputant Philosophi: & videri potest, examinarique debet quod ea de re dicit Sanctus Thomas qu. 14. art. 16. & ad eum articulum Vasques disp. 69. necnon quæ idem Vasques habet disp. 8. Circa practicam tamen speciatim, quoniam de ea istud instituitur caput, præmittenda sunt strictim aliqua ut meliùs ejus intelligatur natura. 1. Illam esse causam tùm operationum externarum, ut artem; tùm actuum intellectûs & voluntatis, ut prudentiam. 2. Illam posse omnino esse notitiam evidentem. 3. Practicam scientiam esse posse, licet qui eam habet, nolit operari. Sic in Deo scientia creandi mundos nunquam futuros, est practica; satis enim est quòd sit directiva & causa in actu primo. 4. Non esse de ratione practicæ scientiæ, ut qui per illam operatur, posset aliàs errare. 5. Nec repugnare, ut qui eam habet, necessitetur ad agendum. Porrò cùm certum sit apud omnes in Deo speculativam scientiam reperiri; de practica, quæ ad objectum suum operabile modo tendit operabili, non itidem omnes conveniunt, quâ ratione Deo tribuatur. Et quæri potest 1. Nùm eam Deus cùm circa seipsum, tùm circa creaturas habeat. Quam Scotus disputationem perplexam involutamque reddidit, in quæst. 4. prologi variè mutando sententiam. Etenim in §. *Si objiciatur*, asserit posse dici scientiam, quam Deus circa se habet, esse universim practicam: quia præcedit, movetque affectum, quem Deus habet erga se. Assertio hujus Doctoris universim falsa est; nec bona ratio, quâ illam assertionem probat. Ut enim scientia fit practica, non sufficit quod affectum & amorem excitet. Id enim etiam facit speculativa scientia rerum pulcherrimarum.

2. Secundò mutat opinionem prædictam Scotus postea §. *Tertius articulus*, & asserit universim scientiam Dei circa ipsum non esse practicam, cujus rei rationem hoc discursu affert. Quoniam scientia omnis practica versari debet circa voluntatem, circa autem voluntatem Dei non potest: propterea quod intellectus in Deo non est regula voluntatis: Cùm enim nequeat intellectus dictare, nisi quod optimum est, deberet voluntas illud sequi dictamen cum dispendio libertatis: proptereàque putat intellectuale dictamen non posse esse ante determinationem Divinam. Assertio hæc Scoti, quâ priorem assertionem suam evertit, falsa est, negans universim absolutèque omnem in Deo scientiam practicam circa suos actus. Nam scientia Dei circa ipsius actus liberos est practica per modum prudentiæ. Et simul probatio, quam suæ illius assertionis, plura falsa involvit.

3. Siquidem 1. Falsum est scientiam omnem practicam debere immediatè versari circa scientis voluntatem. Id enim duntaxat locum habet in ea quæ practica est per modum prudentiæ, & quæ voluntati actus liberos hos & illos, sic vel sic faciendos esse dictat, non quidem imprimendo aliquid ipsi voluntati, nec intimando ullum imperium efficax, sed simpliciter illuminando per modum solius dictaminis ac doctrinæ. At verò quando scientia practica est per modum artis, non est opus, ut quicquam voluntati præscribat, aut ipsam dirigat, cùm voluntas non sit operis artificialis executiva: satisque est quòd scientia potentiam executivam immediatè dirigat, applicata nihilominùs per voluntatem; cujus etiam est imperare potentiæ executrici actionem externam, & illam subjicere directioni scientiæ. 2. Falsum est quod addit Scotus, scientiam practicam non posse versari circa voluntatem Dei; potest enim per modum prudentiæ circa liberos actus. Falsum etiam 3. quod adjicit non posse regulari voluntatem Divinam ab intellectu, sed ipsam sibi solam esse regulam. Falsum 4. illam si ab intellectu reguletur passuram esse libertatis suæ dispendium.

4. Denique falsum est non posse propterea intellectuale dictamen anteire determinationem Divinam. Sanè cùm omnes actus essentiales in Deo sint ratione priores quàm actus liberi, negari non potest, quin antequam voluntas habuerit determinationem ullam liberam, præcesserint in intellectu hi actus cùm essentiales sint & naturales, *Velle hoc vel illud rectum est, & secundum Prudentiam, Iustitiam, Misericordiam*, &c. Quis verò tale judicium neget esse practicum & prudentiale? Atque eodem modo præcessit ante omnem libertatis determinationem scientia naturalis, quâ per modum artis cognoscebatur *Mundus hoc & illo modo creabilis*, &c. Atque Deum posteà directionem talis cognitionis secutum fuisse, quando mundum creavit testatur Scriptura Proverb. 3. *Dominus Sapientiâ fundavit terram: stabilivit Cælos Prudentiâ.* Et Ieremiæ 10. ac 15. *Qui fecit terram in Fortitudine sua, praeparat orbem in Sapientia sua, & Prudentiâ suâ extendit Cælos. Unde eadem Scriptura intellectum Dei seu Sapientiam dicit esse artificem, ut Sapient. 7. & 8. Quis illorum quæ sunt, magis quàm illa est artifex.*

5. Nec dicas libertatem in Deo tolli, si prudentiale judicium præcedat voluntatis determinationem: quatenùs nempe tale judicium, cùm naturale sit, non potest non esse; & cùm verum & bonum sit, non potest à voluntate refutari. Respondeo enim judicium illud, quamvis necessarium sit, non tamen proponere objectum, ut necessariò amplectendum. Imò datur simul ex alia parte judicium diversum, quo aliud objectum incompossibile, aut etiam contrarium proponitur, item ut possibile, ut laudabile, &c. sed non ut necessarium. Atque in ea prio-

ritate iudiciorum integrum voluntati relinquitur, ut sequatur utrum placuerit. Quæri potest ex occasione utrùm Deus habeat scientiæ practicum dictamen antegressum actus voluntatis necessarios & purè naturales, quibus seipsum amet? Ad id quidem affirmativè pronunciaverat Scotus, ut suprà retulimus; quanquam postea se inclinaverit ad contrarium motus considerationibus non sat bonis, quas iam antea refutavimus. Suares tamen & alij communiter hanc rationem pro parte negativa, ut bonam afferunt: Quoniam scientia non videtur esse posse practica circa actus qui non sint liberi scienti, existimantque illos actus Divinos, qui ex omnimoda necessitate erumpunt, non propriè dici esse ex prudentia vel ex arte: quamvis enim supponeremus dictamen nullum intellectûs esse de talium actuum honestate; hi tamen ex sola apprehensione objecti, per se existerent.

6. Verùm licet hoc ego verissimum putem, loquendo de actibus Deo essentialibus, qualis est amor suarum perfectionum, &c. Imò etiam loquendo de actu notionali, quo per amoris spirationem Tertia Trinitatis Persona producitur. Quis enim dicat Deum suam essentiam practicè amare, aut amorem essentialem, vel etiam amorem notionalem, & Spiritûs Sancti productionem dicere audeat esse praxin, & ex scientiæ practicæ directione? Existimo tamen non repugnare universim, quominùs actio quædam necessaria nulloque modo libera oriatur ex cognitione practica, & sit vera praxis: Quando nimirùm non erumpit ut suprà dicti actûs Divini ex simplici apprehensione objecti; sed procedit ex intellectûs directione. v. g. Si aliquis excellens pictor incidat in amentiam, & offerente se penicillo cum aliis ad pingendum requisitis, determinetur ad pingendam Regis, ut solebat, imaginem; negari non potest quin opus illud sit ex arte & cognitione practica: Pari modo si fingeremus Deum, ut voluit Aristoteles, ab æterno ex necessitate naturæ creasse hunc mundum, dicendum foret creationem rerum in eo casu tam fuisse ex directione scientiæ practicæ, ac fuit de facto illa creatio libera, quam in Geneseos libro prosecutus est Moïses. Consimiliter si intelligeremus dari voluntatem creaturæ tam rectam, ut non posset non sequi dictamen intellectûs proponentis illi actionem aliquam honestam, quam turpe sit omittere: In eo casu talis voluntas, non ideò quia esset essentialiter prudens, deberet negari esse prudens, quando rationis obsecundaret dictamini.

7. Vt denique respondeatur quæstioni quam numero. 1. suprà posuimus nùm scilicet Deus scientiam practicam, cùm circa seipsum, tùm circa creaturas habeat: Clarum est ex suprà dictis, non bene sensisse Scotum, qui anceps tandem conclusit In Deo scientiam nullam esse practicam, nec quæ sit de ipsamet, nec quæ sit de creaturis: Cum enim Deus non sit aliquid operabile, non potest (inquit) eatenus de illo scientia esse practica; & præterea cum is Doctor sibi persuadeat nullum posse esse in Deo intellectus actum qui præveniat voluntatem quasi hujus regula, neque de Deo ipso neque de creaturis. Divus autem Thomas quæst. 14. a. 16. asseruit Deum habere scientiam de seipso speculativam solum: De creaturis autem quæ aliquando existent practicam; de iis autem, quæ nunquam existent, speculativam. Cujus sententiæ explicatio quæ difficultate aliqua non caret, videri potest apud ipsum Sanctum Doctorem. Dilucidè porrò ac breviter dicendum censeo, non reperiri in Deo scientiam practicam circà seipsum quasi operabilem, nec etiam (quicquid in contrarium dicat Ariaga disp. 18. nu. 14.) circà voluntatis eos actus necessarios, qui erumpunt per se ex sola apprehensione objecti, sine speciali cognitionis directione aut dictamine; tales sunt illi, qui essentiales sunt, & illi qui notionales. Certum est tamen esse circà liberos actus Divinos scientiam practicam, & multiplex prudentiale dictamen essentiale; sine quo Deus, utpotè prudentissimus & rectissimus (quemadmodum sine aliquo sibi proposito bono fine) determinationem nullam liberam habere potest. Circà creaturas autem certum est, esse Deo practicam scientiam per modum cùm Prudentiæ, tùm Artis. Quomodo practici hujusmodi Prudentiæ & Artis actus in Deo locum habeant sufficienter exposui nu. 4.

Vtrùm practica scientia, prout est causa rerum, sit visionis; an potius simplicis intelligentiæ: Et quomodò?

8. Quia Divus Thomas quæst. 14. art. 9. scientiam Divinam simplicis intelligentiæ ait earum esse rerum quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt: Oppositam autem scientiam visionis, earum esse, quæ vel jam sunt, vel licet jam non sint actu, tamen, vel fuerunt, vel erunt. Ideo Thomistæ, illis utriusque scientiæ quasi definitionibus non sat bene intellectis adhærentes, scientiam eam quæ est causa rerum non ad simplicem intelligentiam sed ad illam visionis asserunt pertinere. Et sanè istorum ratio in speciem videtur esse recta postquam sibi persuaserunt definitionem simplicis intelligentiæ veram atque legitimam prædictis verbis contineri. Quomodo enim simplex intelligentia, si est rerum quæ nunquam erunt, poterit rem ullam producere quam futuram esse constat si producatur? Atque hinc fit ut, hi Theologi scientiâ simplicis intelligentiæ exclusi ad scientiam visionis recurrant, illamque scientiam pro causa rerum agnoscant. Quandoquidem inter scientiam simplicis intelligentiæ sumptam ut ipsi definiunt, & scientiam visionis nullum volunt dari medium. Quarè Cajetanus in articulo 19. quæst. 14. negat scientiam posse esse practicam & causam rerum productivam in priori ante omne liberum Divinæ voluntatis decretum; sed tantùm quando post decretum de opere faciendo dirigitur ad rem prout hoc aut illo modo faciendam. Secundùm quam Philosophandi rationem scientia non potest esse causa rerum nisi cùm incipit esse visionis, & fertur in rem decretam ac verè futuram; Sed quam longè illi opinione fallantur satis evidens est, ratione suique etiam, ut puto (quemadmodum notabitur infrà) authoritate Doctoris.

9. Nam scientia visionis non potest in suum influere objectum ut ejus causa productiva; cum supponat causatum jam illud atquè productum, & sit quædam ut jam existentis speculatio. Falsumque est scientiam simplicis intelligentiæ non posse esse practicam, & productivam rerum, nisi in priori supponat liberum Dei decretum de ipsis producendis rebus, & antequam ipsa per illud decretum applicetur in actu secundo ad opus. Satis enim est, si sit cognitio rei possibilis, & habeat ex se vim

dirigendi. Vnde advertis nec bene Ioannem Vincentium relect. De Gratia Christi : quæst. 6. dixisse scientiam practicam idem esse cum scientia approbationis : Quæ scilicet inter cognitionem simplicis intelligentiæ & scientiam visionis media sit. Non bene, inquam; Scientia enim approbationis est, quâ effectus iam productus approbatur à Deo. Nec aliud est, quàm scientia quædam visionis connotans voluntatis circa objectum visum complacentiam. Vnde & nomine visionis significatur 1. Genes. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.*

10. Ad illud argumentum sumptum ex eo quod scientia visionis præsupponat existentiam objecti. Respondent Thomistæ tria esse quæ antecedant existentiam objecti. Primum est scientia directiva seu simplex ea intelligentia, quæ proponit modum quo effectus possit fieri. Alterum est voluntas intendens efficaciter effectum. Denique tertia est actus intimans intentionem voluntatis, & executionem imperans. Atque hic tertius actus (inquiunt) cum repræsentet objectum, scientia est visionis. Quare scientia visionis non præsupponit, sed causat objectum videndo illud. Hac responsione nihil solvunt adversarij : tantumdem enim semper post eam debent. Nam de illo tertio actu, seu (ut vocant) imperio, si est scientia visionis, difficultas eadem manet integra. Si enim videt, supponit esse quod videt; atque producit priùs, quàm videat : sed nec, inquam, producit, cùm non dirigat; non enim scientia producit aliter quàm dirigendo. Non item producit imperando : nec enim imperat; cùm non sit scientiæ nec intellectûs imperare. Atque hoc imperium in quæstione præsenti merum est figmentum: Addo si ille actus imperando causat, priùs imperat, quàm effectus existat, seu priùs quàm ipse actus imperans possit esse scientia visionis. Insuper dico : Actus hic qui sit, ut volunt, imperij, non tantùm falsus, sed & impossibilis est in omnibus effectibus qui sint creaturis liberi. Nam si effectus habeant moralem turpitudinem, blasphemum est fingere Divinæ voluntatis actum qui talem effectum imperet : si autem effectus sit moraliter bonus, imperium illud aufert creaturæ libertatem, cùm sit antecedens, & debeat esse efficax; alioqui passim eludetur, & ad nihil erit utile.

11. Dicamus igitur scientiam practicam & causam rerum pertinere ad simplicem intelligentiam, & esse illam naturalem notionem, quâ Deus essentialiter ante omnem liberum seu contingentem actum, creaturas norit ut simpliciter possibiles, & ut operabiles hoc aut illo modo. Per scientiam enim essentialem non tantùm cognoscit Deus speculativè creaturarum essentias & proprietates; sed etiam intelligit quomodò sit v. g. creandus mundus, & quomodò rectè gubernandus, &c. Quam scientiam & practicam esse constat, & aptam quæ assumatur & applicetur ut sit causa rerum. Nihilominùs advertendum est res illas, quas Deus novit, produci posse hoc & illo modo, esse infinities infinitas, & inter illas reperiri partem longè maximam, nunquam extituram, nimirùm, exempli causâ, innumerabiles mundos, quos Deus absolutè decrevit nunquam producere. Atque res hæ, de quibus ita decrevit, nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, ut superiùs dicebat Sanctus Thomas; & quas solas Thomistæ volunt esse objecta simplicis intelligentiæ. Quòd si verum esset non res alias reperiri in simplici intelligentia præter eas quas constitutum sit apud Deum nullam habituras aliquando existentiam, vera foret Thomistarum opinio, scientiam simplicis intelligentiæ non posse esse causam rerum. Quo pacto enim fieri posset ut res quæ infallibiliter nunquam erunt, causam habeant, quâ producantur.

12. Sed debuerunt hi Authores attendere intra sphæram simplicis intelligentiæ duplicem inveniri (ut jam dictum est) rerum possibilium differentiam. Præter enim res prædictas possibiles, quæ ex directo Dei absoluto nunquam erunt, inveniuntur aliæ, quæ ex Dei decreto erunt. Hæ res igitur antequàm Dei esset de ipsarum futuritione decretum, non poterant objectum esse visionis : non enim de illis in eo priori dici poterant, erunt. Pertinebant igitur ad objectum simplicis intelligentiæ : Nec tamen de illis (ut de alijs nunquam futuris) poterat dici determinatè, non erunt : Nam de facto post decretum certissimè erunt. Igitur non bona est illa, quam Thomistæ defendunt (contra sensum omnino sui Magistri) simplicis intelligentiæ definitio, quòd *Earum tantùm sit scientia rerum, quæ nunquam erunt.* Contra id enim est quod S. Doctor aït quæst. 14. art. 8. *Scientiam quæ est causa rerum in actu primo, posse esse scientiam rerum nunquam futurarum, si non assumatur ut causet in actu secundo, cùm eatenùs ad opposita se habeat;* hoc est, indifferentem esse ut causet vel non causet, indigereque Divinæ voluntatis determinatione, ut actu agat. Ante quam determinationem non potest esse visio.

13. Ex his eminet scientiam illam quæ est causa rerum pertinere ad illam simplicis intelligentiæ partem, quæ est de rebus consideratis ut merè possibilibus in priori rationis antequam decerneretur futura earum existentia. Quemadmodum & antequam Deus decerneret infinitas alias res (putà infinitos mundos) nunquam esse futuras; harum item meram considerabat possibilitatem. At verò post decretum de rerum quidem aliquarum nunquam futura existentia, de aliarum autem aliquando futura, apparent in simplici Divina intelligentia duæ differentiæ & velut duæ classes objectorum; nempe possibilium, quæ nunquam erunt, & possibilium quæ determinatè erunt. Sed antequam decreta esset horum futura existentia Deus in priori rationis eorum simpliciter possibilitatem nudam considerabat per eam scientiam, quæ est eorum causa; quam scientiam Ioannes Vincentius, ut suprà diximus, vocat impropriè scientiam approbationis.

14. Objicies. Negari non potest quin facto decreto de rerum futurarum existentia Deus illas ut futuras noscat per scientiam visionis; ergo quando illas creat facto decreto non potest uti aliâ scientiâ, nisi illâ quam solam habet. Respondeo cùm Deus, verbi causâ, mundi existentiam decrevit, habebat præexistentem sibique essentialem scientiam de modo, quo mundus est sic vel sic creandus. Atque illa est scientia, quam semper retinet essentialiter; & quæ ad simplicem intelligentiam pertinet; quâ vsus est in rebus creandis: Sicque illa sola scientia simplicis intelligentiæ est causa rerum, post cujus influxum, cùm res apparent creatæ succedit scientia visionis seu approbationis. Vrgebis. Esto postquam res actu creatæ sunt Deus visionem habeat rerum, & eas videns approbet. At similiter ex quo res post decretum de illis creandis cœperunt esse futuræ, Deus semper habuit de iis scientiam visionis: illa verò scientia visionis de iis ut futuris præcedens actualem creationem, potuit esse causa ipsarum rerum. Respondeo

tur scientia visionis, quam post decretum suum Deus habuit, præsupponebat prioritate rationis res futuras; futuras inquam, non aliter quam per præsuppositam causam scientiamque practicam ut directricem; Quam esse assero simplicis intelligentiæ, nec posse esse pro tunc scientiam ipsam visionis; Alioquin illa scientia seipsam ut talem supponeret; ut directricem scilicet causamque rerum creandarum. Atque ita eadem esset seipsâ formaliter prior & posterior: ut rem subtiliter consideranti patebit.

15. Superest ut Sanctum Thomam contra quosdam suæ Scholæ minus ipsum assequentes, excitemus: eos enim ipse qualis hac in re suus fuerit sensus, edocere potest. Et primò quidem articulo 16. quæstionis 14. non id dixit quod ei tribuunt. Solùm enim asseruit (inquit Ariaga disp. 18. num. 14.) scientiam Dei de possibilibus non esse practicam *nisi respectu earum rerum quæ de facto post decretum existent*. Quod longè aliud est. Neque hi satis attenderunt quod ab eo dictum ibidem est: *Scientiam quam Deus habet eorum quæ potest facere, & tamen nunquam fiunt* (quæ sanè scientia, ut patet, non est visionis) *esse virtute causam earumdem ipsarum rerum*. Atque à Deo scientiam illam simplicis intelligentiæ practicam esse, & habere vim in actu primo, ut sit causa illarummet rerum, si Deus eas velit producere. Quid? Quòd paulo post ad secundum hæc habet Sanctus Doctor verba? *Cùm scientia Dei* (illa scilicet quæ est ipsi essentialis) *sit omnibus modis perfecta, oportet quod sciat ea quæ sunt operabilia, in quantum hujusmodi, & non solùm secundum quod sunt speculabilia*. Tandemque addit; *In speculativa suiipsius scientia habet* (Deus) *cognitionem & speculativam* (essentialem nimirum) *& practicam* (essentialem item) *omnium aliorum*. Non parum ad eandem rem valet, quod idem Sanctus dixerat artic. 8. ad 1. asserens Origenem, cùm dixit Deum ideo præscire aliqua, quia sunt futura, *intelligendum esse secundum causam consequentiæ, non secundum causam essendi: sequitur enim si aliqua sunt futura, quod Deus ea præscierit: Non tamen res futuræ sunt causa quòd Deus sciat*. Quid enim aliud id sonat, quàm res non esse futuras per scientiam visionis, ut putà præsupponentem illarum existentiæ futuritionem, cùm non sint futuræ, quoniam Deus futuras novit, sed Deus futuras noverit, quia futuræ sunt.

16. Præterea in artic. 9. cùm dicitur in corp. *quædam sunt quæ sunt in potentia Dei vel creaturæ, quæ tamen nec sunt nec erunt neque fuerunt: Et respectu horum non dicitur* (Deus) *habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ*. Male aliqui verba supradicta sumunt ut continentia præcisam ac adæquatam definitionem simplicis intelligentiæ, quasi hæc scientia non extendatur ad ea quæ aliquando erunt, sed tantùm ad ea quæ nec sunt nec erunt, nec fuerunt. Ita Cajet. in hunc artic. & Ægidius in 1. dist. 38. art. 2. & Hervæus ibidem. Vnde omnino sequeretur scientiam simplicis intelligentiæ non posse esse causam rerum; quomodo enim earum quæ nunquam erunt? Non bene inquam illi: Et habet Sanctus Doctor cur de suis queratur discipulis cùm non attendunt, quid ipse variis aliis locis docuerit; nominatim verò in 3. distinct. 14. quæst. 1. artic. 2. quæstiunculâ 2. in corp. ad Anibaldum; ubi ait *Deum per simplicem intelligentiam scire omnia quæ potest facere*. Vnde evidenter infertur Deum per simplicem intelligentiam, hoc est, prius ratione quàm suo decreto statueret hunc, verbi gratiâ, mundum creare (& antequam posset dici, mundus hic erit, sive antequam is posset cognosci per scientiam visionis) Deum habuisse de eo condendo & de modo ejus condendi scientiam simplicis intelligentiæ: Quam dico fuisse causam condendarum rerum, absque eo quod opus sit recurrere ad scientiam visionis posteriùs secutam, & in illo priori nullam.

17. Mentem sui Magistri possunt etiam addiscere Thomistæ ex eo quod Herice prosequitur optimè disp. 10. cap. 2. Vbi (quemadmodum etiam Ariaga disput. 18. refert) ostendit Sanctum Doctorem non aliam quàm simplicis intelligentiæ scientiam assignasse pro causa rerum. *Semper enim is affert exemplum* (inquit Ariaga) *cognitionis, quæ in artifice est, & quæ est practica; cognitio verò practica artificis, putà Architecti, non est ea quâ jam videt domum factam, sed ea, quâ cognoscit, quam possit facere*. Hactenùs Ariaga, qui pergit hoc idem confirmare propriâ quadam suâ observatione. Videri potest Herice disp. 10. cap. 1. argumentans ex Sanctis Patribus, & simul cum Sancto Thoma pro nostra sententia, citans ex antiquis Thomistis Hervæum & Franciscum Romæum, qui ambo fuerunt sui Sacri Ordinis Generales Magistri, & Capreolum. Sanctorum Patrum qui multa volet in eandem sententiam loca potest consulere, Ferrerium lib. 2. de Scientia Dei. cap. 7. & Patrem Ruis disput. 32. de Scientia Dei sect. 4.

CAPUT IX.

De Divinis Ideis.

IN *omnis artificis mente quasdam insidere species necesse est, quas ipse artifex intuitus, in iisque defixus, ad illarum similitudinem artem & manum dirigat*, inquit in Bruto Tullius: Qui lib. Acad. quæst. has species seu formas rerum ait appellari ideas à Platone asserente *Illas re semper existere, & nunquam gigni, cùm cætera omnia semper fluant, nec diutiùs in eodem sint statu*. Sunt verò istæ ideæ præcipua pars Platonicæ Scholæ. Deum enim (ut est apud Eusebium lib. 15. de præpar. Evang.) asserebat Plato notiones rebus antiquiores habuisse; quas in rebus secundum naturam creandis intueretur, *quasi generalem aliquam per seque subsistentem essentiam. ὡς ἐσίαν καθ᾽ἑαυτὴν*, ut idem ait in Parmenide Plato. Porrò suum de Ideis sensum ipse videtur in Timæo satis expressisse: licet de illo ejus sensu disceptarint ipsius Discipuli. Inter quos Aristoteles quidem 1. Poster. cap. 19. lib. 1. Ethicor. cap. 4. & lib. 1. Metaph. cap. 6. affirmavit ideas ex Platonis mente realiter existere substantias ab ijs separatas rebus, quæ ipsarum velut archetyparum participatione constarent. Quam sententiam idem Aristoteles lib. 13. Metaph. ait nequaquam fuisse Socratis, sed ab hoc discedentis Platonis: quem dùm passim acriter refellit, magnam contraxit apud quosdam Platonicos invidiam. Sed eum magno studiorum divortio posteriores alij Philosophi aliqui, ut Philoponus & Ammonius defenderunt; Cùm alij Platoni ex adverso patrocinantes, ipsum Aristotelem in crimen illatæ suo præceptori calumniæ vocarunt. Sanè has ille ideas 1. Poster. cap. 19. vocat meras nugas: Indicans enim idealem esse imaginationem, si asseratur aliquid esse album; in quo nulla subsit essentia subjecti, quod albi denomina-

tionem sustineat; protinùs addit, Χαιρέτω εἴδη τερετίσματα, hoc est, *Valeant ideæ, sunt enim teretismata, sive prodigiosa nugæ futilesque cantilenæ.*

2. Valere igitur iussis omissisque hujusmodi Platonicæ ludibrijs Philosophiæ, nos illas, quas Christiana Theologia veras in summo artifice ideas agnoscit, exponamus. Et quidem primò cùm ex superiori capite certum sit in Deo scientiam esse practicam, quæ dirigendo potentiam executivam, sit eatenùs rerum causa; dubitari non potest, quin ea practica Dei scientia, cùm vim productivam in executione dirigit, exemplaria (quas ideas mutuato à Platone vocabulo nuncupamus) intueatur, ut ad eorum similitudinem opus efformet. Quod ratio naturalis per se dictat, id ex Scriptura Sacra intelligere potuerunt non modò fideles, sed ipse etiam suo perverso modo Plato; qui Mosaicorum Librorum evolvendorum studiosus adeo fuit, ut Moses Atticus diceretur. Scribit enim Iustinus lib. contra Gentes, Philosophum illum, cùm legisset in Exodi cap. 25. jussum esse Mosem excitare tabernaculum secundum exemplar, quod in monte Deus illi monstraverat, suam de ideis excogitasse doctrinam. Sic & postquàm anteà in 1. cap. Genes. legisset hominem factum esse ad imaginem & similitudinem Dei, potuit interpretari sermonem ibi esse de homine intelligibili, hoc est, de exemplari ejus Adami qui de limo terræ formatus & corporatus apparuit. Malè ex ijs locis ratiocinatum ait idem Iustinus fuisse Platonem: οὐ κατὰ τῆς φροσηκούσης θεωρίας δεξάμενος τὰ γεγραμμένα ῥητά, hoc est, cùm non in conveniente sensu accepisset Scripturæ dicta. Ejus tamen non improbat ratiocinationem Clemens Alex. in 6. Stromat. ut refert Eusebius libro 11. de præpar. Evang. Sed longè Platone meliùs Christiani quidam orthodoxi Doctores ex prædictis locis, ut par est, explicatis elicere conati sunt, veras & non commentitias ideas reperiri in Deo.

3. Quidnam autem sint propriè sumptæ ideæ hujusmodi, ex descriptione intelligitur, quam S. Thomas talem affert quæst. 3. de verit. artic. 1. *Idea est forma, quam effectus imitatur ex intentione agentis.* Dicitur esse forma, hoc est, perfectio, vel informans intellectum (utpotè conceptus ipse formalis) vel proposita intellectui ut conceptus objectivus. Talem formam effectus imitatur, vel actu scilicet, vel aptitudine. Quomodò autem ea intelligi debeat imitatio dicemus infrà. Non attinet hic pluribus prosequi rationem communem causæ exemplaris. Id enim philosophorum est; qui reducunt illam ad causam efficientem &c. Quia hic de Deo disputamus quæri potest, nùm in illo Ideas in plurali aut Ideam solum in singulari dicere conveniat? Respondendum est, vnam tantum entitativè intra Deum dicendam esse ideam: Etsi plures dici possint & soleant, relativè ad plures producibiles naturas.

4. Divinas hujusmodi agnoscunt Sancti Patres Ideas. Et primo Dionysius, qui stylo Platonico, sed sensu Orthodoxo, longe alias à Platonicis formas rerum archetypas exponit obscurè, dum Timotheo sibi eas explicari poscenti respondens cap. 11. de Div. Nom. esse asserit Dei αὐτοουσίαν, αὐτοζωὴν, αὐτοσοφίαν, αὐτοταὐτότητα, &c. Hoc est, *Essentiam ipsissimam per se veram, Vitam per se, Sapientiam item per se, per seque Bonitatem; atque similiter Attributa ijs significata vocabulis; quibus τὸ αὐτὸ præfigatur: & perfectiones quasdam secundarias ipsis cognomines (ὑποστάσεις) ac velut subsistentes existere: atque secundarias hasce perfectiones à creatis deinde participari entibus.* Quod cùm incommodos possit habere explicatus quasi Platonicarum non satis dissimile idearum: poni enim videntur universales quædam ex æternitate formæ productæ realem existentiam & subsistentiam habentes. Nihilominùs tanti Divinis in rebus Doctoris dictum potest, debetque in sensum Catholicum accipi. Qualem indicat S. Maximus, eum locum interpretans. Vt nimirùm noluerit Dionysius cum Platone esse formas extra Deum existentes, ac per se suspensas. Quare cùm Deum dixit esse earum ὑποστάτην seu productorem, non est id exactâ interpretatione, sed καταχρηστικῶς accipiendum: Vt nempe Deus prædestinatione ac providentiâ suâ designarit simpliciter res quas condere destinabat; rationes nec in se, nec extra se (quales Plato volebat) producens distinctas; sed eas tantùm objectivè efformans, quas ipse Dionysius ait nonnullos perperam tanquam Deos rerum effectores effutijsse. Videri potest de hac tota disquisitione Petavius lib. 1. cap. 13. & lib. 4. cap. 10. ubi sub finem concludit, Dionysium nihil hac in re habuisse Platonis præter scribendi & loquendi modum. Et quidem legitimam esse, quam attulimus explicationem capitis illius undecimi de Div. Nom. patet ex capite 5. ejusdem libri, in quo ideas, sive παραδείγματα definit, rationes quæ in Deo sunt substantiarum efficientes, & singulariter ante subsistentes (in ipso nempe Deo) quas Theologia nominat Præfinitiones, secundum quas ille omnia antè determinavit.

5. Quænam existimanda sit orthodoxæ doctrinæ circa Divinas ideas definitio ex alijs sumi etiam potest varijs Patribus. Et maximè ex Augustino: qui lib. 12. de Civit. cap. 20. ait, *In una Dei sapientia esse immensos quosdam atque infinitos thesauros rerum intelligibilium; in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum etiam visibilium & mutabilium, quæ per ipsam facta sunt: quoniam Deus non aliquid nesciens fecit; quod ne de quolibet homine artifice rectè dici potest; Porrò si sciens fecit omnia, ea utique fecit, quæ noverat.* Eodem spectat quod in libro octoginta quæstionum scribit, quas ideas Plato vocavit, easdem posse & latinè rationes & græcè λόγους appellari: *Sunt namque*, inquit, *Ideæ principales, formæ quadam vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quæ in Divina intelligentia continentur, & cùm ipsæ neque oriantur neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oritur & interit...... quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quare non eadem ratione homo, quâ equus, sed singula proprijs condita sunt rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est nisi in ipsa mente Creatoris? quarum participatione fit, ut sit quidquid est, quoquo modo est.* Sicut Augustinus ideas censet vocari posse rationes; ita & Dionysius capit. 5. de Divinis Nomin. jam citato τοὺς ἐν Θεῷ τῶν ὄντων οὐσιοποιοὺς λόγους, id est, In Deo substantificas entium rationes. Anselmus in Monologio cap. 8. & seqq. hanc idearum affert expositionem. Primò ait, *Quamvis ea quæ facta sunt, antequam fierent, nihil, essent quantum ad se, non tamen nihil fuisse quantum ad rationem facientis per quam & secundum quam fierent. Illa vero*, inquit, *forma rerum quæ in creatoris ratione præcessit, quid aliud est quam rerum* (aut potius de rebus) *quædam in ipsa*

ratione locutio? Veluti cum faber facturus aliquod opus, prius illud intra se dicit mentis conceptione. Atque ita demùm asserit hic Pater, Creatorem *in seipso creaturas prius dixisse, quàm eas secundum & per suam locutionem conderet:* Hanc denique locutionem ait esse *Verbum, quo uno eodemque Deus & seipsum dicit & quæcumque facit.* Advertendum est creaturas; postquam ex omni æternitate per prædictam Dei locutionem internam præ rebus infinitis, quas Deus ad extantiam destinare noluit, selectæ sunt; habere præter alia omnia possibilia, jus quoddam ad existendum.

6. Ex adductis Patrum authoritatibus constat, Divinas ideas esse quid intrinsecum Deo, & ab ipso indistinctum. Putatque Augustinus libro octoginta quæstionum quæst. 46. id tam verum esse, ut non possit negari sine impietate. Assero autem illud quod intra Deum sit idea, censendum esse duplex. Primò quidem Verbum absolutum, seu formalem conceptum essentialem, quem Deus habet de creaturis ut producibilibus: Tùm etiam secundò ipsam Divinam essentiam objectivè, ut ostendemus num. 8. quatenùs participabilem à creaturis. Primò igitur Verbum Divinum essentiale dicendum esse ideam ex eo intelligitur, quòd Augustinus in eadem illa quæst. 46. disertè explicat intrinsecas Deo ideas esse *Conceptus seu rationes rerum æternas, quæ in Divina intelligentia continentur.* Et ibidem aliquantò post: *Has autem rationes,* inquit, *ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quicquam positum intuetur.* Simile est quod num. 5. retulimus ex ejus lib. 11. de Civit. *In una Dei Sapientia* (seu Verbo) *sunt immensi quidam thesauri rerum intelligibilium,* &c. Ne crebrior sim in appellando Augustino, hunc unum locum addam ex lib. 6. de Trinit. cap. 10. ubi nominat *Verbum Dei* (intelligit hic Verbum personale) *Artem Omnipotentis atque Sapientis Dei plenam omnium rationum: Et omnes unum in ea, sicut ipsa unum de uno, cum quo unum.* Atque hinc est cur in 1. cap. Ioannis has voces sine interpunctione conjunxit; *Quod factum est in ipso vita erat:* ut significaret omnia priusquàm fierent, in Verbo, tanquam in idea fuisse: sicut ait Tract. in Psal. 44. cui addi debet quod insigniter in eam sententiam habet primo Tractatu in Ioannem. Non absimile est illud Origenis in ea verba Ioann. *In principio erat Verbum, Opinor,* inquit, *sicut domus & navis ædificatur juxta formas in mentibus eorum, qui structuræ præsident, conceptas; sic universa facta esse juxta rerum futurarum rationes jam antea à Deo manifestatas in Sapientia: omnia enim in Sapientia fecit.*

7. Prout autem idea in Deo est Verbum, seu formalis conceptus essentialis de creaturis ut producibilibus; sic ea pertinet ad scientiam Dei practicam, ut ab hac actuali parum differat, vel etiam identificetur cum illa; vel certè in ipsa includatur; quemadmodum cognitiones seu rationes incomplexæ terminorum ac rerum, solent includi in judicijs ac enunciationibus. Porrò cùm effectus ideam dicitur imitari; non id de idea sumpta pro formali conceptu ita intelligendum est; ut ei sit entitativè formaliterque similis. Sat enim est, quòd habeat cum ipso similitudinem intentionalem; hoc est, quòd sit talis qualem conceptus repræsentat. Non item opus est, ut hæc imitatio ita fiat per ipsius ideæ cognitionem, ut artifex reflexivè cognoscat suum conceptum formalem; sed satis est ad præcisam formalitatem ideæ, ut per conceptem formalem directè Deus (de quo hic loquimur) cognoscat, vel rem, quæ facienda est, vel suam essentiam ut imitabilem; quam suprà jam diximus, dici optimè posse ideam, & exemplar, quod ipse sibi proponit.

8. Ex superioribus habemus ideas creaturarum in Deo esse aliquid intrinsecum, idque duplex: nempe 1. Verbum essentiale, quo novit creaturas ut possibiles, modumque ipsas producendi ad illius Verbi similitudinem intentionalem & æqui vocam; Atque 2. Naturam ipsam Divinam enim enter omnia continentem; ad cujus imitationem velut entitativam, seu velut univocam res creet ex nihilo. Superest ut opinionem Scoti, Okami, Gabrielis dist. 35. Durandi dist. 36. Gersonis de vita spirituali lect. 1. & aliorum quorumdam rejiciamus: Qui ideas negant esse quicquam intrinsecum Deo, sed esse ipsasmet res producendas, quatenùs ex æternitate à Deo secundum seipsas conceptæ sunt: ita ut res quælibet sit suimet causa idealis; quemadmodum res videmus quaslibet sui causas posse esse finales. Nam ut ait Aristoteles 7. Metaph. *Sanitas in materia fit à sanitate in anima.* Confirmant suam sententiam prædicti Authores: Quia utrocumque modo ideas Deo intrinsecas consideremus, sive ut Verbum conceptumque formalem, sive ut naturam Divinam objectivè imitabilem; neutro videntur modo posse consistere. Nam si loquamur specialiter de idea, prout est conceptus formalis; non ad ejus instar entitates creatæ producuntur, cùm eas constet, non esse formales conceptus. Si verò loquamur de natura Divina secundum se cognita, ea est omnino dissimilis creaturarum, & licet eminenter eas contineat, non tamen formaliter, neq; ipsas refert: sicut lux solis etsi contineat eminenter calorem, non tamen hunc ita refert, ut ejus dici queat idea. Sic illi ratiocinantur.

9. Reprehenditur communiter hæc doctrina; & quidem jure, cùm adversetur Sanctis Patribus superiùs adductis, præsertim Augustino: qui putat non absque impietate dici posse, Deum res condidisse, intuendo aliquam à se distinctam ideam. Nec valent rationes, quas pro se Scotus & alij afferre possunt. Primò enim si consideremus ideam ut est conceptus formalis, explicuimus num. 7. modum quo effectus dicantur imitari conceptum ipsum Divinum, & quam ejus similitudinem habeant. Secundò, si consideretur idea ut est natura Divina; dico eam, licet non contineat formaliter res creabiles: Tamen, cùm Suarés & alij fateantur Deum posse cognoscere in sua natura creaturas, quas continet eminenter; Fateri similiter debent naturam ipsam Divinam repræsentare illas sufficienter, ut sit ipsarum idea. Quod autem initio adductum est pro Scoti & aliorum sententia de causa finali, quæ non distinguitur ab eo quod causat; applicari illud non potest causæ ideali: cùm sit ejus utriusque causæ diversa ratio. Nam finis potest esse ipsamet res quam causat, & quam agens intendit: quia trahit ad se ipsius agentis affectum: Idea non aliud facit, quàm ut se exhibendo, regulet opus artificis; nihil autem potest esse suiipsius regula. Quis enim dicat rem aliquam, elaboratam esse ad sui similitudinem? sive factam esse ad instar sui? Quis dicat Deum regulari à creatura, quam producit? Quod addebatur de calore ut co[illegible]ento eminenter in luce, non urget; cùm constet creaturas omnes in Deo expressiùs, quàm calorem in luce contineri.

CAPUT X.

De vera quæ soli Deo competit scientia, Moralis consideratio.

1. CUM in Divina essentia nihil sit non omnino splendidum & illustre; tùm verò maximè in illa eminet splendor & claritas luminis intellectualis. Unde fit ut de Deo cogitantibus vis ejus intellectiva statim se offerat, & sit tanquam Divinitatis vultus; utpotè perfectio vitalis, quâ præcipuè summi ratio Numinis continetur. Nec dubitavit Synesius lib. de Insomnijs pronunciare, intelligentiâ rerumque cognitione Deum οὐσιῶσθαι, & ut ita loquar, substantiari. Quare nomen θεότητος à contemplatione παρὰ τὸ θεᾶσθαι meliùs quàm aliundè deducimus.

2. Tantam sanè cognoscendi vim constat esse supremæ illius intelligentiæ, ut nullus qualiumcumque seu futurus (cùm absolutè, tùm conditionatè) seu possibilis rerum eventus illam effugiat, *Æternitate uniformem statum omnium temporum apud eam dirigente*; ut inquit Tertullianus lib. 3. contra Marcionem cap. 5. Imò hæc est præcipua Divinitatis dos, ut res per eam, quam sibi nullam habent existentiam, Deo præsentes existant. *Disce*, inquit Ambrosius libro 5. de Fide cap. 7. *Quòd Deus non solùm præterita fecit, sed etiam quæ futura sunt, sicut scriptum est Isaïa 45. qui fecit quæ adventura sunt*; Et alibi, *Per quem facta sunt secula*; Secula nimirùm & præterita, & præsentia, & futura. Consimilia scripserat ante Ambrosium Hilarius lib. 12. de Trinit. *Testis est nobis Propheta dicens: Deus qui fecisti omnia quæ futura sunt. Quæ enim futura sunt, licet in eo quod creanda sunt, adhuc fient; Deo tamen cui nihil novum, jam facta sunt; dum temporum dispensatio est, ut creentur, & jam Divinæ virtutis præscientiâ sint creata.* Deo hanc præcipuè scientiæ perfectionem Dæmones inviderunt, in Sapientiæ laude nequaquam ei cedere volentes, & idcirco ab ejus fide imperioque deficientes. Ad ejus enim, quam à Creatore suo acceperant excellentissimæ scientiæ considerationem, & sui admirationem conversi, atque insolenter elati, Deo sublimitate Sapientiæ pares esse voluerunt. Nominatim verò cognitionem rerum occultarum, nec dum existentium, quâ superari se à Deo videbant, affectarunt. Quod inordinatum desiderium sapiendi plusquàm oportet sapere, omnis fuit origo & causa mali quod ijs accidit, & principium miserabilis ipsorum casus.

3. Magnam sanè admirationem habet, quod supremus Angelus, absolutissimâ Sapientiâ tantisque intelligentiæ præditus undecumque luminibus, potuerit in eam Authoris & officij sui oblivionem venire; ut illa gloriæ insignia in ipsius Authoris contumeliam verteret: ac velut ænigma factus in Sapientia desiperet, atque in decore suo amitteret decorem suum, & proprio splendore adustus, lumen proprium speciei que fulgorem extingueret. Acceptam scilicet à Creatore suo cognitionem præcelsam & gratiam sanctificantem, quæ peccatum per se removet, peccati quodammodo parentem reddidit; & superbus, illâ se efferendo, criminis sui fecit esse materiam: Nec intermissionem fecit unquàm ab ea superbiæ suæ formula; Ascendam, & ero similis altissimo.

4. Interim dum summâ in genus humanum arderet invidiâ, suæ à Deo defectionis calamitatisque consortes efficere omnes homines deliberatum habuit. Quapropter primis nostri generis parentibus; ut in eandem cum ipso foveam caderent, offendiculum collocavit, eadem in re, eademque occasione, quâ ipse prolapsus erat. Et per sciendi cupiditatem induxit eos ad Divini contemptum præcepti, atque ad arboris vetitæ decerpendum gustandumque fructum, qui scientiæ dicitur: Quo, inquit, gustato, *Eritis sicut Dij*, nihil à vestro Creatore discrepantes, *scientes bonum & malum*, mirificam nempè consecuti rerum omnium cognitionem, quam vobis Deus invidet; ideoque Sapientiæ laudem sibi soli reservavit. Atque hoc decipulæ genere totum genus humanum in eosdem, in quos perduelles Angeli, casses incidit, ac detestabilem cum ijsdem Angelis scientiæ per eos comparandæ inijt societatem.

5. Itaque ubi mortalibus jam sibi obnoxijs impressam reliquit noxiæ cupiditatem curiositatemque Sapientiæ, quasi in suam eos suscepit disciplinam, apertâ ubique Magicæ Scholâ Facultatis. Nihil enim est, quod æquè ad magicam superstitionem alliciat, ac sciendi aviditas; quam spiritus malus in Adamo primùm commovit, omnique ejus generi, velut hæreditariam luem, per originale peccatum infudit. Mirum enim est quàm sitienter mortales naturâ appetant res abstrusas celatasque cognoscere. Illa porrò detestabilis, quâ nihil est appetentius, nihil rapacius, mentis humanæ curiositas plurimùm in omnium gentium orbe valuit jam indè à primorum seculorum memoria, ante ipsam etiam eluvionem Noëmicam; quibus temporibus Epiphanius aït nullum idolorum & idolatriæ usum, extitisse, cùm constet frequentem fuisse magiæ.

6. Posterioribus verò temporibus id tandem scientiæ genus res occultas indagandi in tantùm fastigii adolevisse Plinius testatur, ut in Oriente quidem Regum legibus imperarit postquam illic ortum habuit à Zoroastre. Demùmque apud omnium nationum principes adeò crevit, ut nihil nisi ex ejus responsis vel suscipere vel promovere tentarent. Græcorum autem populos refert prædictus author ad rabiem non modo ad aviditatem fuisse impulsos. Quare dum quid arcanum invenire visi sunt illi qui apud eos ingenii fuerunt principes, id ferè ad acceptam à Dæmonibus disciplinam aliqui retulerunt. Medina certè in 1. 2. quæst. 109. artic. 1. negat humanum ingenium posse absque auxilio boni vel mali Dæmonis assurgere quò se Aristoteles extulit, cujus librum de magia citat Laërtius in proæmio de vitis Philosophorum. Refert Guillelmus Parisiensis libro de universo spirituali. cap. 39. in 2. parte solitum ab illo Philosophorum Principe consuli Dæmonem evocatum ex sphæra Veneris; Sunt prædicti authoris de Aristotele hæc verba: *Habuit Dæmonem familiarem, quem se obtinuisse sacrificio dixit, & missum credidit de cœlo Veneris.* Neque potest negari quin multi reconditarum scientiarum authores (quales magnam partem fuere Platonici) curiositatis magicæ manifesti teneantur.

7. Porrò cacodæmones ut summo Numini se pares facerent oracula fundere de rebus futuris professi

fessi sunt. Impiam illam æmulationem indignè ferens Deus, ipsos apud Isaiam cap. 41. sponsione etiam Divinitatis provocat, ac lacessit: *Accedant & nuncient nobis quacumque ventura.* Deinde subdit: *Annunciate quæ ventura sunt in futurum; & sciemus, quia Dij estis vos: Loquamur & videamus simul.* Deinde, quasi prostratis illis, ait, *Ecce vos estis ex nihilo & opus vestrum ex eo quod non est: Abominatio est qui elegit vos.* Illustrem de Idolis, & immundis (qui per ea loquebantur) Spiritibus reportandam à Christo victoriam prænunciaverat idem Isaias cap. 2. ubi dicitur fugandos ab eo dissipandosque cum dedecore garrulos illos dæmonas: *Elevabitur Dominus solus in die illa; & Idola penitùs conterentur.*

8. Ita nimirùm, Christe, cùm per infinitam rerum possibilium cognitionem, quam tibi æterna Generatio contulit, sis lumen de lumine, Sapientia & veritas ex veritate; omnipotens Dei sermo è regalibus sedibus veniens apparuisti. Tu verè scientiarum es Dominus: Tu splendor paternæ gloriæ, lux lucis, & fons luminis: qui ut illuminares omnem hominem venisti in hunc mundum, lucifugos tenebricososque spiritus ad piceas inferorum flammas, & ad æternam mentis caliginem damnaturus. Cui universæ ideo mundi creaturæ unâ voce concinunt. *Tu es Deus noster, & non æstimabitur alius adversum te. Tu adinvenisti omnem viam disciplinæ; & tradidisti illam Iacob puero tuo, & Israël dilecto tuo: Post hæc in terris visus es, & cum hominibus conversatus es.* Baruch cap. 3.

9. Lucis caliginisque intellectualis diversitas infideles omnes distinguit à Christianæ Fidei professoribus; quos Deus vocavit ad admirabile lumen suum: ita ut ijs potiori jure quàm Iudæis aptari possint illa verba Mosis, *Hæc est vestra sapientia & intellectus coram populis, ut dicant. En populus sapiens & intelligens, gens magna.* Deuter. cap. 4. Postquam Christus illuminans omnes homines adoptavit aliquos, ij à Spiritu Sancto progeniti, susceptique per baptismum (qui est illuminationis Sacramentum, ideoque à Patribus Græcis φώτισμα dicitur) non immeritò filij lucis à Paulo nominantur. *Omnes vos,* inquit ad Thessal. cap. 5. *filij lucis estis & filij diei.* Et ad Ephes. cap. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: ut filij lucis ambulate.* Quos enim Christus in suam disciplinam suscepit, perpetuis mentis erudit illuminationibus. Quare supràdictus Apostolus ad Coloss. cap. 1. illos hortatur, ut ambulent *dignè Deo secundùm potentiam claritatis ejus qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.*

10. Relegato itaque ad tenebrosa inferorum latibula dæmone luridarum authore Scientiarum, nos, Christe, filij lucis tuæ, Baptismi nascimur aquis super quas Spiritus tuus fertur dum eas fæcundat. Tu Verbum illud es quod ex Apostolo tuo 1. ad Corinth. cap. 12. nulla lingua nisi in Spiritu Sancto proferre potest; sed quo Pater prolato dicit quæ novit omnia. Quod Verbum (ut ita loquar cum Martyre tuo Maximo) substantiatum est in hominem; & sic per duarum constructionem naturarum pro simplici verbo extitit compositus sermo; qui certâ & occultâ Sapientiæ Divinæ manifestavit hominibus pro eo quantùm hi capere poterant: cùm docuit eos vias vitæ, caduca terrenaque despicere, præsentia fastidire, quæ sursùm sunt quærere, quæ suprà Cœlos sunt sapere, non quæ super terram: quod in præsenti est momentaneum & leve, æternum in utramvis partem (sive beatitudinis, sive miseriæ) pondus operari: Neque contemplanda esse bona, quæ videntur & temporalia sunt, sed quæ non videntur & æterna sunt. Superest tandem, Christe, ut omne genus humanum triplicem illam sapientiam, quæ de deorsum est, nec de sursum descendens (ut Apostolus tuus Iacobus loquitur) nempè terrenam, animalem & diabolicam abjiciens; religiosè trinam in tribus unius Numinis Sapientiam, Generantem, Genitam & Spiratam veneretur atque suspiciat.

LIBER SEPTIMUS.

De Scientia contingentium absolutè futurorum.

CUM ex præcedente libro constet intellectum in Deo reperiri, & quidem consideratum aliquo modo sub ratione actus, sive primi, sive secundi: Expositumque ibidem sit quicquid ad cognitionem intuitivam perfectionum ipsi Deo intrinsecarum pertinet: Quicquid item ad possibilium creaturarum simplicem intelligentiam. Nunc post prædicta necessaria Divini intellectus objecta, investigandum occurrit quomodò contingens cognitio Divina se ab æterno habuerit circa objecta quæ, cùm possent non esse, erant aliquando absolutè futura. De objectis verò contingentibus sub conditione futuris agemus distinctè postmodùm libro integro. Præsenti autem libro explicandum occurrit. Primo quidem capite, quæ sit, & in quo fundetur propriè contingentia. Se-

cundò exponetur eorum opinio, qui agnoscunt cum Cajetano aliquid intrinsecum in Deo propter Scientiam seu visionem contingentium. Tertiò repudiabitur omninò, atque rejicietur illa sententia. Quartò inquiretur, an Deum necesse fuerit videre immutabiliter ab æterno quæ futura erant. Quintò vtrum Deus contingentia videat in comprehensiva cognitione causæ liberæ? Sextò, vtrum in Ideis, aut Decreto Divino? Septimò, vtrùm per præsentiam realem in mensura æternitatis Divinæ. Octavò exponetur verus modus, quo Deus videt contingentia absolutè futura. Nonò deniquè addetur moralis circa Divinam rerum contingentium intuitionem consideratio.

CAPUT I.

Quæ sit, & in quo fundetur propria veraque rerum contingentia.

1. QVÆDAM intelligi potest impropria contingentia, quæ sit respectu subjecti per se ac præcisè sumpti; quando nempe subjectum aliquod non magis vindicat sibi ex naturâ suâ tale prædicatum, quàm oppositum. Eo modo fuit contingens quòd, verbi gratia, Romani Capitolii turris aliquando de Cœlo tacta deflagrarit: Nam licet omnibus, quæ re ipsâ intervenerunt, consideratis naturalibus causis à Deo non impeditis, necessarius fuerit neque contingens talis effectus: Applicatis siquidem illis causis nec suspensis, impossibile erat non decidere fulmen, & turrim non inflammari. Tamen quantum attinebat ad ipsius naturam & exigentiam turris seu subjecti, poterat non esse talis incensio; Si nempe causæ ejus externæ vel non extitissent, vel aliunde fuissent impeditæ. Quare hæc contingentia vocari potest respectu subjecti extrinseca; quia necessitas effectus qui evenit, sive (quod idem est) necessitas hujus propositionis, turris deflagravit, amoveri non poterat per vim intrinsecam ipsius subjecti seu turris; nullo enim modo poterat illa impedire jactum, ictumque fulminis. Sicque tota ratio, cur non fuerit in eo eventu necessitas, sed mera contingentia, inde provenit; quòd vis quædam extrinseca, ut potuerat, non intercesserit, quæ causas aut applicari vetaret, aut applicatas suspenderet. Quod si talis vis extrinsecè impediens, non liberè, sed necessariò se interposuisset; ea reddidisset omnino necessariam negationem conflagrationis: Si verò se interposuisset, non necessariò, sed liberè, tàm contingens fuisset non comburi turrim, quàm ejus contingens fuit incensio.

2. De hac impropria non disputamus jam contingentia, quæ est tantùm respectu subjecti, & quæ potest cum fatali consistere necessitate, hoc est, cum serie & colligatione causarum per se necessariarum, nec impeditarum; constat enim talem contingentiam non obstare, quominùs effectus dicatur simpliciter necessarius, & qui infallibiliter cognosci possit ab Angelo in suis causis completis: Esto, possit effectus non existere, si non omnes simul causæ considerentur, sed sola aliqua causa partialis, seu si supponatur possibile impedimentum aliquod extrinsecum. Agimus ergo de contingentia propriè sumpta, quæ non est nec respectu solùm subjecti per se sumpti, nec respectu causæ partialis, sed nec etiam respectu collectionis integræ causarum ita sufficientium ad productionem alicujus effectûs; ut non obstante tali sufficientiâ, maneat tamen intrinseca in eadem collectione possibilitas non producendi, posito impedimento. Atque ita effectus verè dicatur respectu suæ causæ completæ & totaliter consideratæ indifferens.

3. Sunt qui putent hoc genus veræ contingentiæ non in alia fundari causa, quàm in Dei voluntate; itaut nihil fit contingens, nisi quatenùs dependet ab illius libertate vel solâ operante, vel alijs se admiscente causis. Vnde asserunt, si Deus ageret necessitate naturæ nullum fore contingentem effectum. Hæc est sententia Scoti in 1. dist. 2. q. 2. & dist. 8. q. 5. & in 2. dist. 1. q. 1. Eumque sequuntur Cordubensis lib. 1. Quæstionum Theologicarum q. 55. Lichetus & alij Scotistæ. Putant enim isti (ut fatetur idem Cordubensis dubio 4.) concursum Dei generalem cum causis secundis esse influxū, non immediatè in effectum causarum secundarum, sed in ipsasmet causas, quæ à Deo efficaciter moveantur ac applicentur, & per consequens priùs naturâ effectum respici à causa prima, quàm à causa secunda. Ex quo manifestè conficitur totam rerum contingentiam fundari in sola Dei voluntate tanquam in sua radice; nullumque fore contingentem effectum, si Deus ageret necessitate naturæ. Contra hanc Scoti doctrinam parum tutam in fide, & libertati creaturarum adversantem.

4. Dicendum est contingentiæ radicem esse multiplicem, & non solam Dei volutatem. Explicatur. Primò quidem dubium non est, quin ipsa Divina voluntas possit fundare veram propriamque contingentiam. Nihil enim fit, quod non supponat liberum Dei decretum, saltem permissivum, necnon actualem concursum; & quod Deus non posset impedire, si vellet. Atque hic attendendum est reprehensos meritò fuisse à Scoto in 2. dist. 1. q. 3. Aristotelem, antiquosque Philosophos, qui censuerunt Deum utputà immutabilem, non operari posse quicquam liberè, nec aliud aut alio modo producere, quàm producat: & tamen hominibus liberum tribuerunt arbitrium; ut constat ex Aristotele lib. 9. Metaph. In qua Philosophorum doctrina est contradictio. Nam cùm libertas citrà mutabilitatem & potentialitatem sit perfectio simplex; Deo potiùs quàm creaturis debet convenire. Prætereà si Deus agat ex necessitate naturæ, & quantùm potest; dum voluntatem humanam excitat, quæ nihil agere nisi ab eo mota potest; nullam ipsa voluntas humana libertatem habet. Non enim Dei potest motioni resistere. Quare non potuere Philosophi Deo libertatem agendi denegare, quin simul hominibus eam adenierint. Quæ fuit causa, cur Scotus nullam in hominibus libertatem, aut in operibus eorum contingentiam agnoverit, nisi

Deus cum libertate operari intelligatur. Qua tamen in re non bene is ratiocinatur. Nam licet de fide sit Deum & liberum esse, & liberè voluntates nostras, dùm iis cooperatur, movere: Tamen si per suppositionem impossibilem fingeremus Deum ex necessitate suæ naturæ operari easdem ipsas (non autem alias) motiones quibus voluntates nostras excitat, nullo modo tolleretur nostra libertas, nec enim eæ motiones alium haberent effectum, quàm habeant. Dicere autem per has ipsas motiones immissas à Deo liberè operante salvari nunc actionum nostrarum contingentiam propter solam Dei libertatem & non aliter; adversatur libertati humanæ, Fideique Catholicæ. Iuxta quam est omnino admittenda.

5. Secunda contingentiæ radix: nempe liberum cùm Angelorum tùm hominum arbitrium. Cùm enim libertas sit essentialiter indifferens, non potest non habere contingentes effectus. Quare licet (ut jam dictum est) supponeremus Deum, prout cum creaturis concurrit, non esse liberum, sed ubi determinatur à causa secunda operari ex omnimoda necessitate; non tamen desinerent Angeli & homines contingenter operari, & effectus eos reddere contingentes, quorum productioni se immiscerent aut quos cùm impedire possent permitterent. Dummodò tamen Deus ita ex necessitate operans, & cum causis concurrens liberis, earum determinationem non antecederet; sed (ut facit) sequeretur eo ferè modo, quo habitus cum nostra voluntate agit. Alioqui enim valeret opinio Scoti, nullam absolutè posse salvari ulla in re contingentiam sublatâ Dei libertate.

6. Ex hac secunda radice contingentiæ intelligi potest, quomodò Angelus videns, verbi gratia, causarum naturalium in hoc universo seriem, conjunctionem, &c. possit, quamdiu abstrahitur à causis liberis sese immiscentibus, prævidere infallibiliter omnes naturæ effectus: Quot sint futuri hoc vere flores, quot æstate folia, quot racemorum vuæ, quot flaturi vsque ad mundi finem venti, quæ pluviæ, quæ futura frigora &c. At verò cùm non abstrahitur à causis liberis, non potest ullus creatus intellectus, nec fortè ullus creabilis cognoscere infallibiliter futuros effectus; utpotè contingentes, & in nullo medio quod jam præsens & applicatum sit cognoscibiles.

7. Notandum verò est voluntatem hominum, & fortè Angelorum, posse nonnunquam propter defectum intellectus imperfectè attendentis perdere summam illam libertatis perfectionem quæ sufficeret ac necessaria esset ad peccandum mortaliter; & eam retinere tantùm, quæ sufficiat ad peccandum venialiter. Assero autem & hunc diminutum libertatis gradum posse esse alicujus fundamentum contingentiæ; ut per se patet. Vnde ulteriùs addo cum Molina disp. 2. & 12. pueros & dementes, quamvis nec venialiter possint peccare ob defectum cognitionis rationum moralium; nihilominus habere aliquam imperfectam libertatem, secundùm quam non tantùm operentur spontè; sed etiam multa sic agant; ut ea, si vellent possent non agere, vel agere contraria. Quare & hi per suum hujusmodi qualecumque arbitrium contingentiam quorumdam effectuum fundare possunt.

8. Probabile item est dari nonnumquam tertiam radicem propriæ contingentiæ; Appetitum scilicet brutorum circà quædam objecta. Quamvis enim non agnoscamus in brutis imperfectam illam libertatem, quam in pueris & amentibus; tamen non puto absurdum quod Molina illa disput. 12. docet, esse in eis umbram & vestigium libertatis quoad aliquos motus; itaut in eorum potestate sit in unam potius quàm in alteram partem moveri. Exempli gratia; quando bellua, ob diuturnum incommodumque fatigata corporis situm, ambulare appetit, neque ad unum allicitur magis locum quàm ad alterum; videtur in ejus esse potestate, ut seipsa determinet. Idemquè puto si proponerentur illi esurienti bina hinc & inde cibaria æquè appetibilia, æque distantia &c. Talis enim determinatio non videtur superare perfectionem appetitus sensitivi; nec indiget præcognitione indifferenti, collativa & comparativa vnius objecti cùm alio. Nec enim necesse est in ipsis etiam hominibus, ut talis antecedat cognitio; quando, verbi gratia, tendunt aliquò, & gressibus magis vel minus concitatis pergunt, aut in unam partem viæ minus incommodam pedem immittunt, eam declinantes, quæ minus commoda est &c. Satis etiam esse potest velut impetus quidam indeliberatus; cum æquali apprehensione duorum æqualiter trahentium, sed incompossibilium simul quoad assecutionem; itaut ad unum accessus, sit recessus ab altero. His positis difficultates aliquæ occurrunt celeberrimæ circà cognitionem, quâ Deus objecta veram propriamquæ contingentiam habentia intelligit. Et prima, vtrum ea contingentium intelligentia ponat in ipso Deo quippiam intrinsecum supra essentialem intelligentiam.

CAPVT II.

Proponitur cum omni sua difficultate illorum opinio, qui per scientiam contingentium advenire Deo putant perfectionem intrinsecam.

1. ADVERTENDUM est intellectiones contingentes aliquas esse Deo liberas, quæ nimirùm sequuntur ipsius determinationem; quales sunt eæ intellectiones quibus ab æterno cognovit creaturas ex suo decreto existentiam reapsè absolutèque habituras: Alias verò non ei liberas: Quæ licet ab aliqua creata libertate possibili (sed necdum cognita ut absolutè futura) contingentiam habeant, non tamen ab ullo quod de ijs Deus habuerit, decreto pendent. Hujusmodi est omnis scientia media. De quo genere scientiæ agemus infrà. Porrò cùm rerum possibilium certum sit à Deo ex æternitate cognosci & omnes aliquarum futuras existentias, & omnes aliquarum futuras non existentias. Inde fit, ut quot complexiones sive propositiones de futura contingenti rerum existentia, & quot item de non existentia veras esse Deus novit, totidem illarum contradictorias noverit esse falsas; idque per notionem, ut per se patet, contingentem, cùm omnes, quà existentiæ, quà non existentiæ pendeant ab ipsius Dei libertate. De omnibus prædictis contingentibus cognitionibus quæritur, utrùm aliqua perfectio intrinseca Deo per illas conferatur. Hæc verò quæstio non magis ad intellectiones Divinas, de quibus jam disputamus,

quàm ad contingentes volitiones, & ad decreta ipsius Dei contingentia pertinet. Eadem enim est & fortè major de istis difficultas.

2. Cajetanum reprehendunt graviter Ferrariensis, Bannes, Medina, Suares, Valentia, Vasques, & quamplurimi recentiores quod asseruerit in prima parte q. 19. a. 2. & 3. necnon 3. parte q. 1. art. 1. volitionem producendi creaturas (& consequenter intellectionem omnem contingentem) esse perfectionem quandam, sive (ut ipse fatetur) distinctam ex natura rei, sivè (ut alii malunt) solâ ratione diversam à perfectionibus Dei essentialibus: Quæ perfectio duas habeat conditiones: nempe 1. ut sit libera; quæ conditio est diminuens; facit enim ut hæc perfectio potuisset non esse ab æterno, ac proinde ut non sit perfectio simplex, sed velut attenuata; & 2. talis ut per illam Deus extensivè tantum reddatur perfectior, non autem intensivè; propterea quod ipsam contineat in sua essentia eminentissimè. Contendunt hanc Cajetani doctrinam, licet intra sphæram rationis naturalis habeat plausibilitatem, & magnam facilitatem, nihilominus Theologicè spectatam, non satis consequenter ad fidei principia loqui nec dignè de Deo sentire. Asserunt itaque visionem Divinam quæ terminatur ad objecta contingentia (verbi gratia damnationem Iudæ, creationem mundi &c.) non addere supra essentiam Dei, seu supra cognitionem illam simplicis intelligentiæ, quâ cognoscitur ut possibilis damnatio Iudæ, creatio mundi &c. Quicquam perfectionis, quod sit intrinsecum Deo, sed dumtaxat connotationem seu relationem rationis, quæ poterat non esse ab æterno. Quomodo autem id intelligendum sit explicatur cap. sequenti vbi proferemus argumenta quibus hæc opinio Cajetani impugnatur.

3. Quæ argumenta licet illam non impugnent tantum, sed etiam aliquo modo damnent; non tamen adeò magnam invidiam ei conflaverunt, quin patronos habuerit illustres ex recentioribus non paucos à nobis inferiùs referendos. Neque ulli quantumvis Cajetano adversentur negare possunt, quin per ejus doctrinam facilè explicetur percipiaturque, quomodò intellectus Divinus exprimere dicatur objectum ullum contingens, aut hoc potius objectum quam aliud ei oppositum. Quam difficultatem omnes confitentur expedire se non posse; ut videre est in Suare, in Molina, & aliis passim. Cum igitur qui Cajetano adhærent nullum videant ostendi sibi posse in contraria opinione facilem exitum, difficultate ejus exterriti, sumunt ab illa ipsa difficultate præcipuam ac ferè unicam pro sua sententia rationem. Sicque formant argumentum. Nec explicari nec percipi potest; quomodò Deus cùm jam videt, exempli gratia, damnationem Iudæ, non aliter se habeat intrinsecè, quàm se haberet si eam non videret, sed solam illius possibilitatem intelligeret. Idem enim manens idem non potest facere nisi idem. Ergo necesse est aliquam perfectionem advenisse intrinsecam, quâ Deus exprimat vitaliter intelligatque objecta contingentia. Magnam vero vim accipit hoc argumentum ex adversariorum ad illud responsione. Nihil enim quod respondeant habere se fatentur; quàm visionem Divinam, quæ terminatur ad Iudæ damnationem, nequaquam supra Dei essentiam, seu supra illam cognitionem simplicis intelligentiæ (quâ intelligitur ut possibilis prædicta damnatio) quippiam perfectionis Deo intrinsecum addere; sed dumtaxat connotationem extrinsecam seu relationem rationis.

4. Quam verò difficile sit & obscurum quod ita respondetur, constat ex eo quod si connotationem & relationem rationis, quæ poni dicitur, ut Deus ad tale objectum determinari intelligatur, consideremus: Ea secundum suum esse formale non in Deo est, sed solùm in intellectu nostro comparante unum ad aliud per modum relati, cùm verè non sit relatum. Quare fieri non potest, ut illa relatio conferat Deo determinationem ad objectum contingens; quæ determinatio & vera est, & Deo intrinseca; priorque omni nostra relatione rationis. Nam propterea nos actum intellectionis Divinæ referimus ad objectum, quia Deus per eam videt ipsum. Si autem sumamus relationem rationis non in suo esse formali, sed in suo esse fundamentali; hoc est, si dicatur intellectum Divinum ad hoc potiùs, quàm ad aliud objectum determinari per fundamentum relationis rationis, quod in illo sit. Contra. Nam quærimus quodnam sit illud fundamentum. Nec verò quæstioni huic satisfiet, nisi assignetur aliquod reale, Deoque intrinsecum fundamentum.

5. Respondetur ad hoc, non posse nos fundamentum illud assignare superatos tanti Mysterij difficultate; nec posse id explicari in hac vita. *Quid sit in actu volitionis aut scientia Divina, quod fundet respectum rationis ad hoc volitum aut ad hoc scitum* (inquit Molina quæst. 14. art. 15. in fine) *libenter ab alijs discere vellem: & fortè id de numero eorum est quæ ab humana mente in hac vita comprehendi non possunt; in patria tamen perfectè videbuntur.* Eodem modo cæteri omnes ad aliam vitam nos remittunt. *Non vereor* (aït Suares in Metaph. disp. 30. sect. 9. num. 35.) *confiteri me nihil invenire quod mihi satisfaciat, nisi hoc solum, in hujusmodi rebus id de Deo esse credendum, quod ineffabili ejus perfectioni magis sit consentaneum; etiamsi modum, quo Deo id conveniat, non assequamur.* Sanè nullus est qui non videat rejiciendos illos apparenter esse, qui mentionem hic non faciunt, nisi relationis rationis seu denominationis extrinsecæ. Perspicuum enim est Deum verè videre, & per intrinsecum vitalemque actum exprimere objecta contingentia, quatenùs talia.

6. Cùm nullus sit, qui summam, quæ hic reperitur, difficultatem dissimulet; multos, & quidem primæ notæ Authores, is qui iam factus est discursus Cajetano adjunxit, etiam ex nostra Societate nonnullos prætérito iam tempore antequam Societatis Congregatio nona Generalis in Ordinatione pro studiis num. 24. eam sibi non placere, deincepsque cavendam nobis esse significasset doctrinam. Quæ mihi quidem antè aliquandiu necessaria visa erat; sic tamen ut perfectio contingenter Deo adveniens modus esset sola ratione distinctus. Non enim omnes in ea Cajetani sententia explicanda seu defendenda conveniunt. Ipsamque diversimodè docuerant, Henriques lib. ult. de fine hominis capite 3. num. 2. in gloss. litera A. Fonseca lib. 7. Metaph. cap. 8. art. 1. sect. 4. & 5. Salas 1. 2. tom. 1. quæst. 6. tract. 3. disp. 1. sect. 8. Martinonus disput. 14. sect. 4. Et quidam alij. Visus est Ariaga Cajetano favere tract. de voluntate Dei disp. 28. sect. 5. & disp. 29. sect. 2. argumenta omnia, quæ contra eam à Suare alijsque vulgò fiunt inefficacia esse asserens, & negans eam posse impugnari ex Scriptura vel Ecclesiæ definitione; quamvis ipsam tandem omnino rejiciat.

7. Manet igitur certum omnium confessione summam esse difficultatem explicandi na-

turali ratione modum, quo Deus salvâ suâ immutabilitate simplicitateque possit cognoscere contingentes creaturas: Atque istud fidei nostræ caput esse ejusmodi, ut in illius defensione & explicatione non possit species apparentis contradictionis evitari. Cum igitur hujus cognitioni mysterij naturale lumen potiùs officiat, quam prosit; locum hic habere debet quod ad cognitionem Trinitatis acquirendam præcipit Dionysius lib. 1. de mystica Theologia; *Vt alio scilicet, quàm naturalis rationis tramite ad illud Christianæ sapientiæ aspiremus cacumen; in quo solus Divinarum tenebrarum radius affulgeat, ut supra intelligentiam nostram docti teneamus, quod concipere non possimus; atque ut supremam ingressi Christianæ fidei caliginem nimio candore fulgentem, per id ipsum quod est nihil videre, ac per ipsam inscientiam valeamus eruditi evadere*, γνῶναι αὐτοῦ τοῦ μὴ γνῶναι. Quod nos mox proximo capite assequi conabimur.

CAPVT III.

Rejicitur illorum sententia, qui censent cum Cajetano perfectionem aliquam intrinsecam quocunque modo per contingentium scientiam Deo advenire.

1. DICENDUM omnino est à scientia rerum contingentium nullam perfectionem seu formalitatem realem conferri Divino intellectui, per quam Deus aliter se habeat intrinsecè, quàm se haberet in priori per scientiam simplicis intelligentiæ essentialemque cognitionem. Hæc conclusio difficiles intra sphæram luminis naturalis explicatus habet, sicut contraria videtur esse facilis & plausibiliter explicare quomodò mens Divina exprimere vitali actu dicatur contingentem creaturarum existentiam, & ad hoc potiùs quàm ad aliud objectum contingens terminari. Verùmtamen præponderat omni rationi naturali Divina, quæ hic agitur dignitas. Cui ut consulatur, nec injuria fiat ejus immutabilitati ac simplicitati (de qua est non tantùm certissimus fidei articulus, sed naturalis etiam evidentia) debemus nostrum intellectum potiùs ad quidlibet captivare, quàm cum Cajetano sentire. Nam clarum est primò Deum, qui (utpotè liber) antequàm se determinaret, erat in statu indifferenti, transire realiter juxta Cajetanum per voluntatis determinationem contingentemque visionem in statum, quem ex natura sua non habebat in priori rationis: quod autem is transitus in statum illum novum determinationis obsit ejus immutabilitati, constat. Est enim eadem virtualiter mutatio, quæ fuisset si transitus ille contigisset in tempore, seu temporis posterioritate.

2. Secundò per illum transitum ad statum determinationis destruitur Dei simplicitas. Si enim aliqua intrinseca & realis perfectio accedit supra Divinam essentiam; necessarium est, ut faciat cum hac aliquod genus compositionis, præsertim cùm quidam ita Cajetanum sequantur, ut velint accidere Deo modum re distinctum. Sed contra illos etiam ago, qui volunt indistinctum. Tertiò ex illa opinione admitti debet in Deo potentialitas respectu perfectionis ejus intrinsecæ, quam non non habet, sed potuisset habere; nempe respectu visionis & decreti circa salvatum Iudam. Addenda est & hæc contra Cajetanum valida ratio. Nam si is negat sequi ex sua doctrinâ quicquam contra immutabilitatem Dei, concedere pariter debet; Eodem modo quo vult Deum in æternitate potuisse acquirere in posteriori rationis perfectionem volitionis & intellectionis contingentis manente inviolatâ ejus immutabilitate; ita posse nunc ipsum Deum in posteriori temporis absque intrinseca sui mutatione acquirere novam intellectionem seu volitionem, vel etiam relinquere illam suam, quam habuit perfectionem, & aliam diversæ volitionis atque intellectionis admittere. Licet enim id contra constantiam esset, non tamen foret contra immutabilitatem physicam, neque contra simplicitatem magis quàm ante in ipsa æternitate cùm à statu indifferentis transijsse concipitur ad statum determinati.

3. Vt nostræ hujus intelligatur meliùs æquitas necessitasque doctrinæ, consideremus illius, quam Cajetanus inducit, perfectionis contingentis naturam & simul statum ejus attendamus in illo priori æternitatis signo; in quo nondum Deus concipitur habuisse liberum ullum decretum de condendis vel non condendis creaturis. In illo, inquam, priori Deus nec visionem damnati Iudæ, v. g. nec visionem salvati Iudæ habebat; sed erat indifferens ad illarum alterutram. Atque in illo signo neutra illarum visionum habere concipitur naturam perfectiorem quàm altera, nullo inter ipsas discrimine quoad hoc apparente. Posteà verò, cum visionem damnati Iudæ contigit reipsâ existere, visio ejusdem salvati relicta est in suo nihilo; nec aliquod habens venerationis meritum; sed potiùs contemptibilis, utpotè quæ nihil, & merum sit imaginationis idolum. Iam peto quâ conscientiâ possit aliquis adorare formalitatem (tanquam Deo contingenter identificatam) visionis damnati Iudæ; cùm talis formalitas ex sua natura sit ejusdem conditionis cum ea visione salvati Iudæ, quam adorare, esset adorare nihilum, & id quod est minùs quàm musca.

4. Nec dicas: Visio damnati Iudæ suprà visionem ejusdem salvati habet actualem existentiam. Contrà. Nam propterea non mutavit essentiam, quam habebat talem, ut posset, quantùm est de se, relinqui latens ac jacens in suo naturali nihilo, & esse in eodem nihili statu, in quo est visio salvati Iudæ. Nec potuit per illam suam contingentem existentiam, fieri ens antecedenter necessarium, sive ens per essentiam, atque ita evadere idem cum Deo. Manet enim, quòd ejus loco poterat esse altera opposita visio, quam velut competitricem habebat; in quo casu ipsa quæ vicit, & existentiam obtinuit, esset iam nihil. Confirmatur. Etenim quæ supponitur existere actualiter formalitas, non existit nisi ex libera Dei voluntate. Ergo est mera creatura, nec idem quod Deus. Sancti enim Patres inde Arianos damnabant, asserentes Filium Dei existere ex voluntate libera Patris; quia inde sequebatur illum esse creaturam. Dices: Formalitas illa est entitativè Deus. Respondeo: Non potest esse entitativè Deus; cùm non potuerit exuere rationem contingentis, & eam quam habet similitudinem conditionis naturalis cum altera visione, non existente, salvati Iudæ. Adde quod iuxta Cajetanum, videre actu Iudam damnatum, & videre actu Iudam salvatum, sunt duæ formalitates, quæ nequeunt in

sua existentia concipi ut duæ possibiles entitates diversæ. Nam tales sunt, ut quæcunque duarum existat, nequeat habere entitatem, nisi talem quam habitura foret altera, si re existeret. Ergo hæc formalitas seu visio damnati Iudæ non est dignior, ut sit entitativè *Deus*, *quàm visio salvati Iudæ*, *quæ nihil est*.

5. Non est, inquam, ea visio damnati Iudæ entitativè Deus, sive ens per essentiam: Quandoquidem si esset ens & existens per essentiam, non potuisset carere existentiâ & identificatione cum Deo: Poterat autem (si Deus Iudam non vidisset damnatum, sed salvatum) carere identificatione cum Deo, & non esse tunc ens per essentiam. Dices: Non valet consequentia: Potuit esse non existens: Ergo cùm existit, non est ens per essentiam, & identificatum cum Deo. Quemadmodum non valet: Vnio animæ rationalis cum corpore, si est idem cum anima, debet esse rationalis, seu idem cum ente rationali: Ergo cùm possit non existere, & tunc non esse rationalis seu idem cum anima; non potest esse rationalis, quando existit idem cum anima. Respondeo. Non est paritas: Nam esse identicè rationalem, non impedit, ne modus unionis possit carere existentiâ; quandoquidem anima quæ est per essentiam rationalis, non est per essentiam existens. Verum quidem est unionem, quandiu est in anima non posse non esse entitativè rationalem; cùm ab anima non distinguatur nisi per mentem. Sed non ideo cùm existit, est ens per essentiam; & nihil impedit, quominùs possit carere existentiâ. At visio damnati Iudæ cùm sit, quando est in Deo, ens per essentiam, talis esse debet, ut ei absolutè repugnet potuisse non existere.

6. Hactenùs evidenter ostensum est, quidnam visio Divina rei contingentis non possit esse: & vel ipsis auribus respui debere opinionem, quæ supra intellectionem essentialem asserit additam illam fuisse, velut intrinsecam Deo perfectionem; sive ea dicatur entitas, sive modus, sive formalitas per solam mentem distinctam. Neque opus est contrariæ sententiæ argumenta refellere, quæ nituntur solâ hujus obscuritate Mysterij, ut constat ex num. 3. & sequent. capitis præcedentis. Nec enim, cùm agitur de rebus fide Divinâ certis, deterrere nos ab ijs debet, sed potiùs in ijs confirmare credendi difficultas. Nam quæ potest esse major, quàm in credenda Trinitate, & Incarnatione Verbi, ejusdemque indigna Passione difficultas? & tamen quò plus id à naturali sensu abhorret, eò firmiùs credendum esse ait sapientissimè Tertullianus de Carne Christi cap. 5. Et præcipua Christiana laus consistit in fortitudine intellectûs; cùm id repudiato naturæ sensu, credimus, quod ab humanis cogitationibus longiùs remotum est, & propius ad Dei Majestatem declarandam accedit.

Rejicitur modus, quo aliqui nituntur hanc solvere difficultatem.

7. Superest ut investigemus quid igitur sit, cur Deus manens intrinsecè idem, & non habens ullam in se perfectionem visionis, quâ carere possit: illud tamen videat quod posset non videre; verbi causâ, damnatum Iudam? Et quomodò cùm non potuerit aliam habere perfectionem intrinsecam visionis quàm habeat, potuisset tamen videre, quem non videt, salvatum Iudam? Tota enim præsens in eo consistit difficultas. Rejiciendum verò imprimis occurrit, quod ad eam respondet Aureolus in 1. dist. 47. q. 1. art. 1. & ante illum Antisiodorensis 1. p. Summæ Theol. cap. 13. Quorum sententiam varij variè referunt. Et licèt illam Vasques disp. 80. cap. 2. asserat nullâ dignam esse reprehensione aut notâ; illique saltem ex parte adhærere videatur; Et eandem Herice disp. 16. cap. 9. dicat altissimè de Deo sentire, & acutissimè libertatem Dei explicare. Nihilominùs eam non tantùm Suares disp. 30. Metaph. sect. 9. num. 5. & seqq. pronunciat nullo modo defendi posse juxta principia fidei; sed & cæteri plerique Theologi graviore censura notant. Et quidem meritò. Cùm enim à Deo Aureolus potentiam actumque secundum elicitum, fultus quoad hoc bonis rationibus, amoveat; malè tamen affirmat exercitium libertatis in Deo non reperiri, sed tantùm rationem principij indifferentis in actu primo. Quod autem ita se res habeat, nec alia sit Aureoli sententia, manifestum est ex his ipsius verbis: *Deus*, inquit, *producit quidquid producit absque eo quo determinetur per aliquod velle intrinsecum ad producendum quod producit. Nihilominùs tamen debet producere voluntate quod producit, quia vult producere; propterea quia in sua potestate habet producere & non producere. Sicut, verbi gratiâ, ignis, si in sua potestate & dominio haberet, præsentem stipulam ignire & non ignire; dum igniret, diceretur voluntariè ignire: & quærenti cur igniret, responderetur, quia vult: non quia velle exprimeret aliquem actum determinatum, sed tantùm plenitudine potestatis.* Hinc patet istum authorem, studio servandi circa res contingentes Divinam immutabilitatem, non agnoscere in ipso Deo intrinsecam libertatis determinationem maiorem, quàm agnoscat in comburentis ignis non satis ad rem allato & frigido nimis exemplo.

8. Mirum verò est Vasquem, saltem ut verba sua sonant, tam propè ab Aureolo abfuisse, dum pari studio Divinam in hoc negotio immutabilitatem tuendi ait loco suprà citato verissimum esse quod affirmat Aureolus; scilicet non determinari Deum ad operandum potiùs quàm ad non operandum, nec ad hanc rem potiùs operandam quàm aliam, per intrinsecum actum. Addit porrò Vasques, cùm Deus velle dicitur creaturas, significari non modò quippiam extrinsecum, qualis est respectus rationis, sed simul actum vitalem de se indeterminatum, soloque respectu rationis determinatum extrinseco. Sicut voluntas contingens, nec in solo ad creaturas respectu rationis, nec in sola vitali operatione, sed in utroque consistit: Itaut per vitalem quidem actum Deus velit, per respectum autem rationis contingenter liberèque velit; quatenus hic respectus est ad non necessarias, sed contingentes creaturas, atque adeò ipse contingens. Cumque hujusmodi respectus, ex quo oritur contingentia, extrinsecus Deo sit, non est ullum inconveniens, quòd voluntas Dei, prout libera est, possit, quemadmodum ille respectus adesse & abesse, manente semper immoto & invariato actu vitali essentiâque Divinâ. Ipsum audiamus Vasquem, quid sentiat explicantem his verbis: *Rectè* (inquit) *vult Aureolus Deum non determinari ad producendum potiùs quàm non producendum per aliquod velle intrinsecum. Nam id quod intrinsecè in Deo est, non magis inclinat ad producendum quàm ad non producendum; Sed ideò liberè producit, quia nihil ex ijs quæ facit, refertur ad ipsum necessariò.* Verum difficultas hic nascitur, quodnam sit fundamentum

talis relationis contingentis, & non necessariæ.

9. Illud verò est, in quo velut inenodabili Vasquesius æstuat. Assignat enim pro fundamento illius respectûs seu relationis futuras creaturas: Quia scilicet res quæ possent esse non futuræ, sunt futuræ. At dùm quæritur, eurnam res sint potiùs futuræ, quàm non futuræ; non aliud respondetur, nisi quia Deus voluit liberè eas esse futuras: Voluit autem liberè ob solum respectum rationis, per quem est contingentia, atque ideo libertas determinata. Verùm est hic (inquam) evidens contradictio. Nam hujusmodi rationis respectus posterior est futuritione creaturarum, cùm hanc supponat, in eaque fundetur; & simul est anterior, utpotè constituens Divinam libertatem, ex qua pendet illarum futuritio. Ibique fit, ipso fatente Vasquesio, circulus. Asserimus siquidem creaturas propterea esse futuras, quia respectus rationis Divinam libertatem ad ipsarum volendam futuritionem determinavit: Et simul dicitur propterea respectum illum Divinam libertatem determinasse; quoniam ipsæ creaturæ erant futuræ. Audiatur quid in hac ipsa sua causa judicet Vasques: *Nodus hic meâ (inquit) sententiâ insolubilis est: vix enim possumus vitare circulum in reddenda ratione.*

10. Valentinus Herice disp. 16. cap. 10. & seqq. licet in eo eum Vasque conveniat, ut Aureolum & defendat & partim sequatur; longè tamen diverso modò philosophatur. Nec dubitat num. 82. asserere, ipsum Vasquem & ferè alios, qui cum eo Aureolum tuentur, decipi; cùm dicunt libertatem Dei nihil aliud esse, quàm essentiam seu actum necessarium cum connotatione extrinseca effectus, sive causalitatis. Putat ergo ipse Herice actum Dei necessarium continere in ordine ad creaturas intrinsecam quandam perfectionem, quæ sufficiat ut is actus sit illarum principium liberum, absque eo quod sit opus ullo actu elicito, ut omnipotentia immediatè agat. Quis vero sit hujus authoris sensus referemus num. 16. Cùm, si discedatur à Cajetani explicata superiori capite sententia, incidere necesse sit in difficultates inenodabiles; ad quas aliquomodo enodandas subtilia quorumdam Theologorum ingenia se applicuerunt. Quid Aureolus, & Antisiodorensis, quid Vasques, excogitaverint jam exposuimus; eosque nullum ab his exitum evasionemque difficultatibus reperisse ostendimus. Non verò ampliùs videtur operæ pretium quorumdam aliorum subtiles ingeniososque conatus discutere; putà Albertini cæterorumque quos Herice refert: Quandoquidem occurrendum est lectorum satietati, quam rerum similitudo & inculcata iteratáque circà idem explanatio parere solet. Quare cæteris omissis in uno tandem melius est Suare conquiescere: Quamvis nec in eo nobis penitus quietis esse licebit: Cùm ille modus, quo difficultatem tollit, difficultatis & ipse non nihil afferat: sicut infrà exponetur num. 15. & 16. Quomodò autem pro Suaris sententia suam Herice substituat, videbimus sub finem hujus capitis. Explicanda interim videtur ipsa Suaris opinio.

11. Nihil enim videtur dici posse commodiùs, quàm quod is author disp. 30. Metaphys. Sect. 9. num. 25. & seqq. asserit; nempe Deum actu proprio nec metaphorico (qui est ipsa eius essentia, & quo se essentialiter amat) velle futuras creaturas atque objecta contingentia sine ulla possibili accessione vel diminutione reali. Quod Divinum velle sit actus non elicitus, sed per semetipsum existens, atque subsistens; isque actus per suam infinitatem & superemineutiam possit attingere omnia objecta volibilia. Et qui licet non sit elicitus ab ulla potentia seu ab ullo actu primo, neque actus secundus, neque forma; Deo tamen conferat suo modo, tanquam effectum formalem, necessarium quidem & essentialem ipsius amorem Dei, & complacentiam circa creaturas possibiles, & de reliquo non conferat necessariò volitionem seu producendi seu non producendi has vel illas creaturas. In quo apparet incomprehensa quædam eminentia. Cùm enim creatus nullus actus volendi concipi possit esse in aliquo supposito, quin ipsi conferat totum suum effectum formalem volendi; itaut non sit in manu eius, qui talem possidet actum, velle aut non velle hoc vel illud objectum. Nihilominùs Divinum hoc velle, de quo disputamus, (cùm non sit forma informans, nec actus actuans, sed actus per se subsistens purissimus) valeat constituere volentem cum eminenti potestate ad attingendum vel non attingendum hæc vel illa contingentia objecta citra ullam suam Deive mutationem.

12. Comparando libertatem creatam cum increata, notandum est creatam libertatem, utpotè potentiam & actum primum, habere indifferentiam ad actus suos; & posse, non determinatam activè ab ullo, sed per seipsam, hunc potiùs quàm illum actum elicere; elicito autem actu non est indifferens ad ejus objectum; sed necessariò illud volendum est. Increata verò libertas non est indifferens ad actum; quem, cùm non sit potentia, nullum elicit; sed est indifferens ad objecta, nullo requisito determinante nec activè nec objectivè; sicut intellectio Divina requirit objectum, non propriè determinans, sed tantùm terminans. Quomodò cogitare quis posset, quod Cajetanus fingit contingenter advenire intrinsecum, idipsum eminenter contineri in ipsa substantia simplicis actus. Imò etiam fortè dici posset, volitiones omnes rerum contingentium contineri quodam modo in essentiali Divino esse; ut Aureolus ait in dist. 46. art. 1. posse nos hac imaginatione quasi manu duci, *ut concipiamus omnem volitionem contingentium reperiri formaliter in Divino velle essentiali, ut tali volitione Deus possit velle talem vel talem rem.* Verùmtamen iudico neutrum dici posse; nempe quòd Deus volitiones producendi creaturas, quas producere potest, in suo velle essentiali sive formaliter contineat, sive eminenter. Divinum enim essentiale velle non continet volitionem creandi rem quam Deus reipsâ voluit non creare: Sed cùm ab æterno decrevit mundum hunc, verbi causâ, condere; tunc ipsum velle essentiale fuit formaliter ipsa volitio illum condendi. Sic enim se habet velle essentiale Dei; quemadmodum si quædam daretur inter creaturas accidentalis forma coloris, quæ posset in subjecto causare quemcumque formalem effectum colorati: Ita nimirùm, ut posset per informationem suam reddere subjectum sive album, sive nigrum, sive puniceum, &c. pro voluntate artificis alicujus.

13. Hanc Suaris sententiam num. 11. paulò antè explicatam (quæ sine dubio est omnium opinionum, quæ in hac controversia vulgò proferuntur, optima) voluerunt nonnulli quibusdam similibus fulcire & non modò amplectendam, sed etiam facilem ostendere. Quoniam enim difficile in opinione Suaris illud est præcipuè, quòd asserat volitionem in Deo contingentem, v. g. mundi creandi,

nihil esse in ipso intrinsecum, quàm actum necessarium & essentialem Divinæ volitionis, non simpliciter, sed ut connotantem terminum extrinsecum, nempe mundum creandum, sive creationem mundi, sic ut terminus sit extrinsecus; & tamen ab eo extrinseco pendeat contingentia volitionis actualis Divinæ intrinsecæ. Quoniam ergo id est difficile, propterea conantur aliqui ostendere quibusdam ab Herice disp. 16. cap. 5. relatis exemplis posse esse contingentiam in prædicato intrinseco alicujus rei sine contingentia seu mutatione in entitate ipsius, hoc est, posse prædicatum volentis verè & intrinsecè creare mundum, competere Deo contingenter; & tamen, posito quòd Deus non esset volens creare mundum, nihil periret de intrinseca ratione volitionis illius suæ. Sunt autem hæc exempla. Primum sumitur ex relatione prædicamentali: Per hanc enim Petrus est pater filio existente, & ea prædicatio paternitatis dicit aliquid intrinsecum ipsi Petro; quod intrinsecum absque ulla diminutione, aut mutatione entitatis Petri extinguitur extincto filio. Secundum exemplum. Posito quòd veritas mentalis sit actui intrinseca, potest eadē propositio mentalis de vera mutari in falsam mutato extrinseco objecto, absque ulla entitatis suæ mutatione. Et idem est tertiò de bonitate & malitia morali actûs voluntatis; qui simili modo fieri potest de bono malus, accedente extrinsecâ prohibitione. Afferunt instantiam quartò de hodierna, verbi causâ, hominis duratione, quæ cùm sit prædicatum intrinsecum homini, cessare potest cras absque entitativâ hominis mutatione. Quintò de Omnipotentia Divina; quam dicunt non mutatum iri in entitate intrinseca, etiamsi res desinerent esse possibiles, &c.

14. Sed illa omnia sigillatim ab Herice meritò refutantur; nihilque ad elucidandam & probandam Suaris opinionem valent; quæ melioribus nititur argumentis. Quod ad primum exemplum attinet: Relatio cùm nihil sit quàm fundamentum, ut mens nostra unum ad aliud referat, nihil habet quod faciat ad propositum de contingente volitione Dei. Sed nec secundum, nec tertium. Non enim veritas aut bonitas ponunt quidpiam, nisi moraliter in subjectis suis. Denique quod dicitur de Omnipotentia falsum est: Ea enim non esset, si possibile nihil foret. Itaque nullum ex his exemplis commodum accidit opinioni Suaris: quæ in Mysterio tam obscuro videtur omninò propter rationes num. 11. à nobis adductas amplectenda.

15. Quæ tamen rationes, ut non tollunt in Mysterij ipsius substantia insuperabilem difficultatem, sic in modo illud explicandi novam ipsæ difficultatem afferunt vix minorem. Ait enim Suares, cùm actus liber nihil addat intrinsecum in Deo, non sumere tamen rationem liberi ab aliquo extrinseco, nec aliter ab eo pendere, quàm ut à simpliciter connotato. Id, inquam, maximâ non caret difficultate. Nam primò, quamvis entitas nulla intrinsecè accedat entitati Divinæ volitionis; ipsum nihilominùs Divinum velle, quod in primo rationis instanti circà creaturas indifferens adhuc erat, factum est in posteriori volitio creandi mundi; & habuit in Deo realem (qui antè non erat & suspendebatur) effectum formalem, constituendo Deum formaliter volentem creare. Is autem effectus (quemadmodum & mundi creandi visio, quæ in illo signo rationis secuta est) videtur aliqua esse in Deo perfectio intrinseca, ipsum per novam expressionem vitalem constituens volentem creare.

16. Secundò difficile valdè est in sententia Suaris, quòd ex una quidem parte velit meritò contrà Aureolum, Antisiodorensem, Vasquem, &c. liberum Dei actum non sumi ab aliquo extrinseco, nec in extrinseco ullatenus consistere: Ex altera verò parte contra Cajetanum etiam meritò asserat talem actum, ut liberum, nullam, in qua consistat rationem intrinsecam ponere in Deo supra rationem actûs necessarij & essentialis. Nihilominus defendat volitionem creaturas producendi; quæ nec sit quippiam extrinsecum; nec etiam sit, quatenus liberum, quicquam intrinsecum; esse realem liberam denominationem in Deo intrinsecam: itavt per illam Deus dicatur propriè & sine metaphora liberè velle creare, atque sit vera propositio hæc causalis, Ideò mundus existit, quia Deus reali formalique volitione voluit eum liberè creare. Inde enim sequitur talem liberam volitionem, quatenùs liberam, constitui in Deo per nihil. Nam non per quicquam extrinsecum, id est, non per relationem rationis, &c. nec per quicquam intrinsecum, id est, non per meram volitionem essentialem, nec per ullam perfectionem ipsi volitioni essentiali superadditam. Sed nec dici potest, quamvis nulla perfectio intrinseca addatur, satis esse quòd connotetur extrinsecum, nempe creatio mundi, seu mundus creatus. Nam juxta Suarem illud extrinsecum connotatum nec constituit, nec ingreditur intrinsecè rationem liberæ volitionis; sed ad illam se habet ut color visus ad visionem, quam (utpotè actum vitalem) dum extrinsecè terminat, nullo modo constituere potest intrinsecè. Quis enim dicat oculum meum constitui formaliter videntem, seu vitaliter operantem per colorem ipsi extrinsecum, nec nisi extrinsecè necessarium. Eodem modo quis dicat volitionem Divinam constitui, ut liberam, per connotatum quod illam nullatenùs intrinsecè ingreditur ut talem? Quamobrem ex Suaris opinione volitio ut libera, intra Deum reperitur, & tamen nihil reperitur, quo illa volitio constituatur ut libera. Superest igitur hoc unum supplendum in opinione Suaris, ut nempe assignet, quid sit illud quod volitionem in Deo constituat ut liberam.

17. Conatus est id supplere Valentinus Herice disp. 16. cap. 10. ubi ex multo prolixoque discursu hic ejus resultat sensus. Dei nempe libertatem consistere in volitione subsistente, ut comparatur ad creaturas & effectus contingentes; ita ut sit (licet simplicissima) universalis rerum omnium singularumque bonarum amor, malarum odium. Et Deus per eam volitionem sit principium indifferens ad omnia entia & non entia, bona, mala, quorum futuritionis aut non futuritionis causa esse potest. Is eo modo consideratus actus in Deo est libertas, quasi in actu primo: Est autem libertas in actu secundo, ut conjungitur cum effectu extrinseco sive positivo, sive privativo, aut cum dependentia quadam rei in ordine ad futuritionem, aut non futuritionem. Ex dictis constat hunc actum non esse elicitum; cùm nullam Deus habeat volendi potentiam: non item esse immanentem, neque transeuntem, sed actum purissimum subsistentem: qui continet complexum ex amore subsistente & effectu transeunte; sicut in creatis, actus liber continet complexum ex principio seu potentia indifferente & actione productiva volitionis immanentis. Deus autem per hunc vivit actum, ut est amor subsistens; non verò per ejus actionem, utpotè transeuntem.

Itaque

Itaque cùm prædictum actum Divinæ volitionis subsistentem Heriee sic concipiat, quasi continentem omnium rerum bonarum complacentias seu volitiones, putat productiones externas ab eo immediatè procedere absque ullo alio formali determinationis aut volitionis effectu; sicut in nobis post elicitam volitionem movendi manum, immediatè hoc ipso talem motum potentia motiva exequitur. Sic quidem Heriee putans eo modo vitare difficultatem quam diximus superesse in opinione Suaris.

18. Sed incurrit ipse in similem, nec minorem difficultatem. Non enim assignat quid sit, cur ex infinitis aliorum, verbi causâ, mundorum Divinis complacentijs, seu volitionibus, complacentia hujus mundi habuerit effectum in actu secundo. Quapropter constat Mysterium hoc Divinæ libertatis esse unum ex maximè incomprehensis, & à mortalium in hac vita degentium intelligentia longissimè disjunctum. Atque omne quod est ultrà id quod à nobis dictum est, tam sapientibus, quàm insipientibus esse inaccessum, ut hanc in rem meritò illud usurpemus Pindari Olymp. 3. τὸ πρόσω δ᾽ ἐστι σοφοῖς ἄβατον κ᾽ ἀσόφοις. Et quod idem ipse alibi de diebus temporis dixit, eos detecturos quod nunc latet; id de diebus æternitatis dicamus, ἀμέραι ἐπίλοιποι μάρτυρις σοφώτατοι. Hoc est, dies futuri detegent res has ignotas, ut testes sapientissimi. Possumus hoc, inquam, ipsum meliori jure usurpare de diebus, qui futuri sunt, æternitatis; illorum expectandum nobis sapientissimum testimonium. Nam si Latinorum aliquis Philosophus verè dixit, tempus est sapientissimum, quia detegit omnia; verius id æternitati convenit, ubi de rebus Divinis agitur.

CAPVT IV.

An necesse fuerit Deum ab æterno videre immutabiliter omnia, quæ in temporum decursu vidit.

1. CVm ex suprà dictis certum sit Divinos actus contingentes nequaquàm obesse immutabilitati; quandoquidem non terminantur ad hæc potiùs, quàm illa objecta per additionem alicujus seu formæ, seu formalitatis intrinsecæ; quam Deo intulerint: nihil omnino repugnaret ex parte immutabilitatis, nisi aliud esset inconveniens, quominùs in tempore Deus cognitiones & volitiones contingentes, tùm acquireret novas, tùm antiquas deponeret. Verumtamen aliunde est repugnantia. Itaque dicendum est Deum quascumque res contingenter vel intelligit, vel vult eas intellexisse & voluisse ab æterno; & intellecturum esse voliturumque in æternum; ita ut circa objecta contingentia nullum actum deponere valeat, nullum acquirere. Hujus veritatis ratio sumitur ex eo quod desitio vel inceptio talium actuum inferret Deo, si non veram physicamque formæ depositionem aut acquisitionem, ut dictum est, at certè aliquod aliud argueret genus imperfectionis. Quod alia quidem ratione explicari debet respectu visionis, & aliâ respectu volitionis.

2. Quod ad visionem attinet, evidens est intellectum Divinum ita esse perfectum, ut nunquam possit ignorare quicquam quod scibile sit. Quare statim atque veritas aliqua esse incipit, debet à Deo cognosci. Cùm igitur ab æterno verum extiterit mundum in tali creandum esse temporis differentia, & Iudam futurum in tali quidem bonum, in tali verò malum, &c. debuit ex omni æternitate Divina intelligentia determinari ad ea cognoscenda objecta. Vt autem cognitio illa vindicetur ab omni imperfectione, oportet ut futura objecta non abstractivè, sed intuitivè attingat, debet nempe tam acutum ac validum concipi lumen intellectuale Dei, ut ex summa suæ æternitatis specula percurrat, & suâ velut trajiciat acie omnes temporum differentias; atque rei cujuslibet existentiam attingat in seipsa cum omnibus suis circumstantijs. Et non secùs ac nos omnem solemus locorum intra nostri sphæram prospectus positorum diversitatem sic penetrare, ut remotum objectum in seipso attingatur; atque nostra invariata visio ipsum comparet cum omnibus locorum differentijs; illudque advertat, prout magis vel minùs recedit, variè distare, esse ante; esse post, esse ad latus, nullo autem modo distare ab eo spatio quod occupat. Sic Deus variè objecti sui existentiam comparat cum singulis temporum differentijs, &c. Itaque ab æterno & in æternuum cognoscit creationem mundi, ut futuram quidem respectu eorum omnium imaginariorum temporum; quæ ipsam præcesserunt; ut præteritam autem respectu eorum, quæ subsecuta sunt; at verò ut præsentem respectu ejus præcisè temporis, quo facta est. Vnde advertis, quot sunt temporis differentiæ, tot esse in uno simplici actu, velut cognitiones atque comparationes objecti invariabiles & æternas.

3. Porrò quod ille actus Dei tam plenus & tam perfectus nomen habeat visionis, prævisionis, postvisionis, pertinere potest ad solam denominationem extrinsecam. Quatenùs enim ille actus, qualis & quantus est, præexistit reali existentiæ objecti quod videtur, potest vocari prævisio; quatenus autem ei coëxistit visio, at quatenus superstes perseverat, postvisio. Atque ex his intelligis quomodo responderi debeat, quando dicitur: non cognoscit jam Deus creationem mundi ut futuram, sed ut præteritam, & ante decem millia annorum haud noscebat ut præteritam, sed ut futuram: Ergo mutavit cognitionem. Fateor enim Deum ante decem millia annorum vidisse creationem mundi ut futuram, nunc autem non videre ut futuram: Et tamen nego ullam Deum cognitionem amisisse. Nihil enim amisit, nisi visionis suæ denominationem extrinsecam, cùm formalem & intrinsecam perfectionem ejus semper eandem servarit. Certè quemadmodum Deus non habet hodie respectu mei præexistentiam, sed coëxistentiam; & postquam mortuus fuero, desinet esse coëxistens, & incipiet habere postexistentiam: Sic per unius & ejusdem visionis formam varijs temporibus præexistentem, coëxistentem & postexistentem respectu sui objecti, concipitur habere successivè prævisionem, visionem, postvisionem absque ulla sui mutatione intrinseca.

4. Quod ad voluntatis actum spectat, reddenda est alia ratio, cur illum Deus invariatum habeat ab æterno, nec possit vel deponere, vel acquirere in tempore. Eius enim ratio non petitur, ut suprà de visione dicebamus, ex objecto suam futuritionem ab æterno, & existentiæ veritatem habente: Quandoquidem ante omnem Divinæ voluntatis actum

non habent objecta futuritionem aut veritatem ullam existentiæ, quæ determinet voluntatem. Non enim sunt futura, nisi quia Deus ea vult & decernit. Ratio ergo cur in tempore Deus nullam voluntatem vel deponere, vel novam habere possit, peti debet ex eo quòd non potest Deo convenire nec animi inconstantia, nec ullus imprudens modus se gerendi in suis decretis. Hoc enim moralium imperfectionum genus non minus repugnat primo enti, quàm physica mutatio. Imò quando Scriptura commodat immutabilitatem Dei, non minus intelligenda est de morali immutabilitate, quàm de physica. Dico autem mutabilitatem moralem circa consilia & decreta, habere indignitatem satis magnam, ut per seipsam arceatur à Deo.

5. Quod perspicuum est non modo si mutabilitas sic intelligatur, ut cùm susceptum esset consilium de duobus, verbi gratia, mundis creandis, illud postea deponeretur, & mutaretur in decretum de unico producendo mundo; sed prætereà si mutabilitatem sic exponamus; ut non deponatur quidem prius decretum; sed ut post æternam voluntatis ab omni decreto suspensionem liberam, incipiat posteà Deus (dans actui suæ voluntatis novam terminationem, seu ad novum objectum tendentiam) induere mentem producendæ alicujus creaturæ. Quis enim non videt hunc agendi modum excludere alium perfectiorem? Certè si supponimus, ut debemus, intellectum Divinum omnia plene ab æternitate considerasse, & judicium tulisse de omnibus, quæ ad aliquid decernendum requiri possunt, non potest prædicta voluntatis suspensio non esse leve quoddam, & pucrile libertatis inutilis exercitium; nec potest negari, quin longe perfectior sit alius operandi modus; quo Deus post omnia in alterutram partem considerata determinatè conclusèrit singula, tanquam à se vel facienda, permittenda &c. vel non facienda, non permittenda &c.

6. Vnde advertis, Deum quamvis ex æternitate fuerit indifferens ad liberos actus cùm intelligentiæ, tùm voluntatis: Tamen non potuisse loco unius actus habere meram illius negationem & meram ab alio ei opposito actu suspensionem. Necessarium enim est, ut si careat uno actu, habeat alterum positivum, & oppositum. Quare non potuit habere nec plures, nec pauciores actus, quam de facto habeat; licet potuerit eos non habere quos habet. Necesse est enim, ut circa quodlibet objectum producibile, Deus habeat ab æterno vel voluntatem ipsum producendi seu permittendi, vel voluntatem positivam non producendi seu non permittendi; ac per consequens ipsius vel visionem futuritionis, vel visionem non futuritionis. Oportet igitur, quantum attinet ad voluntatis actus liberos, ut mediam solum habeat partem ex ijs omnibus possibilibus: cùm enim habuit decretum creandi mundum caruit decreto, quod alioquin certissimè habuisset positivum, non creandi mundum; & sic de aliis. Quod verò ad scientiæ actus attinet, habet quidem mediam eorum partem; nam cùm habet scientiam creationis Antichristi, caret positivâ scientiâ possibili non futuritionis ipsius Antichristi, &c.

7. Verumtamen considerandum est, in complexionibus contradictionum objectivarum, necessarium esse, ut quot partes scit esse veras, totidem eisdem contradicentes sciat esse falsas. Quare cùm nulla sit complexio contingens, in qua uni membro non contradicat alterum; oportet, ut semper unam dimidiam partem complexionum omnium contingentium Deus ab æterno sciverit esse veram, & alteram dimidiam sciverit esse falsam.

CAPUT V.

Vtrùm Deus contingentia absolutè futura videat in causa creata libera atque completa perfecta comprehensione.

1. HACTENUS de Divina cognitione objectorum contingentium in genere, disputavimus; atque illam cum summi Entis immutabilitate conciliare nisi sumus. Quia tamen contingentia spectari possunt non tantum simpliciter, sed etiam ut futura, sive absolutè, sive conditionatè, & utrocumque modo futura spectentur; disputatio de Divina eorum cognitione non parum difficultatis habet. De illis quæ absolutè futura sunt præsens instituitur caput cum duobus sequentibus; ut quo illa modo videre Deus ab æterno potuerit, exponamus. Quod autem ea spectat quæ non absolutè futura sunt; sed quæ, si certa quædam conditio poneretur, forent; quia de illis majore studio contentioneque his presertim temporibus disputatur; ideo sequens integer liber destinatus à nobis est explicationi cognitionis ejus, quam de ipsis Deus habet certissimam, & quam vulgo dicunt *scientiam mediam*.

An futura contingentia veritatem determinatam habeant.

2. Nunc circa contingentia absolutè futura, duplex nobis occurrit quæstio. Prior est. An ea cognosci potuerint ab æterno, sive an determinatam habeant veritatem. Nisi enim hanc determinatam habeant, non sunt scibilia: Posito autem, quod eorum determinata sit veritas, cognoscique ab æterno potuerint; Superest quæstio secunda quoad modum, quo Deus illa præscire possit. In priori quæstione, ipsi etiam impensè versantur contra suum Aristotelem Philosophi ad librum de interpretatione; & videri potest Suares in Opusc. lib. de scientia contingentium cap. 2. Certè huiusmodi futura per certissimam scientiam à Deo clarè cognosci tam compertum est, ut contrarium insaniam esse dixerit Augustinus lib. 5. de Civit. cap. 9. Et quidem Patres, ut futurorum cognitionem certam esse significent, dicunt futura omnia Deo esse quasi præterita; ut indicent esse claram & distinctissimam, aiunt futura omnia Deo esse præsentia. Certam esse Tertullianus asserit cap. 5. contra Marcionem his verbis, *Divinitati competit reputare perfecta quæcumque decreverit.* Et Hieronymus in Ieremiam; *Deo, necdum facta, jam facta sunt*, inquit. Clarè videre Deum ut præsentia quæ futura sunt, affirmat lib. 1. de fide, Ambrosius, *Deo*, inquit, *quæ futura sunt, præsentia sunt.* Eleganter & pressè de Deo Marius Victor. *Quicquid tempora volvunt, præsens semper habet.* Accedit ad hæc Scripturæ authoritas: *Intellexisti cogitationes meas de longè* (ait

David psal. 138.) *Semitam & funiculum meum investigasti, & omnes vias meas pravidisti: Tu cognovisti omnia novissima & antiqua.* Item Ecclesiastici cap. 23. *Oculi Domini lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominis, profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim antequam crearentur omnia sunt agnita.* Quod idem Susanna his apud Danielem cap. 13. verbis; *Deus aterne, qui nosti omnia antequam fiant.* Imo talia nosse futura contingentia proprium esse Dei asseritur Isaiæ cap. 41. *Annunciate nobis futura, & dicemus quia Dii estis vos.* Pro hac veritate perpetuum sunt omnes ferè Scripturæ Sacræ testimonium; quæ Prophetiis maximè constant: Itavt merito dixerit Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 5. *Deum quot fecit Prophetas, tot habere testes præscientia sua.* In novo Testamento multa futura contingentia prænunciasse Christum Evangelistæ prodiderunt.

3. Nec valent quicquam objectiones; quæ contra veritatem determinatam futurorum hujusmodi contingentium proponi solent; depromptæ ex errore Aristotelis. Quod nimirum futura hæc tandiu indeterminata sint, quandiu eorum causæ non se determinarunt: Atque si ponamus esse ventura, & determinatè vera priusquam eorum causæ existant aut de ipsis cogitaverint; non supersit in eorum causis determinandi se ad alterutram partem libertas. Quomodò enim rebus jam determinatis ut futuris, & à Deo prævisis, aut etiam prædictis, possunt earum causæ facere; ut quod ex æternitate verum fuit, mutetur in falsum? Et quæ infallibilis est prævisio Dei aut etiam prædictio eludatur? Certè (ut sibi objicit Boëtius prosa 3.) *Quod eventurum Deus videt, id non evenire non potest: Quod autem non potest non evenire, id ex necessitate contingit.* Ad hoc Theologi & ipsi etiam Logici respondent, objecta hæc futura determinatam ac definitam habere veritatem præsentem non præsentis existentiæ, sed futuræ. Ad quam futuritionis determinationem non est opus ut causæ jam determinarint seipsas; sed satis est, si determinandæ sint suo tempore. Determinatio igitur quæ præsens est, non est nisi ratione veritatis, quæ non est anceps in præsenti, nec dubia ad utram propositionum contradictoriarum cadat; sed ad unum determinatè contradictionis membrum & non ad alterum cadit. Hæc autem præsens veritatis propositionum determinatio pendet à futura causarum determinatione suo tempore facienda, quæ tam certè futura est ac si jam præsens, imo præterita esset. Ita Sancti Patres, quæ Deus futura novit esse, aiunt illi præsentia, imo quasi præterita. *Quia futura incerta sunt* (inquit Hieronymus in Epistolam ad Ephesios) *ideo quæ Deus futura cognovit, quasi jam facta memorantur; quoniam præterita non possunt esse infecta.*

4. Positâ verò nunc ea præsenti veritatis determinatione non adimitur, sed præsupponitur libertas causarum integra. Quare cùm veritatem propositionis contingentis, aut prævisionis existere cogitamus, versamur in signo rationis consequenti seu in posteriori; ante quod supponitur secundum rationis ordinem determinatio causæ contingens præcessisse. Itaque prævisio & prædictio præsens tardior est, quàm ut rem mutare ac reddere necessariam possit. Quare non ideo res futura est, quia præscitur, sed ideo præscitur quia futura. Optimè Augustinus lib. 1. de Gratia Christi: *Sicut tu memoriâ tuâ non cogis facta esse quæ præterierunt; sic Deus præscientiâ suâ non cogit facienda quæ futura sunt.*

5. Nec enim in iis quæ certò, sed liberè futura sunt, maior est ut fiant necessitas, quam in iis quæ reipsà præterierunt liberè sit necessitas ut facta sint. Est enim vtrobique tantùm consequens, non autem antecedens necessitas. Vt eleganter Tullius in lib. de Fato explicat his verbis: *Non magis commutari ex veris in falsa possunt ea quæ futura, quàm ea quæ facta sunt; sed in factis immutabilitas apparet; in futuris quibusdam, quia non apparet ne inesse quidem videtur.* Sed audire juvat Boëtium hanc rem totam loco suprà citato explicantem: *Duæ sunt*, inquit, *necessitates: Simplex una, veluti quod necesse est homines esse mortales; altera conditionis, ut si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est. Eodem modo; si quid Providentia videt ut præsens, id esse necesse est. Deus enim ea futura, quæ ex libertate proveniunt contuetur præsentia. Hæc igitur ad intuitum relata Divinum necessaria fiunt per conditionem Divinæ notionis: Per se considerata ab absoluta natura sua libertate non deficiunt.* Hactenus Boëtius.

6. Certissimum ergo sit, futura contingentia (non obstante & salvâ manente causarum libertate) prævideri à Deo ex æternitate. Quare meritò reprehenditur Aureolus; qui studio doctrinæ Aristotelicæ Deum asseruit non novisse determinatè ac distinctè Antichristum v. c. fore, sed tantùm fore aut non fore; ut refert Gregorius dist. 38. q. 2. art. 1. Cui sententiæ favet Cajetanus 1. parte quæst. 14. art. 13. & Catherinus in opusculo de veritate enunciationum: Quatenus defendunt, futura contingentia, licet videantur à Deo ut æternitati præsentia; tamen videri non posse nec habere veritatem, ut pendentia à suis causis. Absurdè. Nam inter futura contingentia numerantur ipsæ causarum determinationes, & effectuum ab illis dependentiæ. Ergo determinationes ipsæ causarum & dependentiæ effectuum sunt æternitati præsentes & videntur à Deo; ac per consequens effectus ipsi contingentes, quatenus dependentes à suis causis. Refert Suares loco citato quasdam alias inanes à nonnullis allatas excusationes Aristotelis; qui tamen videtur juxta principia orthodoxæ fidei non posse eximi ab errore. De qua re hactenus plus nimio. Itaque superest ut inquiramus.

Vtrùm Deus futura contingentia cognoscat in causa libera completa?

7. Quæ inquisitio & explicatio tantam habet difficultatem; ut meritò illud hic vsurpare possimus, quod ait Augustinus in Psal. 49. *Non audeamus dicere, quomodo novit Deus? Ne forte hoc à me, fratres, expectetis, ut explicem vobis quomodo cognoscat Deus.* Hoc solum *dico; non sic cognoscit ut homo; non sic cognoscit ut Angelus: Et quomodo cognoscit? Dicere non audeo, quoniam & scire non possum.* Magna itaque & varia se offert in hac expedienda difficultate disputatio. Asserunt enim Okam, Gabriel, Gregorius in primam dist. 38. & Marsilius q. 40. nullum assignari posse à nobis in hac vita modum; Sed illud referendum esse ad infinitatem scientiæ increatæ. Sanctus autem Thomas q. 14. art. 13. asserit quidem rationem, quæ probet Deum non posse ignorare quod contingenter futurum est; quia sequeretur novam Deum Scientiam acquisiturum postea, quando futurum transit in præsens. Sed hæc ratio non ostendit modum, quo Deus futurum contingens prævideat. Vt verò hic modus à nobis investigetur,

advertendum est eum omnem referri: Vel primò ad ipsorum futurorum aliquam causam, quam Deus infallibilem habuerit intra se ab æterno; quæ causa non potest esse, nisi ex parte quidem intellectus idea; ex parte autem voluntatis decretum efficax. Vel secundò ad eorumdem effectuum existentiam immediatè consideratam, sive intra Deum quasi realiter extiterint in Dei æternitate; sive extra Deum, quasi Deus ipsam futuritionem existentiæ producendæ cognoscat in ipsâmet, effectusque attingat prout in tempore producentur. Vel tandem tertiò ad causam ipsam liberam creatam, prout in se completam & habentem omnia ad operandum necessaria; quasi Deus hanc perfectissimè comprehendens videat in eius penetratione omnes ipsius contingentes effectus & determinationes. Et quidem quod attinet ad istud tertium, expediri potest breviter hoc capite, ut deinde ad alia in quibus plus disputationis est, ordine examinanda veniamus.

7. Molina in concordia disp. 49. & 50. vult in causa ipsa libera, ut supercomprehensa, cognosci à Deo futura contingentia, licet non necessariò ex illa inferantur. Verumtamen constat effectus contingentes quatenus præcisè sunt in causa sua libera, quantumvis in actu primo completa, non habere determinationem ullam, & esse tam indifferentes ad esse vel non esse, quam ipsa completa causa est indifferens ad operandum vel non operandum. Nec juvat quòd Deus profundissimè comprehendat huiusmodi causam. Dico enim Deum, quò perfectiùs illam profundiùsque penetrat, eò magis cognoscere illam esse indifferentem, quandiu suspensa intra primum actum se cohibet, seque ab omni sustinet actu secundò. Videri potest Suares lib. 1. de Scientia futurorum contingentium absolutorum copiosè de iis & subtilissimè disputans cap. 3.

8. Argumentum etiam contra se suppeditat suggeritque Molina, negans posse Deum in suam & voluntatis actu primo præciso cognoscere proprios suos actus liberos. Quis enim non inde statim inferat, nec posse cognosci actus liberos in voluntate creata secundum se spectata præcisè. Etenim ad actus suos liberos creata increataque voluntas æqualiter comparatur. Neque juvat Molinam discrimen quod Deus voluntatem creaturarum quidem infinito excessu supercomprehendat, suam verò simpliciter comprehendat nec excedat. Si enim intra libertatis creatæ actum primum indifferentem, adequatum & præcisum nulla sit, nec videri possit esse determinatio, quid ille excessus superfluus proderit ad hoc ut actus secundus in ipsa actus primi indifferentia, quæ illum ut talis excludit, deprehendatur? Dices. Causa libera in actu primo completa, hoc est à Deo mota & habens gratiam quæ per seipsam sit efficax, nequit actuali effectu carere. Respondeo. Id valere non potest quoad peccata futura cum ad hæc non sit nec gratia nec motio efficax. Secundò hæc est Thomistarum Physicam Prædeterminationem falsò supponentium palæstra; quæ, ut alibi ostenditur, pugnat cum libertate creaturarum, & cum Sancto Thoma.

9. Granadus existimat causam liberam inter creaturas habentem omnia quæ necessaria sunt ad operandum, habituram actum secundum determinationis; si non Physicâ, saltem morali necessitate tantâ, ut certitudinem sufficientem inducat. Et ita Deum ait ex illius comprehensione posse futura contingentia cognoscere. Sed nec admittenda est illa Granadi, quam Ariaga refert, opinio. Constat enim necessitatem quantamcumque moralem non sufficere ut Deus certitudine plusquam morali noscat causæ liberæ determinationem. Cùm tamen certum sit contingentia futura sciri ab ipso infallibiliter & metaphysicâ certitudine. Alioqui non posset Deus cum omnimoda veritate propositiones de contingentibus formare; nisi disjunctivas, quales Aristoteles asserit esse determinate solas veras; exempli gratia, talis homo id volet, vel non volet. Atque ita (ut ait Boëtius in quinto de consolatione prosâ quintâ) Divinæ futurorum prænunciationes noc differrent ab illo joculari oraculo Tiresiæ; *quidquid dicam aut erit, aut non.*

CAPUT VI.

Refutatur modus cognoscendi contingentia absolutè futura in causâ proximâ. Modus item qui sumitur ex Divinis Ideis.

1. DURANDUS in 1. dist. 38. quæst. 3. & quidam alij non multum à Molina differentes sentiunt Deum hæc futura cognoscere in causa proxima, hoc est in voluntate prout conjuncta cum tali judicio, tali objecto, aliisque omnibus circunstantiis, quæ possunt illam vel determinare ad volendum, vel impedire. Ratio horum authorum est, quia Deus comprehendit naturam voluntatis, & omnes circunstantias ei adjunctas: Ergo videt in quam partem sit se hic & nunc determinatura. Sed contra: Nam si necessariò ab adjunctis determinatur, perit libertas, & tollitur contingentia: Quam tamen Durandus vult salvare in judicio intellectus determinante voluntatem. Putat enim intellectum esse potentiam formaliter liberam. Verùm in hoc errat. Si autem ab adjunctis voluntas non determinatur necessariò, manet indifferentia; quæ quò magis à Deo cognoscitur, eò minus cognosci potest determinatio ad contingentem effectum. Molina quidem in concordia disp. 49. & 50. censet Deum contingentia futura cognoscere in causa proxima & ei conjunctis omnibus circunstantiis; quatenus illam non tantum comprehendit, sed supercomprehendit & quia voluntatem suam ita comprehendit ut non supercomprehendat, ideò negat illum prævidere futuros suos contingentes actus. At hujus authoris opinio superiori capite refutata fuit, eodemque modo rejecta manet sententia Durandi.

2. Sententia de Ideis affirmativa imputatur ab aliquibus Bonaventuræ dist. 39. art. 2. quæst. 3. Eam verò satis clarè videtur tenere Cajetanus quæst. 14. art. 13. Nam licet modum cognoscendi futurorum existentiam in æternitate, ut infrà exponam, celebret mirificè; non tamen hunc rejicit. Atque vtrumque modum existimat per se sufficientem, & assignatum fuisse à Divo Thoma supra in corpore. His verbis; *omnia quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solùm eâ ratione quâ habet rationes rerum apud se præsentes, vt quidam dicunt, sed quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia prout sunt in sua præsentialitate.* Vbi Cajetanus per rationes quidem intelligit ideas, per presentialitatem verò, coexistentiam in æternitate realem. Vt falsitas hujus senten-

tiæ intelligatur. Præsupponendum est ideas esse in Deo cognitiones simplicis intelligentiæ cum habitudine causæ & vi quadam in actu primo productiva earum rerum quarum dicuntur ideæ: Quare quomodò Deus non poterit videre in suis ideis realem influxum & rationem actualis causæ respectu futurorum contingentium, impossibile erit ut in illis seu per illas contingentia futura cognoscat.

3. Hoc posito certum est primò Deum non posse in suis ullis ideis prævidere contingentium turpium ac peccaminosorum futuritionem; cum nequeat ipse ullo modo influere in malitiam peccatorum, ut eorum exemplaris causa, nec ad ipsorum productionem creaturas dirigere. Præterea universim cùm effectuum etiam optimorum ideæ sint tantum in actu primo antequam futura supponatur esse rerum contingentium productio; clarum est, in illis à Deo nullum contingens prævideri potuisse. Patet. Nam quòd Deus intelligat se habere cognitionem quæ sit in actu primo directiva creandi mundum; non adhuc ponitur ipsum intelligere futuram hujus mundi creationem. Alioquin intelligeret atque ex æterno intellexisset se creaturum mille imo infinitos mundos; cùm eorum in se videat ideas.

4. Atque in hoc vis consistit Scoti contra has ideas argumētantis, cùm ait dist. 39. q. 1. ideas representare solum terminos compositionis, & enunciationis, non autem ipsam compositionem, nisi hæc ex terminis cognoscatur; ut contingit in enunciationibus necessarijs. Vim argumentorum Scoti proponit quidem Caietanus; sed reverà (ut ait Suares in opusc. de Scientia fut. cont. lib. 1. cap. 4. in opinionem Scoti delabitur; cùm fatetur ideas non habere vim repræsentandi futura contingentia, nisi postquam accessit determinatio libera & decretum Divinæ voluntatis. Sic enim totam rationem cognoscendi hæc futura non ad ideas, sed ad decretum cum Scoto refert. Et Caietano superest insuper explicandum, quare velit posito decreto Divino necessarium esse ut Deus suas intueatur ideas, nec ei ad futura cognoscenda sufficiat intueri decretum. Prætereà dicat, quid acquirant ideæ post decretum, ut possint tanquam medium cognitum repræsentare futura.

CAPVT VII.

Nec in decreto cognosci possunt futura contingentia.

1. SCOTUS disp. 39. quæst. unicâ, & in quodlibetis q. 14. Ricardus dist. 38. art. 1. q. 5. & plures moderni Thomistæ cum Caietano, qui in re dùm ideas explicat Scoto consentit, asserunt, Deum præcognoscere futura contingentia in decreto voluntatis suæ. Quia cùm nihil sit futurum, nisi postquam de eo præcessit decretum, Deus verò nihil cognoscere possit ut futurum nisi verè futurum sit; patet Deum nihil posse cognoscere nisi præcesserit de eo decretum. Ergo consentaneum est ut Deum dicamus futura cognoscere per ipsum decretum. Videt enim Deus vim & infallibilitatem suorum decretorum. Proponitur autem duplex modus cognoscendi per decretum aliquam rem futuram. Vel nempe, (quemadmodum notat Scotus, & admittit Ricardus) itavt intercedat iste discursus: Quicquid Deus vult, erit: Hoc Deus vult: Ergo erit. Vel ita (ad quod magis propendet Scotus) ut non fiat ullus discursus; sed ex eo quod per decretum Divinum extitit rei contingentis futuritio; incipiat statim per veritatem suam illa futuritio sic proponi intellectui Divino, sicque cognosci; quemadmodùm in priori ante omne decretum proponebantur per veritatem suam independentem à voluntate, & cognoscebantur possibilitates rerum. Atque idem vult Scotus contingere intellectui Divino, quòd meo contingeret oculo si supponeremus me habere unum simplicem actum videndi omnia objecta prout præsentia fierent; qui actus semper staret. Tunc enim si daretur aliquod objectum, quod naturaliter & ex omni necessitate esset mihi præsens, & alterum quod liberè & contingenter proponeretur; non foret, inquit subtilis doctor, differentia formaliter in visione mea; nam ex parte sua oculus videret naturaliter vtrumque, tamen contingenter videret unum, & necessariò alterum.

2. Antequam hujus sententiæ (quam admittere debent assertores Prædeterminationis Physicæ) falsitatem ostendam, adverto non posse esse dubium, si conditionatam Scientiam decretis Divinis admisceamus, quin Deus in illo decreto per quod hanc rerum seriem elegit, valùerit prænosse omnes liberos & contingentes actus tanquam absolutè futuros; quos in priori ante decretum non noverat futuros, nisi sub conditione talis seriei. Sed non loquimur in præsenti de decreto Divino & conjuncto tali Scientiæ conditionatæ: Nec in sensu isto loquuntur Scotus & alij. Sic enim nec sola, nec prima ratio cognoscendi talia futura sumeretur (ut ipsi sumi volunt) ex decreto: Quandoquidem hujusmodi futura præsupponuntur esse cognita ut conditionata, & in priori terminant illam Scientiam, quam vocamus mediam: Cujus terminationis reddenda est ratio, quæ sit prior isto decreto. His suppositis.

3. Dicendum est decretum Dei liberum nullo modo esse actum; ut in illo secundum entitatem suam considerato quicquam Deus tanquam in medio cognito videat: Cum (sicut cap. 3. suprà ostendimus) voluntatis actus in Deo contingentes & liberi nihil supra necessarios & essentiales actus importent intrinsecum, quod Deus videre, & quo viso futura cognoscere queat. Veruntamen quamvis supponeremus, decreta actusque Dei liberos addere quippiam intrinsecum, ut voluit Caietanus; & quamvis actus illos voluntatis consideraremus, non secundum nudam eorum entitatem, sed secundum quod habent formalem effectum, quo Deus actu decernit hoc & illud futurum contingens. Asserendum esset nihilominus contra Doctores supra citatos, Deum non posse futura contingentia cognoscere in decreto ullo suo sumpto seorsim à Scientia media. Probatur. Nam vel primò decretum illud est volitio absoluta & efficax, itavt ex suppositione illius implicet contradictionem actus decretos non poni suo tempore. Et hoc non; quia constat libertatem creaturæ & futurorum actuum contingentiam eo modo tolli. Vel secundò decretum illud non est volitio absoluta & efficax actuum creaturæ; sed tantum est volitio dandi libertati eum concursum, qui ex parte Dei requiritur non inferens ullam ex se determinationem; & hoc item ab adversariis dici non potest. Impossibile enim esset ut in tali decreto futura contingentia cognoscerentur: Nam eo posito & intellecto concipiuntur adhuc ipsa futura indifferentiam habere.

4. Nec dicas intelligi posse, ut decretum Dei habeat necessariam connexionem cum effectu, & tamen non impediat libertatem; atque adeò nihil repugnare, quominùs futura in eo cum infallibilitate cognoscantur ut contingentia & libera; quatenùs necessitas quam tale decretum importat futuris effectibus, non est antecedens respectu ipsorum effectuum, sed ad summum concomitans: Quia Deus non decernit effectum quà ponendum vi sui solius decreti, sed ut ponendum vi etiam determinationis liberæ creaturæ. Quæ determinatio libera nec sit ullo modo defutura, nec tamen vi solius decreti ponenda, sed vi solius libertatis. Ne, inquam, hoc dicas. Nam si decretum non est vllomodo antecedens; nec in libertatem influens, sed eam quasi per se ac sponte sua advenientem concomitans; capi non potest quomodò Deus ex solo decreto, quod est futuri effectus causa insufficiens & partialis, intelligere valeat certò effectum: Sed, necessarium est, ut simul intelligat ipsammet determinationem, & adjunctionem libertatis; quæ nisi se aliunde quàm ex decreto determinet, eique se adjungat, nullus sequetur effectus; ipsam autem hanc determinationem & adjunctionem decretum nec trahit ad se, nec indicare potest; sed illo parato manet integra libertas, & indifferentia creaturæ.

5. Respondebis. Intelligit Deus ex decreto suo determinationem libertatis; quoniam licet illo posito maneat libertati indifferentia antecedens, non tamen manet consequens; cum adjungi necessarium sit determinationem tantum ex suppositione. Contrà. Nam ista necessitas consequens, vel est ex suppositione sola decreti Divini, & sic aufert libertatem creaturæ, nec respectu ejus est consequens: Vel ex suppositione non solùm decreti; sed etiam ipsius determinationis creaturæ; itavt determinatio creaturæ velut concomitans noscatur à Deo, & sic tota restat difficultas; explicandum enim est, unde & quomodò norit Deus talem creaturæ determinationem. Vt hoc explices non potes ad Scientiam mediam recurrere: Cum nec illam admittas, & præterea nos loquamur hic de Dei decreto, ut abstrahente à Scientia media. Deinde nihil inde lucri sperare posses: Restaret enim explicandum quomodò scire possit Deus annexam esse decreto suo quasi conditioni determinationem liberæ creaturæ. Atque sic tota disputatio, velut tela Penelopes, retexenda tibi veniet.

6. Considerandum insuper est, modum futura libera intelligendi ex decreto non posse esse vniversalem. Licèt enim posset valere in alijs creaturarum liberis actibus; non tamen in peccaminosis: Quos certum est non posse à Deo prædecerni. Quamuis enim (ut Herice testatur disputati. 6. initio capitis tertij) non desint ex Thomistis, quos ait se nolle consultò nominare; qui asserant vniversim omnia contingentia, etiam actus pravos, cognosci, à Deo in suo de illis decreto: Sunt tamen etiam ex iis qui se Thomistas profitentur, qui referant pedem, & parùm ad sua principia consequenter negent posse in Divino decreto cognosci futura peccata. Sic Cumel, ut idem Herice refert, ait non eodem modo asserendum hic esse de actibus malis, sicut de bonis; negatone concedendum esse prædeterminari odium Dei, & in decreto prævideri posse. Id ne dici videatur distinguit Alvares, & respondet Deum prædeterminare actum malum, inquantum actus est & ens, non autem inquantum malus. Sed contra. Nam odium Dei, verbi causâ, constat ex ratione generica actus, & ex differentia vltima specifica. Atqui totam hanc actus speciem Deus & creatura pro indiviso producunt, hæc ut præmota, ille ut præmovens. Cumque Deus præmovet, non potest quin ad totam præmoveat speciem, nec potest in actuali productione & executione fieri præcisio generis à differentia effectus producti; nec alium effectum vult produci nisi qualem decrevit & prædeterminavit. Quod autem totum quantus quantus est decreverit, patet ex ipsius Alvaris assertione. Vult enim actum malum à Deo prædeterminari secundum rationem actus & entis. Ergo, inquam, prædeterminavit etiam secundum specificam eius differentiam; quæ nihil in se continet, quod non imbutum sit ratione entis.

7. Horum fundamenta authorum prosequi non attinet, cùm nullam difficultatem habeant. Quædam congerit Alvares Divi Thomæ perperam intellecta testimonia; quæ ordine & relata & refutata videre potes apud Valentinum Herice tract. 1. disp. 6. cap. 3. Nihil item probat locus ex Isaïæ cap. 14. quem Alvares ait esse pro sua sententia insignem; vbi prædicitur conterendos esse Assyrios, delendumque totum Sennacheribi exercitum; & ita fore quia Dominus exercitum ita decrevit. Vnde Alvares argumentatur supponens Deum decrevisse absolutè ut Assyrij actu libero venirent in terram Israël, & actum hujusmodi contingentem ac liberum cognoverit in suo absoluto decreto. Sed vtrumque quod supponit, ac sine ratione sibi persuadet, oporteret ab eo probari. Post prædicta quæ Alvares producit testimonia, refert ibidem Herice consequenter, optimèque dissolvit argumenta ex ratione sumpta, quæ Ledesma proponit. Eorum, quia fusior esse deberet, omittemus nunc refutationem, quæ sumi poterit ex iis quæ in explicatione mysterij Prædestinationis inferiùs asserentur circa Divinæ Gratiæ motionem, & cum nostra libertate concursum.

CAPVT VIII.

Refutatur modus, quo dicitur Deus contingentia absolutè futura cognoscere per suam præsentialitatem in mensura æternitatis.

1. CVM hactenus ostenderimus futurorum contingentium existentiam non cognosci in vlla sua causa, quæ consideretur vel extra, vel intra Deum; restat ut cognoscatur immediatè in seipsa, per seque ipsam, provt habet actualitatem quandam, sivè in Dei æternitate, sive in suo tempore. Et quidem communis est opinio inter Thomistas recentiores, omnia contingentia præsentiam habere realem in mensura æternitatis Divinæ, & Deo verè coëxistere; atque hanc esse rationem, cur Deus illa semper viderit. Viguit apud istos hæc opinio postquam ei nomen & gloriam conciliavit Cajetanus, qui se primum esse ait illius assertorem eamque significat se tandem deprehendisse obscurè traditam à Divo Thoma quæst. 14. art. 13. *Fateor*, inquit, *hoc illius dictum me latuisse quindecim annos, sed nudius tertius dum hujus articuli commentationem meditarer, ut arbitror, Divi Thomæ ope veritas illuxit.* Atque neminem hacten[illegible]vè scripto sivè verbo hanc veri-

tatem assertivè protulisse. Porrò deinde postquam hujusmodi veritatem velut ex alto puteo (ut est in proverbio) extractam ipse in lucem protulit, cæteri ferè Thomistæ magno cum applausu, & cum aliqua veneratione ad illam se contulerunt: Nec defuit qui eam, ut Herice refert, judicarit ad saniorem orthodoxamque quodammodò pertinere doctrinam. Sunt tamen qui ex contrario judicent illam sententiam non satis bene cum fide Catholica convenire. Quam sententiam à mente Divi Thomæ alienam esse ostendit Vasques disp. 64. cap. 5. & Herice tract. 1. cap. 4. fultus gravium Thomistarum testimonio. Inter quos præsertim est Sylvester sacri Magister palatij; qui post relata verba Divi Thomæ, quæ Cajetanus in quæst. 14. art. 13. interpretatur suam continere sententiam, sic ait contra illam interpretationem: *Istud dictum fuit occasio errandi & putandi quod Divus Thomas intelligat præsentiam in esse reali: Quod non est verum & nullus Thomistarum præter unum* (intelligit Cajetanum) *ausus est affirmare*, quia ex illo videtur sequi *aliquid contra fidem, hoc est creaturas fuisse ab æterno.* Hanc item plurimi alij, & ferè omnes (si à Thomistis Neotericis discedas) rejiciunt opinionem ut nullo modo probabilem Alensis, Bonaventura, Durandus; Scotus, Aureolus, Gabriel; & communiter Societatis nostræ scriptores Molina, Fonseca, Suares, Vasques, Valentia; Lessius, &c.

2. Ad intelligentiam hujus opinionis, quam impugnamus, Cajetanus eius laudator magnificus monet, posse habere sensum duplicem, cùm dicitur quòd aliqua res sit præsens per realem præsentiam æternitati. Primò, ita ut in quolibet instanti sit præsens; atque eius existentia in ipsa æternitate sub mensuram cujuslibet temporis cadat. Et hanc doctrinam ait omninò falsam, nec à Thomistis intendi. Alter sensus est, ut in intrinseco nunc, aut instanti æternitatis indivisibiliter & totaliter simul existentis dicatur res, quæ in tempore futura est, esse præsens Deo per veram coëxistentiam. Hunc verò sensum pronunciat continere mentem Sancti Thomæ ac suam. Quare *distinguendæ sunt*, inquit, *hæ propositiones, omnia sunt præsentia æternitati, omnia sunt ab æterno. Nam aut verbum sunt significat mensuram solam æternitatis; & sunt veræ: Aut simul etiam denotat mensuram durationemque temporis*, *& sunt falsæ.*

3. Hæc verò sententia suadetur primò quorumdam Patrum authoritate, ac nominatim Anselmi qui opusculo de concordia liberi arbitrij & prædestinationis habet hæc verba: *Quemadmodum præsens tempus continet omnem locum, & quæ in quolibet loco sunt; ita æterno præsenti simul clauditur omne tempus, & quæ sunt in quolibet tempore.* Sunt & quædam variorum Patrum necnon scripturæ loca, quibus asseritur omnia labilia apud Deum stare, Deo nihil esse præteritum, nihil futurum, &c. Vt nos adversariorum argumentis respondendo afferemus, & explicabimus infrà. Secundò pugnant ratione. Nam cùm æternitas & ob infinitatem contineat omne tempus, hoc est, omnium rerum durationes præteritas, & futuras: & ob indivisibilitatem sit tota simul; necessarium est, ut simul ac sine successione in illa existant res omnes, quæ sunt in tempore; & quæ in seipsis disjunctæ sunt secundùm temporis prioritatem ac posterioritatem. Quomodò bellè Divus Thomas 1. contra Gentes cap. 66. æternitatem comparat puncto centri; cui omnia puncta circumferentiæ constanter respondent, & in eo non distant, cùm ipsa inter se distent, & separata sint. Præterea nisi concedamus omnia futura tam esse præsentia Deo secundùm coëxistentiam, quàm præsentia eidem erunt illo tempore quo producta fuerint; fatendum erit Deum bis illa scire (ut ait Augustinus lib. 2. ad Simplicianum) uno quidem modo secundùm futurorum præscientiam, altero autem secundum præsentium scientiam. Nam quemadmodum concipimus aliam esse suo modo Scientiam Dei, quâ cognoscit res possibiles; & aliam quâ cognoscit easdem ut actuales: Sic negari non potest, quin intellectus Divinus collatus cum rebus ut futuris dicatur habere cognitionem suo modo diversam ab ea cognitione, quam habet collatus cum iisdem rebus ut præsentibus & productis. Confirmatur. Etenim Scientia, quam hodie & ab æterno Deus habet Antichristi, est objecti tam realiter præsentis, quàm erit præsens in fine mundi; Realiter inquam nunc, & non tantum intuitivè seu objectivè præsentis. Nam in priori quàm intuitivè, debet esse realiter in æternitate præsens. Et quamvis per impossibile Deus non esset cognoscitivus, res omnes forent præsentes in æternitate; utpote complectente omne tempus.

4. Hæc sententia, ut est explicata, videtur esse figmentum jucundæ cujusdam admirabilitatis, amænitatisque Poëticæ. Quantam enim habet admirationem, Antichristum, verbi gratiâ, toti indivisibili æternitati realiter coëxistere, & tamen non toti coëxistere tempori, quod ipsi totum indivisibili coëxistit æternitati? Quis concipiat Antichristum duratione durare duplici, alienâ (nempè Divinâ) & suâ? Alienâ (quæ tota & indivisibilis hodie est) durare hodie nondum natum? Ac non nisi post plurimos annos (qui & ipsi anni quales sunt, cum essentiali successione in æternitate indivisibiliter clauduntur) duratione duraturum suâ, cùm nascetur? Quasi nempè duplici potiatur existentiâ; scilicet Divinâ, quâ in æternum existat; & suâ, quâ sub finem mundi? Et quomodò (ut argumentatur Durandus) intelligi potest existentiam Antichristi esse unicam; quæ nondum producta sit secundùm se; & tamen Antichristum ut productum coëxistere Deo, commensurarique æternitati? Certè existere in æternitate supponit existere in se: Tum quia hæc illatio (existit in æternitate, ergo existit in se) non est à secundum quid ad simpliciter (ut ait Suares opusc. 2. lib. 1. cap. 7.) sed ab inferiori ad superius affirmativè. Nam existere in æternitate, est aliquod existere, & non est conditio diminuens ipsum existere in se, sed addit illi relationem ad aliud. Tum quia esse in extrinseca duratione, supponit esse in propria; quemadmodùm esse in loco extrinseco, seu esse in immensitate Dei supponit esse in propria & intrinseca vbicatione.

5. Quod his respondet Cajetanus; non rectè argui transeundo à duratione æternitatis & à coëxistentia reali cum illa, ad durationem temporis, & coëxistentiam ipsarum inter se rerum. Æternitati enim res coëxistunt propter summam illius latitudinem, quæ omnia complectitur; neque coëxistunt ei ut in propria ipsarum mensura, sed in aliena: At verò inter se propriâ solum duratione & coadæquatâ mensurâ coexistere possunt. Hoc, inquam Cajetani responsum non valet. Nam si verè ac realiter Antichristus ita existit in æternitate; ut Deus intra hanc illum videat, & viderit semper præsentem realiter, & coëxistentem sibi; oportet necessariò ipsum Antichristum, qui in sua propria duratione non existit hodie, cùm hodie nondum sit productus, tam respondere hodiernæ diei præsentique tempori, quam

ipsum Deum; si ipsi Deo coëxistere supponatur. Cum enim Deus non minùs sit intra æternitatem quàm Antichristus, non magis hunc quam illum æternitas removet ab hodierna die. Debet ergo Antichristus, si Deo coëxistit, suam eodem quo Deus tempore existentiam habere atque sic tam in mensura temporis quam in mensura æternitatis hoc die, quo nondum natus est, existentiam propriamque suam durationem obtinere. Et sanè omni tempore quo ille Deo coëxistit, oportet non Deum solum, sed & cum Deo illum existere. Coëxistentia enim dicit vtriusque existentiam. Si replicent adversarij, Antichristum hodiernâ quidem die existere, sed intra æternitatem, cum Deo; non autem intra hodiernam cum Deo diem: Equidem vereor ne omnium extra Thomistas Theologorum hic caliget acies ingenij;& tantam nequeat vllus intelligere subtilitatem.

6. Sed & ipsorum adversariorum opinioni contradicere adverto eorum respondendi modum. Cum enim distingunt in creaturis mensuram æternitatis, & mensuram propriæ durationis: Atque respondent Antichristum, in illa semper, & non in ista Deo coëxistere realiter & in sua vera entitate: Illam quam afferunt pro responso distinctionem sua ipsorum rejicit; nec pati pôtest opinio. Nam secundùm hanc distinctionem, Antichristus non minus existit hodiernâ die realiter & entitativè in mensura suæ propriæ durationis, quàm in mensura æternitatis. Quod sic probo. Antichristum ideo dicis præsenrem nunc esse realiter secundùm suam entitatem *in mensura æternitatis*; quia cùm existentiam sub finem mundi accipiet, erit intra Dei æternitatem; quæ cum sit indivisibilis omnem temporum differentiam in se colligit atque confundit: Quare quandocumque æternitas erit, oportebit tunc & Antichristum verè ac realiter existere *in mensura æternitatis*. Sed, inquam ego,ipsa duratio temporaria Antichristi,quæ erit sub finem mundi, non est extra, sed intra æternitatem. Ergo cum æternitas indivisibilis (quæ in se omnem differentiam temporis & quodcumque est in aliquo tempore continet) existat hodie; necesse est, ut ipsa temporaria realitas Antichristi in suamet propria mensura non minus existat hodie, quàm cùm producetur ejusdem ipsius entitas. Similique modo asseri debet ejusdem Antichristi & vitam & mortem hodie realiter Deo coëxistere secundùm suam propriam durandi mensuram. Atque pariter in hoc hodierno temporis momento,universe tempora, cunctos dies, motusque Cœlorum cum sua successione existere simul realiter in suæ mensura durationis. Ex quibus constat Cajetani Sententiam, ut multum admirabilitatis, sic & plurimùm absurditatis habere.

7. Post impugnatam Thomistarum multorum in hac materia sententiam. Addo insuper; eam quam illi intendunt rerum præsentiam realem in tota æternitate, inutilem eis esse atque superfluam ad explicandam rerum contingentium præscientiam Divinam. Superest enim tota difficultas. Nam licèt prædicta rerum coëxistentia concederetur, tamen fatendum esset (ut ostendit Molina quæst. 14. art. 13. disp. 14. concl. 1.)rationem & fundamentum talis coëxistentiæ sumi à futuritione ipsâ rerum contingentium. Propterea enim Antichristus est realiter toti æternitati coëxistens, quia in tempore futuro existet; non autem ècontra; ut patet. Nec enim ullus dicat eum propterea futurum, & nasciturum suo tempore, quia toti coëxistit æternitati. Ergo in priori quàm coëxistat realiter Deo & toti æternitati, futurus supponitur suo tempore; ac per consequens cognoscitur à Deo ut talis in illo priori; alioqui Deus ignoraret veritatem in eo priori determinatam. Dicant ergo adversarij, quo Divinus intellectus modo Antichristum & ejus peccata in eo priori videre possit. Restat ergo illis labor integer; in rebus præsertim à libertate creata dependentibus, quæ à decreto Divino futuritionem infallibilem habere non possunt. Cùm autem alia, quæ respectum ad voluntates liberas non habent, incipiant esse futura post decretum Divinum, ea quidem cognosci possunt in ipso decreto absque recursu ad infinitas æternitatis ambages.

8. Sed prætereà non debuerunt Thomistæ in ipsis omnibus objectis à libertate pendentibus hanc in æternitate præsentialitatem requirere, ut eorum possit à Deo futuritio cognosci: Cum prædeterminationem Physicam liberarum causarum in promptu habeant, in qua Deus futuros ipsarum cognoscere possit effectus ex ipsius suppositione prædeterminationis ineluctabili necessitate futuros; sicut ipsi volunt contra sui doctrinam præceptoris. Nam is quæst. 14. art. 13. in corpore,hac ipsa de re quam hic agitamus disputans, asserit non posse in causa libera cognosci certò effectum liberum nisi conjecturaliter. Supponit ergo causam cùm plenè libera est & habet omnia ad agendum necessaria, non habere prædeterminationem vllam physicam. Quare ut certò & plusquam conjecturaliter liberi effectus cognosci à Deo possint, constat Sanctum Doctorem censuisse illos non in causa prædeterminata, sed in seipsis immediatè cognosci in præsentialitate æternitatis aliter quam à Cajetano intellecta.

Refutantur allatæ pro Cajetano rationes.

9. Adversariorum argumenta quibus, ut dictum est numero 3. opinionem Cajetani fulciunt sumuntur partim ex authoritate, partim ex ratione. Autoritas afferri potest, cùm ex Scriptura, tùm ex Patribus. Et primò quidem; Scriptura sæpe declarat æternitatem per modum unius diei, aut etiam unius momenti quod non per partes evolvatur; itavt præteriti, præsentis, ac futuri differentia in puncto consistat indivisibili. Quò pertinet illud Psalmi 2.*Ego hodie genui te*. Et illud ad Rom. 4. *Vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt*. Alia sæpe reperiuntur in sacris literis loca, quibus significatur omnia præsentia esse Deo, jam *fecisse quæ futura sunt*, &c. Vt cum Isaiæ 45. secundùm Septuaginta interpretes di- dicitur Deus *fecisse ventura*; ὁ ποιήσας τὰ ἐπερχόμενα. Et ad Hebræos 1.*per quem fecit & sæcula*.Item Ecclesiastici 3. *Opera omnis carnis coram illo sunt à sæculo & in sæculum*. Ex his & similibus locis malè intellectis adversarij existimarunt res etiam futuras & omnia tempora sic fecisse jam Deum; ut præsentia sint realiter, & entitativè existant in ejus æternitate.

10. Afferunt item authoritatem Patrum in confirmationem suæ sententiæ; nominatim verò, ut supra retulimus num. 2. Anselmi asserentis,claudi æterno præsenti omne tempus, & quæ sunt in quolibet tempore. Adducere potuerunt & aliorum authoritates Patrum amoventium ab æternitate Divina omnem præteriti, & futuri differentiam, & admittentium solam præsentis rationem in puncto consistentis immobili. Sic Hilarius lib. 3. de Trinitate: *Nihil non semper*

semper cum Deo fuit quicquid in rebus est. Et testis est Propheta dicens, Deus qui fecisti omnia quæ futura sunt. Sic Tertullianus ab æternitate, quia nec initium nec finem recipit, amovet omne tempus; quod vocat *arbitrum & metatorem initij & finis* lib. 1. contra Marcionem cap. 8. sic & Nazianzenus orat. 38. excludit ab æternitate, *erat, & erit, quasi nostri segmenta temporis, fluxaque natura*: τὸ ἦν, καὶ τὸ ἔσαι, τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου τμήματα, καὶ τῆς ῥευστῆς φύσεως. Similiter & Nyssenus lib. 1. contra Eunomium Æternitatem vocat, οὐ χρόνοις συμπαραθέουσαν, ἀλλ' ἐφ' ἑαυτῆς ἑστῶσαν. Hoc est, *non evolantem, quemadmodum tempus, sed in semetipsa consistentem.* Quod Augustinus his exprimit verbis lib. 9. conf. c. 7. *anni tui dies unus: Hodiernus tuus non cedit crastino, neque succedit hesterno: Hodiernus tuus æternitas.* Infinita sunt hujusmodi apud Sanctos Patres. Ne longum faciam, contentus ero denique hoc elegante Gregorij magni dicto, *In æternitate cuncta volumina seculorum transeuntia manent, currentia stant.*

11. Præter argumentum ab authoritate sumptum scripturæ & Sanctorum Patrum, sumunt alterum argumentum Thomistæ ex ratione; ut supra retulimus num. 3. Quia nimirum Æternitas, & infinita, & indivisibilis est: Ob infinitatem continet tempus; ob indivisibilitatem nihil continet successivè; sed quidquid continet existit simul præsens; atque ita secundum præsentem suam existentiam Antichristus nunc cognoscitur; alioqui cum in fine mundi producetur novam Deus haberet eius ut præsentis cognitionem: Quod est contra Augustinum, & Divinæ repugnat immutabilitati.

12. Ad prædictorum argumentorum sivè ex authoritate, sivè ex ratione sumptorum percipiendam invaliditatem: Advertendum est primò Æternitatem distingui posse duplicem. Vna est intrinseca, quæ formaliter in Deo est; nimirum ipsa Divinitas, quatenus possidet invariabiliter totam simul ac perfectam bonorum possibilium infinitatem; juxta definitionem, quàm Boëtius omnium consensu receptam affert lib. 5. de consol. prosa 6. *Æternitas*, inquit, *est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* Altera dici potest Æternitas extrinseca; nempè correspondentia, quam contingenter habet ipsa Dei æternitas intrinsecà cum ea, quam imaginari possumus, temporis infiniti extensione successiva, & cum iis rebus quæ in illius temporis successione reperiuntur. Eodem modo, quo immensitatem distinguimus in intrinsecam; quæ nihil aliud est quam Divina indivisibilisque entitas nullam habens formalem extensionem, sed tantum virtualem seu eminentialem, cum necessitate correspondendi omnibus creaturis, omnibusque realibus, quando creabuntur, spatiis: Et in extrinsecam quæ est actualis cum omnibus creatis rerum spatiis correspondentia; sivè intima in illis præsentia, absque eo quod vllà Deo adveniat intrinseca denominatio.

13. Advertendum est secundò, duplicem item distinguendam esse rei alicujus præsentiam. Vna est realis & entitativa, cùm res coram adest secundum se, & secundum actualem substantiæ suæ existentiam: Altera est rei absentis non nisi intentionalis, (ut ita dicam) præsentia: Quæ in nobis quidem est tantum abstractiva cognitio rei absentis; si præsertim eam intuiti numquam fuerimus: At in Deo non potest esse abstractiva cognitio existentiæ, licet non præsentis; sed tantum futuræ; cùm vis intellectus infiniti res etiam nondum actualem existentiam habentes perindè coram intueatur; ac si nunc existerent; itavt quemadmodum nos sidera procul distantia cernimus, locale acie nostrà intervallum omne trajicientes, sic Divina mens intuitu suo temporalia spatia superet, ac velut trajiciat: Quare Antichristum, verbi causà, non propter aliud, quàm quòd præsens sit futuritionis illius veritas, nunc tam perfectè videt; ut illius suo postea tempore existentis neque clariorem cognitionem, nec majorem vllam habiturus sit experientiam.

14. Præsuppositâ quam jam explicuimus distinctione, cùm æternitatis in intrinsecam & extrinsecam, tùm etiam præsentiæ in eam quæ est secundùm actualem realitatem, & eam quæ est secundùm meram intuitionem; non est difficile respondere unà ferè & eàdem solutione allatis omnibus pro Cajetani opinione argumentis sivè ex authoritate, sivè ex ratione sumptis, & uno velut ictu eorum nervos succidere. Nam quantùm attinet ad argumenta ex authoritate: Cum æternitatem, sivè Scriptores Sacri, sivè Patres repræsentant per modum vnius diei aut indivisibilis momenti; dicendum est eos loqui de intrinseca æternitate; quæ, ut exposuimus num. 12. est ipsa Divina essentia; quam constat propter indivisibilitatem simplicissimà vnitate in seipsam esse collectam, nec in temporis differentias posse diffundi: Et tamen quoniam intra seipsam in immobili identitate consistens atque defixa (ut loquitur Dionysius cap. 5. de Cœl. Hierarchia) omni tempore stabilis firmissimè perseverat; omnia dicitur sæcula continere, & res omnes quas tempus involvit. Non quod æternitas intra capacitatem suam integram nunc includat singulas contingentium rerum quocumque tempore futuras existentias; sed quoniam, (ut scopulus ad profluentem defixus manantes successivè undas) sic ipsa dies & annos, resque illis involutas, quandiu transeunt, fugiuntque, excipiat. Quomodò ad hanc rem appositè Divus Thomas 1. contra gentes cap. 66. explicat instans æternitatis similitudine centri. Hinc habemus quo sensu Scriptura & Patres æternitatem dicant esse indivisibilem, esseque unum hodie perpetuum, quod ob suam immobilem permanentiam res omnes contineat. Loquuntur nempè de æternitate intrinseca, seu duratione Divinitatis indivisibili; quæ sit virtualiter extensa quoad correspondentiam quam habet cum extrinseca, successivaque æternitate, seu cum tempore infinito quod imaginari possumus.

15. Eodem modo ad argumentum, quod adversarij ex ratione desumunt, dicendum est, Æternitatem quidem intrinsecam (nimirum ipsam perseverantem Divinitatem) esse formaliter indivisibilem, licet provt extrinsecæ æternitati & annis sæculisque respondet, atque provt continuam habet cum iis simultatem; sit virtualiter illis coëxtensa; & quodam modo, ut jam explicatum est, omnem dicatur extensionem temporum æquivalenter continere. Præterea, quod ad præsentiam attinet, quam Patres aliqui dicunt res omnes futuras ab æterno habere cum Deo; illa tantùm intentionalis est; quatenus mens Divina, tanquam ex arce suæ celsitudinis, ea cognoscit, intuitivè; ac si coram essent realiterque præsentia. Vnde fit, ut quando res suo producuntur existuntque tempore, non aliam Deus habeat earum intuitionem, neque novam vllam quasi experientiam.

CAPVT IX.

Explicatur verus modus, quo videntur à Deo futura contingentia absoluta.

1. SVPEREST explicanda nostra Sententia, cæteris jam rejectis, & vera ratio afferenda; qua Deus prævidet hæc absoluta contingentia futura. Eam verò desumere possumus ex recentioribus Theologis, Suare lib. 1. de absol. scientia conting. cap. 8. Vasquesio dis. 65. cap. 4. & alijs passim nostræ Societatis Doctoribus. Dicendum igitur, Deum videre futura contingentia per simplicem, & immediatum intuitum existentiæ illius, quam suo tempore habitura sunt; itavt intellectus Divinus advertat & penetret veritatem, quam nunc habet atque ab æterno habuit prædictæ existentiæ futuritio. Quæ veritas ex parte objecti non est nisi fundamentalis; quatenus in ipsum sufficienter præsens objectum cognitio ferri potest; quæ veritatem in se formalem habeat. Vt autem intelligatur, quomodò futurum objectum sufficienter præsens sit, & cognitionem terminare possit intuitivam; & quomodò ex illius præsentialitate Divus Thomas colligere videatur, ipsum à Deo intuitivè cognosci.

2. Notandum est duplicem posse distingui præsentiam objecti quatenus visi. Vna est in actu secundo; cùm ipsum reipsà cognoscitur: Atque ita præsens esse objectum, & ipsum actu cognosci est unum & idem. Neque eo sensu concludit Sanctus Thomas futurum cognosci à Deo propter suam præsentialitatem: Id enim idem esset ac dicere futurum actu cognosci, proptereà quod actu cognoscitur: Altera præsentia dicitur, quæ est velut in actu primo; cùm objectum ita est expositum, ut possit cognosci; modò applicetur potentia, quæ cognoscendi vim habeat sufficientem. Et sic esse intelligendus videtur Divus Thomas; cùm probavit futura contingentia cognosci à Deo, quia præsentialitatem habent respectu mentis, quæ quòd æterna sit omnem simul perfectionem in genere cognitionis possidet. Atque illi qui cùm Cajetano Sanctum Doctorem explicant per præsentiam realem & entitativam in tota æternitate; reprehenduntur ab antiquis Thomistis; ut videre est apud Hervæum dist. 38. quæst. 1. Sylvestrum in defensorio Sancti Thomæ, Ægidium in articulum 13. quæstionis 14. qui prædictam explicationem rejicit quasi calumniam. Vide Vasq. disp. 64. cap. 5.

3. Hæc doctrina, cæteris refutatis opinionibus, clara satis est, ac verissima. Et quamvis antiqui non eam satis explicuerint; tamen illam obiter indicat Scotus dist. 39. quæst. 1. Nominales item, qui asserunt non posse à nobis declarari, quomodò Deus hæc futura videat: Hunc tamen modum intuitionis possibilem esse supponunt & innuunt; cum dicunt rationem, quâ Deus hæc futura novit, referendam esse ad infinitam vim Divinæ intelligentiæ. Nec Sanctus Thomas quæst. 14. art. 13. potuit intelligere alium modum intuitionis, ut jam significavimus; cùm ait, *Divinum intellectum ferri ab æterno supra omnia prout sunt in sua præsentialitate, & prout subduntur Divino conspectui secundum suam præsentialitatem.* Probatio autem nostræ conclusionis aperta est; cùm ex immensitate intellectus Divini, qui debet cognoscere quidquid cognoscibile est; tùm aliunde ex determinata veritate, cognoscibilitateque futurorum contingentium. Si enim veritatem aliquam intellectus Divinus & perfectissimus nequeat cognoscere, nullus alius cognoscet, atque ita veritas quantum est de se cognoscibilis erit, quæ ob defectum cognoscentis numquam cognosci poterit.

4. Nec dicas. Res nondum producta nihil est in seipsa tempore præsenti: Ergo nec vera, nec quantum est de se cognoscibilis. Respondetur enim, rem illam nihil quidem actuale esse in præsenti, sed esse aliquid futurum. Si autem id quod omnino præteritum est (itavt nihil sit tempore præsenti) directè cognosci potest, cùm eius non desunt intellectui species; cur etiam non poterit futurum ab eo cognosci directè intellectu; cui ad id neque eminens specierum perfectio, neque quicquam aliud deest? Idem argumentum sumi potest ex simplici possibilitate. Si enim merè possibilia queunt terminare directam cognitionem sui; ergo & futura quâ talia. Ex his intelligitur totam rationem, cur futura contingentia cognoscantur, peti ex duobus; nempè ex veritate futuritionis ipsorum, & ex immensa perfectione intellectus Divini; atque omne aliud ad hujusmodi cognitionem impertinenter se habere. Quamvis enim Deus supponeretur non esse causa futurorum per omnipotentiam, vel per decretum, seu permissionem suam, sed omnia provenire à fato; tamen intellectus Divinus, si perfectionem quam habet servaret, prævidere deberet eodem modo futura veritatem determinatam habentia.

5. Porrò veritas ea, quam in futuris contingentibus dico extitisse, ab æterno, & aliquo modo se habere antecedenter ad ipsam cognitionem Divinam, nihil est aliud quam fundamentum, & aptitudinalis mensura eius veritatis formalis, quæ deinde reperitur in cognitione ipsa Divina intuitiva & speculativa. Vbi notandum est, cùm formalis veritas non sit aliud, quam conformitas ad peculiarem propriamque aliquam mensuram; statuendum aliter esse de iis contingentibus, quæ à Dei, & de iis quæ à sola creaturarum libertate pendent. Hæc enim si contra rationem & peccaminosa sint, fundamentalem tantum veritatem habent; quatenus sunt fundamentum formalis veritatis quam habet Divina eorum cognitio. Quæ autem à sola Dei libertate pendent, præter fundamentalem prædictam, habent etiam formalem veritatem, hoc est conformitatem cum sua in Deo idea, qualis nulla est idea peccaminosorum actuum.

6. Petes num hujusmodi veritas futurorum contingentium pendeat à decreto Dei, an verò præcedat rationis ordine omne decretum? Respondeo. Non videtur neganda sententia (quam examinabimus libro sequenti) nihil de facto habere posse futuritionem; nisi dependentem ab aliquo Divino decreto. Et quidem non id concipimus, ut futurum, de quo nullum fecerit Deus decretum, saltem permissivum. Quare non potest Deus cognoscere quampiam rem esse futuram, nisi simul cognoscat, eam pendere à suo decreto præsupposito. Non ideo tamen opus est, ut eam ita cognoscat dependenter à decreto; quasi non aliter eam videat immediatè. Non enim necesse est, ut quod ab aliquo dependet in esse, ab eodem dependeat in cognosci. Fructus pendet ex arbore, quis tamen dicat, cùm fructum ex arbore pendentem vides, tuam quam habes pendentis fructus vi-

sionem pendere ex arbore, aut ex visione quam habes arboris?

7. Contra id quod jam dictum est (non posse quicquam concipi, ut futurum, nisi postquam Divinum factum supponatur de eo decretum saltem permissivum) objici potest rem nullam jam existere aut exstituram esse; quæ in priori rationis, antequam de ejus existentia Divinum posset supponi decretum, non potuerit ac debuerit concipi ut eque exstitura. Non enim verum fuisset dicere in illo rationis priori; Antichristus, verbi causâ, non est futurus: Siquidem cùm esset futurum de illius existentiâ decretum; clarum est futuram fuisse executionem illius decreti. Posset respondere fortè aliquis hac in re; nequivisse in illo priori, antequam supponeretur ullum Dei decretum, pronunciari quicquam sapienter de futura vel non futura existentia Antichristi. Et ad summum potuisse pronunciari Antichristum futurum esse mediante futuro Divino de ejus existentia decreto. Talis tamen propositio de futura futuritione rei alicujus, & iterum consequenter de futura futuritione futuritionis esset inutilis atque nugatoria.

8. Quare illo repudiato responso videtur melius, si dicatur intellectum Dei Patris nequivisse cognoscere ullius rei futuritionem in priori, quàm cognosceret intuitivè suam essentiam, & hanc intuendo generaret formaliter filium, cujus generatio in ea intuitiva essentiæ cognitione consistit. Quapropter cognitionem cum futuri Antichristi tùm omnis futuri de illo decreti, utpote contingentem, præcedit ea cognitio essentiæ Divinæ intuitiva & formaliter generans actu filium; nam omnis cognitio futuritionis creaturarum & liberorum circa illas decretorum contingens est; atque supponit productionem Filij imò & Spiritus Sancti. Nihil enim ante has duas personas productas Pater liberè decernere aut contingenter decernendum cognoscere potest. Confirmatur. Nam si Pater existens in actu primo, cognitiones prædictas futuritionum haberet, deberet Filium ex talibus cognitionibus generare; & eas quæ ipsius solius fuissent Filium docere.

9. Sunt qui velint Deum hodie indifferentem esse; ut ab æterno cognoverit loquuturum (verbi causâ) Petrum, aut ut cognoverit eundem non loquuturum; & posse hodie ad alterutram cognitionem (quæ jam incipiat fuisse æterna) se applicare: Non tantùm quia hodie in Dei arbitrio est Petrum determinare ad loquendum; vel ad non loquendum; itavt si illum determinet ad non loquendum, necessarium sit, ut ab æterno ipse Deus præviderit non loquuturum; aut contrà, si secùs eum determinet. Non volunt, inquam, ita. Nam cùm eo stat manifestè quòd ex suppositione prævisionis quæ de facto fuerit, non jam possit indifferenter alia fuisse prævisio. Sed potiùs volunt, ut hodieque maneat velut suspensio æternæ prævisionis; & non supponatur sic determinata prævisio fuisse, quin possit Deus jam eligere ut non fuerit, sed ut incipiat fuisse ab æterno. Hæc doctrina tribuitur multis gravibusque Theologis, Bonaventuræ; Richardo, Alberto, Marsilio, Scoto; Durando, maximè vero Nominalibus Okamo, Gabrieli, Gregorio; quos multi recentiores videntur sequi, ut Vega lib. 2. in Trid. cap. 17. Corduba lib. 1. Theologicarum quæstionum 55. Driedo de concordia liberi Arbitrij p. 2. cap. 2. Pighius de libero arbitrio lib. 8. cap. 1. &c. Fundantur in eo quòd nequeat aliter salvari indifferentia effectuum contingentium, vel veritas Divinæ Scientiæ. Nam si Deus jam supponitur præcognovisse locutionem meam, ergo non possum non loqui; vel, si possum, falsa reperietur Divina Scientia. Tam ergo necessarium est, ut Deus sit hodie indifferens ad æternam præcognitionem vel hanc vel illam: Quàm possum vel loqui vel non loqui. Ad confirmationem adduci potest illud Augustini dictum, *Si non es prædestinatus, fac vt prædestineris.*

10. Sed hæc Doctrina, quam mirum est fulciri tot ac tantis authoribus, supponit esse in Deo potestatem ad præteritum, quod est absurdissimum & contradictorium. Nec valet quod ingeniosè dicit Bonaventura, Scotus & quidam alij ex citatis, Divinam rerum visionem secundùm seipsam non transire in præteritum, sed semper in egressu esse intra ipsum, *nunc*, indivisibile æternitatis; quod est semper totum præsens. Cùm igitur visio Divina quandiu præcisè egreditur, accipiat suam specificationem ac determinationem; non est mirum, si possit hodie juxta sui objecti exigentiam, determinari; itavt incipiat pro tota extensione æternitatis respondere huic vel illi parti contradictionis pro arbitrio Dei, seu causæ illius liberæ, ex quo pendet objectum contingens. Quomodo intelligitur restare in prævisione Divina potentiam ad præteritum; sive indifferentiam & potestatem; ut causa hodie incipiat fuisse ab æterno determinata ad hanc vel illam partem contradictionis. Hactenus illi. Non, inquam, id valet. Nam si Divina visio est semper in egressu, itavt nunquam, sicut isti volunt, transire possit in præteritum, quia Deo nihil præteritum esse possit: Ergo non potest Deus nec hodie, nec unquam determinare visionem suam ad unam partem contradictionis. Si enim hodie se determinaret, desineret talis visio esse in egressu & transiret in præteritum: Vel si perseveraret post determinationem esse in egressu & in præteritum non transiret; ergo esset adhuc indifferens cras ut ei Deus daret contrariam determinationem: Atque ita non evitaretur, quin maneret potentia in præteritum. Nam posset fieri cras; ut determinatio quæ hodie extitisset, non extitisset.

11. Est & contra totam hanc doctrinam, quocumque modo explicetur, ista ratio. Nam si Deus propter contingentiam nequitiæ Antichristi potest scientiam suam, quam ab æterno habuit determinare ad vtramvis partem contradictionis; ergo non possunt esse certæ prædictiones de nequitia Antichristi. Quid enim scimus, vtrum Deus determinaturus sit visionem suam ad negationem nequitiæ, & facturus ut ab æterno non præviderit talem nequitiam, nec eam prædixerit? Sicque tolleretur omnis certitudo revelationum de futuris contingentibus. Nec Deus durante illâ, quam volunt, suspensione potuisset revelare vllum futurum contingens. Quo nihil dici potest absurdius. Ad fundamenta prædictorum authorum satisfit ex dictis capite quinto num. 3. & seq. Vnde etiam constat quomodò conciliari possit certitudo & immutabilitas prævisionis Divinæ cum causarum secundarum libertate, & effectuum contingentia.

CAPVT X.

Circà Divinam rerum contingentium scientiam intuitivam.

MORALIS CONSIDERATIO.

1. CVM essentialis ea sapientia, quâ Deus partim per beatissimam intuitionem attributa sua, partim per simplicem intelligentiam possibiles omnes creaturas cognoscit, summam, ut admirationem, sic & venerationem habeat. Non minùs tamen venerationis, & fortè plus admirationis habere debet contingens cognitio, quâ creaturarum existentiam sivè actu jam productam, sivè sequentibus temporibus futuram intuitivè contemplatur. Eandem enim vtraque sivè essentialis sivè contingens cognitio nullo discrimine venerationem exigit, cùm nulla (etiam formalitatis) sit inter hanc & illam intrinseca distinctio ut constat ex supra dictis cap. 3.

2. Quin etiam videtur admirationis majoris occasio; quòd ipsamet quæ Deo essentialis est cognitio, facta sit pariter contingens nullius intrinsecæ formalitatis accessione, sed solius extrinsecæ denominationis adventu. Quare hujuscemodi cognitio contingens, de qua præsens instituitur disputatio, præterquam quod latriæ religione propter id quod intrinsecè continet est colenda, maximam admirabilitatem habet propter eam denominationem merè extrinsecam; quâ nihil addente factum est contra commune adagium, ut idem manens omninò idem aptum sit facere plusquàm idem. Et quæ simplex erat possibilium creaturarum intelligentia; non in sola contẽplanda rerum possibilitate hæreat, sed sine vlla sui mutatione intrinseca ad earum actualem existentiam insuper progrediatur, & scientia visionis fiat.

3. Inveniet itidem eruditus Lector quod in contingente Scientia visionis obstupescat propter infinitam eius latitudinem extensionemque objectivam. Essentia enim Divina, ut per indivisibilis immensitatem præsentiæ omnia loca intra mundum occupat; *Cœlum*, inquit, *& terram ego impleo*: Sic per infinitatem Sapientiæ quicquid in Cœlo terraque aut est aut fuit aut erit simplicis intuitionis amplitudine complectitur. Quare insignes quidam Theologi Divinam essentiam solâ ferè sapientia rerumque notione, unde nomen illi θεότης, contineri censuerunt. Quibus Synesius libro de insomn. suffragatur cùm Deum ait τῇ νοήσει οὐσιῶσθαι, ac si diceres cognitione illum essentiari sivè substantiari. Tribuendum est (inquit Cyrillus lib. 11. Comment. in Ioannem) naturæ principi rerum omnium τῇ τῶν ὅλων βασιλίδι φύσει ut ejus oculis nuda sint omnia & velut in apertam resupinata faciem ἔχειν ἐν ὀφθαλμοῖς γυμνὰ πάντα καὶ τετραχηλισμένα. Quæ sumpta sunt ex Apostolo verba, ad Hebr. cap. 4.

4. Nec verò putandum est mentem Divinam ijs tantum intuendis detineri quæ præcipuæ sunt vniversi partes; Cœlos nempè cum suis contemplari syderibus, aut in citeriore natura fixo aspectu solas eas res attendere quæ suâ magnitudine commendantur. Nihil est tam exile, & in suam, ut ita dixerim retrusum conditumque parvitatem: Nullus foliorum in sylvis motus, nulla vndarum in mari crispatio; nullus culicis volatus, aut pulicis emicans saltus; in cujus obtutu Divinus intellectus contentione non ab æterno perseveret, quantâ si nullum aliud possibile inveniretur objectum. In ijs verò præcipuè observandis considerandisque vel minimis quæ in hominum mente suboriuntur, Divina mens percuriosam se exhibet nec dubium est quin studiosè consideret quo quisque modo intra privatas etiam ædes se gerat. *Quid tam stolidum* (ait Ambrosius lib. 1. offic. cap. 4.) *quàm putare quòd quidquam Deum prætereat: Cum sol qui Minister luminis est, etiam abdita penetret, & in fundamenta domus vel secreta conclavia vi caloris irrumpat.*

5. Hic verò cogitare debet anima Christianæ specialiter addicta pietati, Christum non eam solùm, quam ut Deus habet vim attendendi cognoscendique adhibere; sed eam item quam ut homo accepit notitiæ perspicacitatisque facultatem exercere. Is enim ipsius ingenij sui humani viribus cognita simul habet omnia, vel minima, quæ vbivis vel opere fiunt, vel ore proferuntur, vel animo agitantur. Omnium (inquam) ille rerum rationem habet, momenta examinat, observat causas atque consilia. Id verò penitùs necessarium est: Cùm ipse Christus in omnibus quæ in supremo judicio disceptanda sunt, vel præmio afficienda vel supplicio, testis sit futurus simul, & quæsitor, & judex.

6. Ex ijs omnibus, quæ de infinitâ Dei perspicacitate, intentissimâque rerum in qualibet loci temporisque differentia contingentium observatione diximus; nemo est qui fructus nequeat capere non paucos. Et primò quidem sanctum timorem ac perpetuam cum animi sollicitudine vigilantiam concipi ab eo necesse est; qui se cogitarit in rebus omnibus observari ab illos quem sciat fore suum judicem, & eundem habere testem vereatur operum suorum omnium, qui nimirum juxta carmen quod canit Ecclesia *Speculator adstat desuper; Et nos diebus omnibus, Actusque nostros prospicit.*

LIBER OCTAVUS.

De Divina Scientia rerum sub conditione futurarum contingenter.

1. *POSTQUAM sunt expeditæ difficultates circà cognitionem intuitivam rerum quocumque tempore habentium existentiam absolutam; agendum occurrit de Divina Scientia illa quam vocamus Mediam, sivè ex parte objecti conditionatam: Circà quam orta est nostris temporibus celebris disputatio. Patres quidem ex illustrissimo sancti Dominici Ordine cùm primùm hæc cœpta est agitari controversia, defendere simpliciter profitebantur conditionatas de futuris propositiones nequaquam à Deo nisi probabili conjecturâ posse cognosci, veranè sint, an falsæ; nec majori certitudine à Sacris Scripturis esse prolatas. Postmodùm tamen ad opem cujusdam decreti à se in Deo excogitati confugerunt, ne pergerent negare hujusmodi conditionata certò cognosci à Deo. Itaque certamen mutatâ palæstrâ instaurarunt; ut non jam de Divinæ cognitionis certitudine, sed de modo talis habendæ certitudinis contendatur.*

2. *Ex quo fit ut quemadmodùm Tullius cum disputat, duplicem Academiam, veterem & novam distinguit; sic & nobis contra duplicem Thomistarum veterum & recentium aciem videatur instauranda esse dimicatio in hoc libro, quem libenter Sanctissimo Thomæ (quem certò nobis puto esse propitium) consecrarim. Quia tamen Suares cæterique nostri & cum nostris alij eo successu, quidquid olim erat, disputationes confecerunt; ut vix ulli jam sint qui Scientiam infallibilem horum conditionatorum Deo pergant denegare. Ideo contra veteres Petrum Ledesmam hujusque sequaces concertationem non renovabimus. Nihil enim jam restat nisi ut quòd introductum est decreti Divini figmentum rejiciamus. Vt verò id, quo par est modo, fieri possit.*

3. *Ostendetur in primo hujus libri capite; Quæ sint ea, de quibus agimus, futura conditionata; Quid Media Scientia; & quis hic status quæstionis. In Secundo capite rationes afferentur cur decretum antecedens repugnet; in quo Deus res sub conditione futuras cognoscat. In tertio, ut eas cognoscat, nullo eum ostendetur indigere medio. In quarto proponentur & solventur adversariorum argumenta. In sexto quæretur, an & quomodò noscat Deus suæmet voluntatis futura absolutè decreta: Necnon etiam quæ essent futura in quibusdam nunquam ponendis conditionibus. Deniquè septimò Librum claudet moralis circà Mediam Dei Scientiam consideratio.*

CAPUT I.

Qualia hic intelligamus futura conditionata? Quid sit Media Scientia? Quis quæstionis hic status?

1. ADVERTENDUM est 1. nos hic non agere de contingentibus ijs conditionatè futuris quorum existentia deesse non possit postquam aliqua conditio posita fuerit. Dubium enim non est, quin Deus, imo quin Angelus nosse queat quot flores, quot herbæ, quæ fertilitas, quæ sterilitas agrorum, &c. sequi debeant infallibiliter, si talis vel talis supponatur affectio, conjunctioque astrorum. Secundò ut non disputamus de ijs conditionatis rebus quæ habeant infallibilem cum sua conditione connexionem: Sic ne de illis quæ nullam habeant, & quæ sint penitus disparatæ. Vt cùm aliquis diceret, si Turcarum Imperator ambulet Constantinopoli, tu hodie Burdigalæ convalesces ex morbo. Tales enim propositiones, cùm aliquam significent effectus à conditione dependentiam non tantum absurdè sunt, sed etiam falsæ. Denique nonnulli (ut habetur apud Ariagam disp. 21. sect. 7.) considerant propositiones de impossibilibus conditionales: Qualis est hæc; si chimæra esset rationalis, & vocaretur à Deo, consentiret tali gratiæ. Sed hoc genus propositionum est indignum consideratione Theologicâ.

2. Omissis prædictis conditionatorum generibus, asserendum est conditionata, de quibus hic agitur, talia esse; ut conditio ex quâ pendent, conjunctionem quandam cum illis habeat non quidem necessariam, sed qualis est inter aliquem effectum & oblatam ejus occasionem, seu ad eum invitationem & suasionem. Quod genus conditionatorum passim vsitatum est; mirumque est posse ab adversarijs negari. Peto enim; nùm quando eorum aliquis est postulaturus quippiam ab eo, qui possit illud æquè negare atque concedere, hanc putet propositionem (si res talis petatur obtinebitur) infallibilem esse vi consequentiæ? Non sanè asseret: Nisi velit prædeterminationem physicam adhiberi. Quare falsum est quod ait Alvares disp. 7. de auxilijs, consequentiam si semel sit bona, non posse esse falsam.

Quid per Scientiam Mediam intelligatur.

3. Ut quid per Scientiam Mediam significemus intelligatur; notandæ sunt duæ celebres divisiones scientiæ Divinæ? Prior est in scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis. Scientiam simplicis intelligentiæ volunt Thomistæ rerum earum esse solùm quæ nec sunt actu, nec erunt, nec fuerunt. Existimantque illam esse sui sententiam Doctoris quæst. 14. art. 9. Sed eos nec Doctoris sui intellexisse sententiam, nec Sanctum Thomam eo loco scientiam simplicis intelligentiæ absolutè definire voluisse ostendimus lib. 6. cap. 8. num. 8. Altera divisio est in scientiam naturalem, & in scientiam eam liberam quæ est visio terminata ad res creatas; & quam non posse esse practicam neque causam rerum probavimus cap. 8. prædicto contra eosdem Thomistas.

4. His duabus præsuppositis Divinæ Scientiæ divisionibus facile est explicare ac tueri Scientiam Mediam, tum quoad nomen, tum quoad nominis significatum. Potest enim ex una parte reduci ad scientiam vel naturalem vel liberam: Sivè ex altera parte ad scientiam vel simplicis intelligentiæ, vel visionis: Quemadmodùm varij reduxerunt. Sunt qui, ut Herice disp. 9. cap. 1. num. 9. velint scientiam hanc in eo imitari scientiam naturalem seu necessariam, atque adeò ad hanc reduci posse: Quòd sicut liberum non est Deo cognoscere, verbi gratiâ, possibilitatem naturalem rerum; ita non pendet ab eius libertate nosse talem hominem si huic vel illi tentationi exponeretur, peccaturum reapse. Non enim potest Deus mutare quod talis homo tunc ex suppositione facturus esset, suo in talibus circunstantijs relictus arbitrio. Sed præterea hæc ipsa scientia; quæ eo modo quo dixi reducitur ad scientiam necessariam respectu Dei; potest aliter ad scientiam liberam referri: Quatenus non ita est Deo necessaria, quin is potuisset illâ carere, si in iisdem circunstantijs homo ille voluisset Divinis gratijs sibi oblatis præbere consensum. Quare illa scientia Divina, homini (licèt non Deo) libera est.

5. Similiter comparando Scientiam Mediam cum scientia simplicis intelligentiæ vel visionis, sunt qui eam, ut Herice in illo cap. 1. referant ad simplicem intelligentiam. Quia si Deus illum hominem de quo loquebamur, nolit vnquam creare, actio illius manebit quasi in statu possibilitatis omni carens existentia, & erit velut objectum simplicis intelligentiæ, non autem visionis. Sunt alij qui scientiam hanc conditionalem reducant potiùs ad scientiam visionis; ut Suares in opusculis lib. 2. de scientia conditionata, & alij cum ipso multi.

6. Nihilominus hanc scientiam, quamvis ex aliqua parte accedat, hinc quidem ad scientiam sivè naturalem sivè liberam; inde verò ad scientiam sivè simplicis intelligentiæ, sivè ad eam visionis, dicendum est esse peculiarem & à prædictis distinctam omnibus: Quam possumus dicere inter illas *Mediam* & ex illis aliquo modo *Mixtam*; ut docet Vasques disp. 67. cap. 4. Bellarminus lib. 1. de amissione gratiæ cap. 17. Lessius lib. de auxilijs cap. 9. Molina qui videtur invexisse primus nomen *Mediæ*, Fonseca lib. 6. metaphys. cap. 2. Quare falsum est quod Thomistæ inculcant, divisionem scientiæ in eam simplicis intelligentiæ & in eam visionis, adæquatam esse.

Quis sit status controversiæ circà Scientiam hanc Mediam.

7. Præter controversiam de hujus Scientiæ Mediæ nomine, quod magnos clamores in Schola Thomistarum excitavit, major fuit de re ipsa disceptatio; an scilicet Deus futurorum conditionatorum contingentium infallibilem habeat cognitionem: Vbi duæ nobis adversæ offerentur acies; nempè veterum doctorum, qui de hujusmodi futuris non nisi conjecturas menti Divinæ concedebant; & recentium, qui ne cum illis veteribus cogerentur inficiari certam in Deo notitiam prædictorum conditionatorum, commenti sunt efficax circa illa decretum; in quo eorum veritas posset plusquàm conjecturaliter nosci. Contra cujus commentum decreti sequens à me instituitur caput, omissa refutatione illorum veterum. Quorum sententia tam absurda tamque apertè falsa

judicata est ab ipsis ejusdem Scholæ Professoribus; at Pater à Sancto Thoma queratur eam illis falsâ impositam fuisse accusatione. Quàm tamen immeritò fiat illa querimonia ostendit evidenter Pater Hennao in libro de Scientiâ Mediâ historicè propugnatâ.

CAPVT II.

Non dari antecedens decretum, in quo Deus res sub conditione contingenter futuras norit infallibiliter.

1. QVANDOQUIDEM ratio cur olim Thomistæ Scientiam (qualem nos asserimus) Mediam negarint, eò tota redigi videbatur quod nullam in futuris conditionatis determinatam nosci à Deo veritatem assererent: Idcircò cum illos ejus tandem assertionis tæderet; decretum antecedens & efficax, ut dixi, excogitarunt quod illis conditionatis veritatem apud Deum conciliaret. Tale decretum inducit nominatim Alvares lib. 2. de auxilijs disp. 7. concipiendum scilicet his ferè verbis; si Petrus talem concionem audiret, decerno efficaciter illum fore convertendum: Vel è contra, statuo non convertendum, &c. Hujusmodi verò decreti genus nos in tractatu de Incarnatione ostendimus lib. 10. cap. 7. novum esse ac Sanctis Patribus inauditum; deinde cum libertate creaturarum non posse consistere; denique non satis ab hæreticorum sensu alienum esse. Idque totum etiam hoc loco juvabit manifestare.

Decretum hoc Sanctis Patribus est incognitum.

2. Primò igitur hujus generis decretum esse recenter inventum absque Scripturæ Sanctorumque Patrum authoritate; inde constat quòd Sapientiæ cap. 4. tanquam certò præsupponatur Deum nullo decreto quicquam statuisse de conditionato eventu justorum, quos in speciali habet amore: *Placens Deo*, inquit, *factus est dilectus, & raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Sanè dici nequaquàm potuisset raptum esse justum, ne per malitiam mutaretur, si de illo efficax præcessisset decretum conditionale circà futuræ vitæ eventum. Imò ea Scriptura supponit justi cujuscumque perseverantiam posse deficere; atque ideo nullam habere antecedentem necessitatem. Quare Augustinus id quod hic de justo prætnaturâ morte rapto assertum est, interpretatur dictum esse secundùm communia omnibus pericula hujus vitæ. Scripturæ item repugnat vniversim decretum hoc conditionale; quatenùs Dei reddit invalidas & inanes objurgationes, exempli gratiâ, *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida*, Posset enim Christo responderi; Hæ civitates æquæ ac Tyrus & Sidon conversæ fuissent si de illis æque ac de istis præcessisset efficax futuræ conversionis decretum conditionale.

3. Cùm adversarij neque ex Scriptura, neque ex Patribus proferant locum vllum, qui antecedentis circa conditionata futura decreti mentionem faciat, constat illud esse novum. Id verò argumentum, licèt negativum, censeri debet validum in hac materia; cùm ejus decreti significandi occasio multoties Patribus occurrerit; in qua, si vllum tale putarent, necesse illis erat, ut ejus mentionem facerent: Vt quando illam infidelium objectionem proponunt, & solvunt: Cur Deus illos crearit, quos pessimos futuros (per scientiam nempè conditionalem) sciebat? Cyrillus quidem libro 9. in Ioan. cap. 10. has proponit quæstiones; *Si omnia scire Christus dicitur, cum Iudam, qui futurus proditor erat, elegit? Cur Saülem ad regnum evexit Deus, quem sciebat gratiam suam spreturum? Cur primum hominem de terra formavit, quem sciebat lapsurum? Cur Angelos rebelles futuros creavit?* Similes agitant quæstiones, Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos, Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 5. & seq. Damascenus libro adversus Manichæos, & alij variè qui si prædictum decretum agnovissent; quæstiones has eo modo, quo jam enunciavimus non proposuissent; sed potiùs mirati essent; & quæsivissent, cur Deus efficaci suo decreto statuisset hos & illos impiè se gesturos esse, si illos crearet, &c. A Thomistis autem peto, nùm vllus eorum Patrum infidelibus prædictas quæstiones proponentibus respondere prudenter potuisset, Deum à peccatis impiorum conditionatè futuris non deterritum fuisse, quia ipse talia peccata conditionatè futura esse decreverat efficaciter.

4. Deniquè ipsorum authoritate Thomistarum probari potest decretum illud fuisse Augustino incognitum: Quia ipsi nobis objecerunt, sanctum illum Patrem negasse Pelagianis, Deum contingentia conditionatè futura præscivisse. Imò tale decretum ipsis etiam initio Thomistis ignotum fuisse indè constat; quòd, cùm primùm instituta fuit contra Scientiam Mediam disputatio, negarint aliter Deum quàm per conjecturam illius objecta præscivisse. Quod non negassent, si tunc putavissent decretum efficax Deum de illis futuris fecisse. Prætereà evidens est ipsorum confessio. Asserit enim Cumel in controversiis, controversia 7. & ex eo Ledesma (ut refert Herice disp. 7. cap. 4.) Patres à me jam relatos non admisisse in Deo nisi conjecturalem præscientiam lapsus Angelorum & Adami antequam suscepisset voluntatem eos creandi.

Decreto illo antecedente libertatem creaturarum destrui.

5. Cùm decretum, quod Thomistæ in Deo fingunt, absolutum ex parte actus & conditionatum ex parte objecti, antecedat creatæ voluntatis determinationem; & simul sit omninò efficax; clarum est necessitatem per illud invehi antecedentem. Et prætereà, cùm ex eorundem Thomistarum principijs executio illius decreti nequeat esse absque Prædeterminatione physica (quàm Prædeterminationem, ne de ipsa disputem ex professo suppono tanquam certum, exitialem esse libertati) nullus negare potest; quin bis illi perimant libertatem; qui prædictum, eo modo quo Alvares & omnis illa Schola, decretum adstruunt. Nec valet quod aliqui respondent, ut in eo periculo succurrant libertati, decretum illud non determinare actus nostræ voluntatis nisi ut liberos; atque ita quâ necessitate opportet illos poni, eadem ipsos oportet esse liberos. Nihil, inquam, id valet: Nam primò cùm actus voluntatis contingentes plurimi sint tales ut nequeant esse liberi, nisi sint peccata; quomodò

poterit Deus decernere actum aliquem sacrilegij aut blasphemiæ ut liberum, nisi se authorem peccati constituat? Deinde implicat contradictionem ut actus aliquis liber quâ talis prædefiniatur efficaciter. Nam si liber, potest omitti; si autem efficaciter prædefinitus, omitti non potest.

6. Contra jam dicta objicit Curiel Deum, ex nostra sententia, Scientiam Mediam habere ante omnes actus liberos non tantùm creaturarum, sed etiam suos. Ergo cum cognitio, quâ intelligit Iudam, si in tali occasione reperiatur, fore proditorem, sit & antecedens, & tam infallibilis; ut ex ejus suppositione involvat contradictionem cum Apostolum à proditionis abstinere peccato; necesse est non minus ex nostra opinione de antecedente Dei Scientia, quàm ex Thomistarum doctrina de antecedente Divino decreto, sequi peremptionem libertatis creatæ, necessitatemque futuri eventus. Respondeo hanc objectionem fundari in nostræ inconsiderantia & ignoratione sententiæ. Quæ si bene intelligatur, magnum invenietur discrimen antecedentis decreti, & antecedentis Scientiæ Mediæ. Nam decretum, de quo agimus, est simpliciter antecedens nec præsupponit existentiam sivè absolutam sivè conditionatam actuum voluntatis creatæ, quos prædefinit. At Scientia Media, quæ antecedit futuritionem actuum absolutam, sequitur post futuritionem eorundem conditionatam quæ conditionata futuritio semper esset, quamvis supponeremus Deum per impossibile non habere illius cognitionem; nullo enim modo pendet illa futuritio à Deo; nec ipsi libera est, sed soli creaturæ. Quare non eodem sensu dicitur, propterea Petrus consensit gratiæ, quia Deus antea sciverat illum esse consensurum; quo dicitur, Petrus gratiæ consensit, quia Deus antea decreverat illum esse consensurum. Scientia enim Dei conditionalis se habet quoad hoc speculativè instar visionis seu contemplationis: Itaque res non est conditionatè futura quoniam à Deo scitur; sed è contrà, scitur quia est conditionatè futura. Nihilominùs aliquo modo etiam verum est absolutè futuram, quia sciebatur à Deo futuritio eius conditionata: Ex qua nempè Scientia Deus elegit, juxta multorum sententiam, Petro, verbi causa, aut cuilibet confirmato in gratia talem inspirationem, & posuit illum in talibus circumstantiis & in tali occasione: Aut si non elegerit de industria ex tali Scientia, saltem cum tali Scientia. qua de re nos infrà libro de Prædestinatione.

7. Tantùm igitur abest, ut Scientia Media & ejus usus libertatem perimat creaturæ, ut eam potiùs tueatur; perituram alioqui per gratiam antecedenter efficacem. At non est ita de antecedente decreto efficaci. Dicant enim nobis Thomistæ (quod tamdiu petitur, expectaturque ab illis) quânam ratione, posito illo suo decreti commento, asserant conservari posse liberum nostrum arbitrium? Non aliud capimus ab ijs asseri, quam eos esse liberos actus, qui post Dei prædefinitionem, seu decretum infallibile oriantur seclusâ coactione, & suppositâ cognitione quæ sit in creatura operante cum indifferentia judicij. Atqui hoc ipsum est quod Calvinistæ (cum sanctis his religiosis nihil alioquin habentes commune) affirmant; qui tamen pessimè de libertate censent. Ad id respondet Pater à Sancto Thoma cum Patre Lemos, errasse Calvinum quòd post Dei decretum efficax non distinxerit in nobis, ut Thomistæ, necessitatem consequentis, quæ destruit libertatem, à necessitate consequentiæ, quæ libertati non nocet. Sed nos invenimus Calvinum 2. instit. cap. 16. distinguere duas in nobis necessitates, nimirum consequentis & consequentiæ, atque priore tolli ait, posteriore servari libertatem. Subdunt prædicti Patres, Calvinum gratiam solam Dei admittere quæ nos cogat. Verum si consulant librum illius secundum instit. cap. 2. legent ibi hominem habere libertatem à coactione, & post efficax Dei decretum solam esse necessitatem consequentiæ. Vlterius addit Ioannes à Sancto Thoma, Calvinum nolle actiones nostras prædefiniri à Deo ut liberas; at verò secùs Thomistas affirmare illas non aliter quàm liberas prædefiniri. Sed contrà. Nam primò, si actus voluntatis creatæ ut liberi à Deo prædecernantur efficaciter, sequitur Deum authorem esse peccati, cùm decernit actus qui, si liberi fiant, non possint esse nisi peccata; quale est odium Dei, &c. Secundò juxta ipsos Adversarios illæ actiones liberæ sunt, quæ non aliam habent necessitatem quàm consequentiæ, & procedunt ex cognitione quæ fit cum indifferentia judicij. Calvinus autem vult prædestinari actiones nostras, quæ habeant necessitatem consequentiæ solam, & fiant cum indifferentia judicij. Et tamen damnatur; quia se profitetur negare veram libertatem, & facit Deum authorem peccati.

Decretum antecedens Scientiam conditionalem non satis alienum esse ab hæreticorum doctrina.

8. Ex ijs quæ mox dicebamus constat videri aliquatenùs adversarios (studiosos alioqui Catholicæ propugnatores fidei) non sat longè recedere à nostri temporis hæreticis in modo explicandi tuendique libertatis indifferentiam; præsertim cùm experiamur aliquos hæreticos, quantùm à reliquis conantur Catholicis recedere, tantùm se videri velle propinquos Thomistis, licèt eos à se arcentibus pro eo quantum debent sancti illi religiosique viri, ut eos à sua extrudant vicinitate in hac nominatim causa, quàm hic agimus de antecedente Dei decreto: Ad quod decretum Calvinus, ejusque sequaces confugiunt, ut omnia peccata Deo tanquam illorum authori adscribant. Meritoque Franciscus Belcarius Episcopus Metensis in opusculo contra dogmata Calviniana asserit, Calvinum retulisse ad hoc decretum efficax hunc errorem suum, & dogma; nempè *omnia fieri necessariò, nihil autem contingenter evenire; neque Deum aliter futura prætendisse, nisi quia ita ut fierent decrevit* Et quidem hoc ipse Calvinus lib. 3. instit. cap. 23. §. 7. plenum esse fatetur horroris: *Decretum quidem*, inquit, *horribile fateor; inficiari tamen nemo potest, quin præsciverit Deus, quem exitum habiturus esset homo antequam ipsum conderet; & ideò præsciverit, quia decreto suo id ordinaverit.* Non discessit à Calvino quem semper in oculis & delicijs habebat Theodorus Beza, cujus hæc sunt verba in summa Christiani sui: *Omnia ita necessaria ex Dei immutabili decreto veniunt, ut secundùm illud Iudas necessariò Christum prodiderit; Herodes & Pilatus necessariò Christum condemnaverint, reprobi peccent necessariò & pereant; Adamus necessariò lapsus sit, quamquam creatus fuerit bonus ad tempus; sed ita ut inevitabili decreto, Deo sciente & ordinante laberetur; qui non potuit ita labi, nisi ex Dei decreto.*

9. Horum posteri nequaquàm degeneres, cùm eum quem à suis parentibus hereditarium errorem acceperant, viderent horreri ab omnibus, tanquàm vel ipso tætrum auditu; quid fecerunt? Stauerent speciosum

speciosum aliquod nomen assumere, ut dum se Thomisticos mentirentur Catholicorum auribus illuderent. Vt omittam Iansenistas, qui nuper se in Thomistarum clamabant jurare doctrinam; Inter Calvinistas rigidos Amesius disputans contra Bellarminum (ut Petrus à sancto Ioseph disp. 2. & Annatus disp. 4. cap. 4. referunt) conjungit Alvarem Calvino his verbis: *Nunquamne legit hoc Bellarminus nisi in Calvino? Alvares inter alios disp. 12. nu. 22. Deus, inquit æterno suo decreto atque efficaci voluntate prædeterminat actus nostros ante eorum prævisionem, & independenter ab omni scientia media.* Idem Calvinista postquàm retulit ex ipso Alvare hanc sententiam; *Deus per auxilium efficax prædeterminat physicè liberum arbitrium, ut liberè consentiat;* Subdit, *hæc sententia sic explicata est nostra.* Ejusdem sunt hæc verba: *Iesuitæ Scientiam fingunt quam Mediam appellant, quâ Deum dicunt ante decretum suæ voluntatis certò cognovisse quid Petrus ex innata sua libertate facturus esset, si tali loco &c.* Alter non minùs rigidus Calvinista Guillielmus Tuissius contra Scientiam Mediam scribens sic ait: *Interea hoc nos recreat quòd non modo Protestantes huic commento Scientiæ Mediæ resistunt, sed universa Familia Dominicanorum.* Ex his patet quàm expetant Hæretici ambitiosè in numerum adscribi piorum ac religiosorum Doctorum. In odium prædictæ Hæreticorum doctrinæ notanda sunt Catholicis hæc Alphonsi à Mendoça Augustiniani verba, quæst. 7. Scholast. concl. 5. *Quâ ratione impium ac stultum est dicere quòd Deus prædeterminet ad actum peccati, etiam quò ad materialem entitatem; sic verum esse non potest, quòd prædeterminet actum peccati quod futurum esset conditionatè.*

Comparatur decretum efficax & antecedens, quod in Deo ponit Scotus, cum eo quod Thomistæ ponunt.

10. Quandoquidem Scotus in 1. dist. 39. agnoscit in voluntate divina efficax decretum, quod antecedat omnem creatæ voluntatis actum; in quo decreto solo vult Deum contingentia futura prævidere non solùm absoluta, sed etiam ea saltem conditionata; quæ ipse Deus fuisse à se cognita revelavit; qualis est, verbi gratiâ, conversio Tyriorum & Sidoniorum, quæ contigisset, si &c. Constat opinionem illius subtilis Doctoris habere affinitatem cum Thomistarum doctrina. Quare videndum hîc, nùm tanta sit affinitas, ut argumenta quæ contra Thomistas attulimus, contra Scotistas perindè valeant. Et quidem ex superiùs dictis apparet quid hac in re Thomistæ censeant. Quid autem Scotistæ sentiant, patet ex eo quòd ipsorum Doctor loco citato asseruerit, voluntatem divinam habere decretum efficax & liberum circa omnes voluntatis creatæ actus: ita ut nihil sit contingens, nisi quatenùs pendet ab illo antecedente decreto, quod Deus habuit liberè & contingenter; quare si Deus non moveret liberè sed necessariò creaturarum voluntates, nulla foret contingentia nec libertas in rebus; ut ait Cordubensis lib. 1. disp. 55. dubio 10. & ut inter alios refert etiam Aureolus dist. 39. quæst. 5.

11. Disertè verò Cordubensis dicit in illa quæst. 55. dubio 8. Scotum opinari divinum intellectum non nisi à voluntatis divinæ decreto determinari ad cognoscendum certò futura contingentia. Cùm enim hæc pendeant à voluntate divina, intellectus respicit determinationem ejus, & quid ipsâ efficaciter velit; sicque perspicit quæ sint infallibiliter futura. Hinc patet quàm propè absit Scotus & sui, à Thomistis. Licet illi non comminiscantur ut isti decreta infinita circa res omnes contingentes, quæ sub omnibus possibilibus conditionibus in quocumque possibili mundo futuræ essent.

12. Contra Scotum primò falsum est Deum cognoscere in solo suo decreto futura omnia contingentia, & nullam esse aliam radicem contingentiæ, quàm libertatem divinam. Secundò clarum est, non posse divinam voluntatem (abstrahendo à Scientia Media) efficaciter velle contingentia quæ pendent à voluntate creata, nisi destruatur hujus libertas; ut Okam & Gregorius Ariminensis probant in 1. dist. 38. quæst. 2. & alii passim; Et ipse Cordubensis fatetur id esse fortissimum, dubio 8. in tertia opinione; rejicitque Scotum dubio 10. sub finem asserens intellectum divinum independenter à voluntate divina cognoscere futuros nostros actus liberos. Atque ita stat, non minùs obesse libertati creatæ decretum antecedens quod fingit in Deo Scotus, quàm illud quod Thomistæ: nec minùs cogitur ille quàm isti recurrere ad Prædeterminationem physicam. Neque verum est quod aiunt Scotistæ, se non ponere intrinsecam (quæ est inimica libertati) sed extrinsecam (quæ ei non obest) Prædeterminationem per decretum Dei antecedens. Nam primò necesse est illos admittere aliquid intrinsecum in voluntate creaturæ determinanda efficaciter. Et præterea evidens est non minùs voluntatem necessitari extrinseco decreto efficaci, quàm intrinsecâ Prædeterminatione. Denique sanctis Patribus antiquis tale decretum non admittentibus æquè ac Thomistæ repugnat Scotus.

CAPVT III.

Nullo medio cognito indigere Deum, ut norit contingentia futura sub conditione.

1. ILLOS capite præcedenti confutavimus, qui decretum ponunt antecedens, quo Deus indigeat, ut in eo conditionatè futura contingentia intelligat. Quos advertendum est extra quæstionem propositam opinari. Cum enim controversia in eo consistat, nùm Deus norit ea contingentia conditionata, quæ non habeant medium, in quo vi necessariæ illationis cognoscantur; Thomistæ & Scotistæ proponunt tale decretum ex quo futuritio contingentium conditionatorum inferatur vi formæ propter connexionem, quam omnes eventus habent cum divina voluntate, quæ illos efficaciter prædefinierit. Qua in re, cùm dicturi sunt se quæstionem factam ita dissolvere, ut fateantur, si adsit Dei decretum (& non aliter) ea posse à Deo cognosci, quæ non aliunde habent vi formæ, ex aliquo medio illationem: Non parvam Deo inferre videntur injuriam; & ei facultatis cognoscitivæ excellentiam, quæ ipsi propria singulariter est, adimunt. Qualis enim est illa perspicacitas, quæ non possit Angelo cuilibet, quin & homini competere; ut ex decreto cognito evidenter efficaci (cui scilicet ne quidem Divina potestas valeat resistere) colligat futuritionem infallibilem ejus rei, quam fore determinarit?

Dices summam te tribuere Deo excellentiam, quòd potuerit habere tale decretum efficax. Respondeo. Illa excellentia non ad vim intelligendi, sed ad voluntatem omnipotentiamque pertinet. Quare quòd nequeat Deus nisi ex tali decreto, aut aliquo simili necessario medio eventus certò futuros præcognoscere, sequitur illum infinitæ perspicacitatis non esse.

2. Superest ut indagemus utrùm excluso decreto prædicto aliquid aliud reperiri possit, in quo Divinus Intellectus cognoscat istiusmodi futura conditionata. Qua in re idem est dicendum ferè quod de contingentibus absolutè futuris libro superiori cap. 5. 6. & 7. dictum est. Ubi easdem aliquorum opiniones refutavimus, quas & hîc improbaturi sumus. Et primò quidem occurrit opinio Molinæ in concordia disp. 49. & 50. qui Durandum secutus in asserendo modo, quo Deus absoluta futura cognoscat, existimat, ea cognosci in sua causa proxima, & penetratione perfectâ voluntatis creatæ, atque omnium quæ illam ita circumstant, ut ipsam vel determinare, vel ab agendo impedire possint. Veruntamen contra id opponendum hic est, quod loco citato asseruimus. Nam si ea quæ voluntati per seipsam liberæ & indifferenti adjunguntur (qualia sunt judicium, intellectus, objectum &c.) determinant illam necessariò ad agendum, ipsa non remanet libera; sicque id quod agit non est futurum contingens, de quo disputamus: si verò suam illi relinquat libertatem, est impossibile, ut Deus illam circumstantiis instructam omnibus comprehendendo, & (ut adjicit Molina) supercomprehendendo, cognoscat futurum ejus actum. Nam in ipsa, ut indifferens est in actu primo, nullus effectus vel actus secundus deprehendi potest, imò quo magis comprehenditur & supercomprehenditur, non alia cognoscitur quàm qualis est; nempe indifferens & sine ullo actu servando; alioqui si aliquid insuper comprehenderetur, foret deceptio. Quod si supercomprehensio nihil ponat super objectum; sed tantùm eo nomine significetur ex parte potentiæ seu actus, excellentia supereminens & vis quæ sufficeret ad plura insuper cognoscenda, si adessent & objicerentur; dicendum est illud excellentiæ quod in Divina cognitione reperitur, superfluum esse hîc, & adæquatam objecto comprehensionem sufficere. Quemadmodùm ipse Molina fatetur Deum se, & omnia sua perfectè comprehendere; licet se non supercomprehendat. Hinc patet primò non posse futura conditionata cognosci in comprehensione perfectâ voluntatis creatæ.

3. Quæ loco supra citato dicta sunt à nobis de Ideis, sufficiunt ut probetur nec posse in ipsis Ideis contingentia, quæ sunt futura sub conditione, cognosci. Divinæ siquidem Ideæ non repræsentant res nisi ut factibiles, neque ad contingentium existentiam se extendunt. Nam ut bene ait Scotus in 1. dist. 39. non repræsentant nisi extrema nuda propositionum; cognitio autem simplex extremorum non sufficit, ut causet judicium propositionis, quæ non sit per se nota. Ergo quantumcumque Deus se convertat ad suas Ideas simpliciter cognoscendas, non cognoscet per eas qualisnam sit copula extremorum, nec poterit quicquam eatenùs affirmare, vel negare. Nihil inquiram hîc, utrùm futura conditionata Deus cognoscat in sua ipsius natura & entitate, quatenùs virtualiter habente rationem seu habitus seu speciei. Nam licèt Divina Essentia sit eminenter aut virtualiter habitus ad operandi facilitatem, & species ad determinationem absentis objecti; tamen quemadmodùm intellectus creati non dicuntur in suis habitibus aut rerum speciebus objecta cognoscere, quamvis per habitus & species cognoscant; sic nec Deus (directè & sine reflexione) in seipso ut habente vim habitus aut speciei. Sicut quamvis sit intellectio, non in intellectione; sed per intellectionem dicendus est objecta cognoscere.

4. Quod attinet ad modum, quo aliqui Thomistæ volunt futura contingentia certò cognosci à Deo, quatenùs omnia realiter, & non tantùm objectivè præsentia sunt simul in, *nunc*, æternitatis indivisibili. Id nihil potest habere disputationis in iis contingentibus conditionatis, de quibus nunc agimus. Nam Deus illa etiam conditionata intelligit, quæ futura essent sub conditione nunquam intra æternitatem ponenda; ut quid faceret talis homo nunquam reapsè producendus, si in altero mundo nunquam futuro produceretur. Talis enim homo, cùm in omni æternitate nunquam sit futurus, non potest ullam habere in æternitate præsentialitatem, secundùm quam possit à Deo coràm videri. Imò considerandum est (quandoquidem Scientia Media præcedit scientiam visionis) ea etiam conditionata, quæ futura sunt aliquandò, propterea quòd aliquàdò conditio ex qua pendent purificabitur, cognoscibilia esse Deo ante omne liberum suum decretum, & consequenter priusquàm Deus statuisset quicquam de purificanda conditione; in quo priori non poterant illa cognosci in præsentialitate æternitatis. Quapropter evidens est, cùm in præcedenti libro clarè ostenderimus, ne quidem contingentia absolutè futura posse habere præsentialitatem in æternitate: multò minùs verum esse omnia contingentia conditionata (quæ nunquam existent) Deo præsentia in, *nunc*, æternitatis coràm objici. Et mera denique imaginatio est, quam Cajetanus amœna fictione explicuit, asserens fluentium spatia temporum, & quæcunque in iis fiunt, velut complicari, sistique in uno *nunc* simplici, & individuo. Quoniam verò æternitatem cum immensitate in hujus rei explicatione comparat; affirmans ut æternitas se habet ad tempus præteritum, præsens, & futurum, sic immensitatem se habere ad omnem locum; oporteret eum, sicut omnia tempora in unum momentum instantaneum redigit, eodem modo extensionem omnium locorum in unum penetrativè punctum contrahere.

Exponitur verus modus, quo Deus contingentia futura conditionata cognoscit.

5. Applicanda ferè sunt huic Scientiæ futurorum conditionatorum ea, quæ libro superiori cap. 8. de Scientia futurorum absolutorum diximus: cùm scilicet nec in decreto antecedente & efficaci, nec in proximarum supercomprehensione causarum, nec in Divinis Ideis, nec in æterna realis entitativæque suæ existentiæ præsentialitate, nec in ullo quod assignari possit medio cognoscantur; superest ut immediatè in semetipsis Deo sint objectivè præsentia; & ut in ea futura existentia, quæ sub conditione illis tribuitur, coràm appareant. Quamvis enim futura conditionata realem nunc existentiam non habeant, & eorum plurima defectu purificatæ conditionis nunquam sint habitura: nihilominùs veritatem quandam habent, prout tali vel tali conditioni subjacent; per quam veritatem determinata sunt ad al-

teram partem contradictionis. Eam autem determinationem utpotè scibilem, præscire absque ullo medio potest Deus per infinitam vim sui luminis intellectualis.

6. Modus immediatæ cognitionis eandem, nec multò majorem habet difficultatem in his futuris conditionatis, quàm habeat in absolutis; in quibus illum modum antiqui non satis clarè videntur agnovisse, aut saltem non satis explicasse: Licèt Scotus in 1. dist. 39. q. 1. & Nominales illum subobscurè indicarint; cùm dixerunt eum modum non posse à nobis declarari; & rationem quâ Deus absoluta futura contingentia prævidet, referendam esse ad infinitam vim Divinæ intelligentiæ. Nec Divus Thomas potuit alium modum quàm immediatæ intuitionis intendere, cum dixit quæst. 14. art. 13. intellectum Dei ab æterno ferri supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate, & prout subduntur Divino conspectui: Veteresque Thomistæ suum ita Doctorem intellexerunt, ut diximus libro superiori cap. 8. num. 1. Atque inde sumitur validum argumentum. Nam ut in futuris absolutis difficultatem, quæ apparet, necesse est superari; quandoquidem aliis rejectis omnibus modis hic solus modus superest, quo illa Deus possit cognoscere. Sic dicendum est in futuris conditionatis superandam esse (quæ haud multò major est) difficultatem; cum horum & illorum eadem ferè sit ratio.

7. Probatio enim utrobique eodem modo sumitur ex intellectus immensitate Divini, & ex veritate, quàm futura conditionata non minùs determinatam habent quàm absoluta. Et quidem quod ad immensitatem intellectus Divini pertinet, ei nec ad actum primum virtualis species impressa, nec ad actum secundum perfectio infinita deest: Nec apparet quomodò res per se scibilis à suprema possit ignorari mente; magnusque foret in rerum natura defectus, si cognoscibilitas aliqua reperiretur, in quàm nulla cadere posset cognitio. Nam si alicujus rei nuda & discooperta veritas non posset à Divino, à quonam posset creato intellectu cognosci? Foret ergo frustra in mundo illa cognoscibilitas.

8. Quod autem veritatem conditionatorum spectat. Ea (si supponamus conditionem, cui subjacet, poni) detegetur per ipsam statim experientiam; ut contigit in Petri terna negatione, veritatem, quæ anteà in Christi prædictione erat, in ipso manifestari eventu. Dices. Quid verò, si supponamus conditionem numquam ponendam atque adeò numquam futuram rei conditionatæ existentiam? Nihil est in eo casu, quod Deus per Scientiam Mediam intelligere possit; cùm nullum nec præsens, nec unquam futurum objectum occurrat, sed merum nihil. Respondeo cognosci verum objectum; non quòd existentiam habeat, aut habiturum sit, sed quod habiturum foret, si conditio non deesset. Instabis: Id objectum, cujus existentia nec fuit, nec est, nec futura est, nullam habet existentem veritatem. Veritas enim existentiæ sequitur ipsam objecti existentiam. Ergo ubi nulla objecti existentia, ibi nulla veritas. Quòd si quis dicat, existentia quidem objecti nec est, nec fuit, nec erit, sed foret si conditio requisita poneretur. Si, inquam, id quis dicat; debet itidem dicere veritatem talis existentiæ nullam esse, quæ jam cognoscatur, sed fore futuram, si poneretur conditio. Quæ conditio, si nulla futura sit unquam, nulla potest unquam esse veritas. Quomodò enim veritas ejus objecti, cujus existentia nec est nec fuit, nec erit, præsentem existentiam habere potest quam Deus cognoscat? Deus enim non cognoscit jam veritatem quæ foret, sed veritatem quæ præsens sit: Alioqui Deus verax jam non est, dum veritatem non præsentem enunciat: Atque ut verax esset; expectari deberet, ut conditio nunquam ponenda poneretur.

9. Ut harum instantiarum invaliditas percipiatur, considerandum est, quemadmodùm veritas de præterito præsens est in propositione, cùm dico (Iulius Cæsar fuit Imperator) sic præsentem esse veritatem de futuro; sivè absoluto (ut cùm dico, Antichristus erit) sivè conditionato (ut cùm pronuncio de aliquo reprobo, ille si moriens perfectam contritionem eliciat salvabitur.) Et quamquàm illius reprobi salus nunquam futura sit; tamen non minùs futura esset si contritio non deesset, quàm absolutè Antichristi futura sit existentia, quæ nunc magis præsens non est, quam prædicti reprobi salus. Urgebis: Non potest absque mendacio enunciari quod nullam præsentis veritatis habet causam. Respondeo. Veritas prout præsens est objecti sivè præteriti sivè futuri, in eo consistit, quòd propositio de tali objecto sit nunc vera, & non falsa. Non potest autem esse utrumque & vera, & falsa. Non etiam neutrum; sed debet esse alterutrum. Atqui certum est rem, quæ sub conditione foret si, &c. quæ tamen numquam existet; enunciari posse ut veram: quemadmodùm Christus, qui mentiri non potest, enunciavit conversionem Tyri, & Sidonis conditionatam.

10. Sumitur autem illa veri denominatio ab objecti existentia, quæ suo tempore vel fuit (ut existentia Iulij Cæsaris) vel erit (ut Antichristi) vel foret sub conditione (ut conversionis Tyriorum.) Atque ita veritas rei non jam existentis est denominatio quædam extrinseca. Cùm autem denominationes extrinsecæ non alias habeant causas, quàm formas ex quibus sumuntur: Hinc fit denominationes prædictas non alias habere causas sivè fundamenta proximè, nisi existentias Iulij, Antichristi, &c. Remotè autem causas habent quas illæ existentiæ sivè habuere sivè habebunt. Quare in conditionatis cum dicimus (Tirij fuissent conversi, &c.) fundamentum veritatis quàm talis propositio habet est proximè ipsa Tyriorum conversio; causa verò remota, ea est quæ conversionem illam produxisset, nempè (quæ fuisset) Christi prædicatio.

11. Quia veritas rei futuræ non potest aliter dici præsens, nisi quatenùs ipsius rei futuritio præsens est. Quæres quidnam sit futuritionem esse præsentem? Respondetur futuritionem esse necessariò connexam cum re existente in sua posterioris temporis differentia; & ut loquitur Augustinus lib. 11. confess. cap. 28. *esse velut præsentem ipsius rei expectationem*; Cujus expectationis objectum est ipsa rei existentia in suo posteriori tempore, prout connotans spatium quod ipsam præcedit, & quod concipitur excurrere deinceps tempore præsenti usque ad ipsam rei existentiam. Quemadmodùm id quod jacet in ima valle dicitur esse vertice montis inferius prout connotat spatium, quod medium est usque ad summum culmen. Dices Antichristi futuritio non potest esse nunc præsens; nec potest dici propriè, *Antichristus nunc est futurus*. Nam propria & vera significatio verbi præsentis, *est*, destruitur per vocem, *futurus*, nec emendatè dici potest, *Antichristus quia est futurus, erit*. Idem enim hoc est ac si diceretur; *quia erit, erit*. Neque melius est dicere, *Antichristus futuritionem nunc habet*, seu *nunc futurus est*; quàm dicere *Antichristus nunc* (*hoc est, in præsenti*) *erit*. Respon-

dendum est. Quamvis in rigore metaphysico rem examinando, ut dictum est, hæc propositio, *Antichristus nunc est futurus*, impropria videatur: Tamen in eodem usurpatur communiter sensu, ac ista, *Antichristus erit*: Quam nemo dixerit esse falsam. Et cùm dicitur futuritio Antichristi jam præsens est; seu, veritas quæ in ea futuritione fundatur, est præsens; non alium sensum id habet, quàm quòd absque mendacio jam dici queat, Antichristus erit tempore futuro. Quæ propositio non minùs vera est, quàm hæc, Antichristus peccabit, seu futurum est ut Antichristi peccatum sit suo tempore.

CAPUT IV.

Solvuntur quæ contra Scientiam Mediam objiciunt insuper adversarij.

1. SOLUTA sunt in superioribus nonnulla ex ijs, quæ objici solent contra Scientiam Mediam, nempè, quòd fuerit antiquis Patribus incognita: Et quod malè constituatur tanquam tertium membrum Divinæ Scientiæ. Item quòd non appareat cur ea Scientia dicatur esse Media. His objectionibus responsum est partim primo hujus libri capite. Vbi genus id Scientiæ conditionalis, quàm Mediam vocamus, ostensum est incognitam non fuisse antiquis; & rationem attulimus, cur meritò vocetur Media, cùm inter Scientiam simplicis intelligentiæ & visionis; tùm inter naturalem & liberam. Vnde fit ut constituta in duarum medio, neutra possit esse illarum, atque ita sit tertium membrum Scientiæ. Prætereà, quòd opponebatur, hujusmodi Scientiam non esse determinatæ veritatis, cum in ea negemus intervenire decretum Divinum efficax: Id capite secundo perpurgatum sufficienter totum est: Vbi decretum quòd in futuris conditionatis Thomistæ comminiscuntur, multis Deo indignum esse nominibus ostensum est. Ex capite etiam tertiò intelligitur quàm veritatem & quòd objectum Deus cognoscat in ijs ipsis rebus conditionatis, quæ numquam fuerunt, nec vnquam erunt ob defectum ponendæ conditionis.

2. Præter illas jam dictas objectiones, quædam aliæ afferuntur tam infirmæ, ut responso non egeant; nec aliud prodant, quàm nostram non intelligi ab adversarijs doctrinam. Vt cùm Cumel relatus ab Herice disp. 7. cap. 5. ait assertores Scientiæ Mediæ sibi contradicere, quando dicunt hanc propositionem esse causalem, *quia liberum arbitrium efficaci gratiæ consentiet, Deus scit infallibiliter consensurum.* Et ex contrario coguntur itidem fateri hanc esse causalem, *quia Deus gratiam dans efficacem scit consensum infallibiliter secuturum, ideò arbitrium infallibiliter consentiet.* Vbi præter contradictionem vitiosus est circulus. Hæc objectio facile solvitur, si intelligatur duplicem hic esse statum, nempè conditionatum & absolutum. In conditionato certum est Divinam cognitionem non præcedere futuritionem consensus liberi: *Deus enim novit futurum sub tali conditione consensum, quia re futurus est*; alioqui tolleretur arbitrij libertas. Deinde verò, quando conditione (nimirum efficaci vocatione) positâ, status transit in absolutum; certum est Divinam cognitionem conditionalem ut causam præcessisse consensum absolutè existentem; & ita veram esse hanc causalem, *ideò creatura consentit, quia Deus novit illam consensuram, & ex illa cognitione dedit gratiam efficacem.*

3. Addunt quasdam alias objectiones nullius valoris. Vt quòd si detur Scientia Media opporteat Filium in Divinis gigni ex illa Scientia, cujus veritas contingens pendet à libertate creaturæ; atque ita destrui mysterium Trinitatis, contingentiæ & variationis incapax: Et consequenter sublatâ Filij generatione tolli mysterium Incarnationis, &c. Ad quod respondetur negando Generationem Filij esse ex ulla cognitione contingente. Licèt illi qui tenent illam fieri ex tali etiam cognitione alio respondendi modo non careant. Ne frustra tempus insumatur, quasdam alias similes objectionum tricas non persequor. Quòd enim dictum est, hanc Scientiam pertinere ad Semipelagianam hæresin, ostendimus suo loco quàm illud sit falsum. Vnum dumtaxat aut alterum tangam dubium, cujus non erit omninò inutilis explicatio.

4. Videtur enim post illa quæ hactenus dicta sunt circa Scientiam Mediam quæri posse. Cùm per illam Deus intelligat omnes consensus dissensusque liberos Angelorum, hominumque sub conditione possibiles. Quid dicendum erit, si supponamus cognosci aliquem ita dispositum esse ut pro sua libertate nullo vnquam tempore, nullaque possibili occasione foret consensurus inspirationi Divinæ? Nonne Deo volenti omnes salvos fieri modus deesset in eo casu talem hominem convertendi à suo reprobo sensu, nisi veniret ad Prædeterminationem physicam, qualem Thomistæ; aut ad infallibile decretum, quale Scotistæ asserunt? Ad illud quæsitum. Respondeo negari vllam esse liberam creaturam quam Deus per Scientiam Mediam cognoscat omni oblatæ sibi gratiæ possibili restituram. Quamvis enim libertas semper integra relinquatur, tamen infinitis omnibus, quas Deus in sua potestate habet, resisti gratijs ab aliquâ rebelli voluntate est moraliter impossibile. Quod verò tale est, ut (quamvis physice possit) moraliter tamen nunquam sit eventurum æquivalet impossibili absoluto. Talis autem moralis impossibilitas quoad præsens negotium est in summo gradu, ob vim gratiarum Divinarum syncategorematicè infinitam.

5. Ad quod explicandum valere id quodammodò potest, (licèt vile) quod ait in altero de Divinatione libro Tullius: Posse quidem venereum jaci quatuor, jactis talis, at quadringentis jactis talis, nequaquaquam centum venereos posse consistere; quamvis nullus jactus per se ac distributivè fiat ab eodem homine & ejusdem vi brachij, qui non æquè ac primus possit esse venereus. Quantò magis (si ex prophanis ad Divina similitudo sumi queat) postquam aliquis semel, iterumque aut pluribus certo numero vicibus Divinas inspirationes eluserit, censendum est non itidem infinities elusurum etiam vehementiores? Eo modo Theologi tenent, ut singula peccata venialia vitare possimus, non tamen omnia, semperque vitari posse per gratiam ordinariam.

6. Placet applicare ad præcedentis rei explicationem discursum, quem Sanctus Thomas affert, ut exponat certitudinem Prædestinationis per plurimas gratias accumulatas; quamvis ob hominis libertatem fallibiles singulas. Quæstione sextâ de veritate art. 3. docet, concursu causarum multarum contingentium, & defectibilium perveniri ad vnum effectum, ad quem vnamquamque illarum Deus ordinat. *Et hoc modo est*, inquit, *in Prædestinatione.* Li-

berum enim arbitrium deficere potest à salute. Tamen in eo quem Deus prædestinat, tot alia adminicula præparat, quòd vel non cadat, vel si cadat, quòd resurgat; sicut exhortationes, vel suffragia orationum, donum gratiæ, & alia hujusmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem.

CAPUT V.

An & quomodò Deus cognoscat futura Decreta suæ voluntatis seu conditionata, seu absoluta.

1. SUNT qui negent posse in priori æternitatis signo cognosci à Deo ulla sua decreta ut futura. Sic Herice disp. 7. cap. 10. Vasques 1. p. disp. 65. cap. 4. Molina 1. p. disp. 17. Sed hi tres in eo quod idem sentiunt, circa rationes quibus nituntur non consentiunt. Herice quidem illa Divina conditionata decreta, quæ forent in alio rerum ordine, inficiatur esse objectum ullius scientiæ quàm simplicis intelligentiæ, utpote non futura, sed merè possibilia. Deinde illa decreta quæ Deus re facit, negat comparatione præcedentis instantis esse futura; cùm in eodem reali æternitatis indivisibili constet esse præsentia, nec ut futura intuitivè cognosci à Deo.

2. Vasques propter duas item rationes affirmat Deum non cognoscere in ullo priori signo, cùm est adhuc indeterminatus, suum ullum decretum ut futurum. Prior ejus ratio est: quia Divinum decretum suprà essentiales voluntatis actus nihil addit intrinsecum, sed tantùm relationem rationis: Ergo non habet quicquam quod in præcedente signo possit cognosci, ut in posteriori futurum. Et cùm hic Author nolit decretum ut futurum cognosci, non vult item ipsius decreti objectum cognosci. Altera Vasquis ratio est, quia negat distingui à Deo instantia solius rationis priora & posteriora in rebus quæ simul sunt in æternitate; cùm in æternis simul existentibus non possit unum præscindi ab alio. Nam etsi Deus in semetipso intelligat volitiones suas & ut essentiales sunt, & ut habent rationem decretorum liberorum; non tamen hanc rationem liberi cognoscit ut futuram, sed ut præsentem.

3. Molina similiter opinatur Deum non intelligere in priori rationis ulla sua decreta, ut in posteriori futura. Idque ob duas sibi peculiares rationes. Prior sumitur ex eo quòd Deum existimet non posse creaturarum futuros actus intelligere, nisi per supercomprehensionem causarum. Vnde infertur non posse ipsum contingentes actus futuros suæ voluntatis scire; utpote comprehendentem duntaxat, & non supercomprehendentem suæ vim voluntatis. Altera ratio est, quòd Deus si in primo æternitatis signo decreta sua cognosceret ut in posteriori futura, non haberet in illo ipso posteriori libertatem ad aliter decernendum, quàm præcognovisset; atque ita quod decerneret non foret liberum. Sed horum Authorum rationes omnes invalidæ sunt. Quod ad Herice spectat: Is duo dicit, in quibus peccat ambobus. Primò quòd quæ in alio rerum ordine foret decreta Dei conditionata censeat esse merè possibilia, atque ideò esse objecta solius simplicis intelligentiæ. Sed ad hoc respondetur, ea decreta, licèt nunquam sint re extitura; tamen cognosci talia esse, ut quæ existentiam omninò haberent si conditio requisita poneretur. Et ideò sunt objecta Scientiæ Mediæ. Secundò peccat in eo quòd decreta quæ actu sunt in posterioris rationis neget futura dici posse; cùm eorum non temporis, sed solius rationis sit posterioritas. Sic ille quæstionem facit esse de solo nomine. Sanè quo modo posteriora sunt respectu præcedentis instantis, dici possunt esse nondum existentia in illo priori, nec nisi futura esse. Quod autem addit, si vera esset nostra sententia benè dictum iri, Filium & Spiritum Sanctum comparatos ad Patrem, qui est illis ratione prior, habere eatenùs futuritionem. Respondetur negari paritatem, atque adeò consequentiam. Pater enim in Divinis non est prior nisi prioritate à quo, quandoquidem non constituitur Pater, nisi per generationem actualem; Atqui Generatio actualis habet tantùm prioritatem à quo respectu generati; neque hunc respicit ut futurum; quemadmodùm neque calorem calefactio, & idem est de Spiratore respectu Spiritus Sancti. At in præsenti quæstione ostendemus infrà nu. 13. cognitionem decretorum Divinorum priorem his esse prioritate non tantùm à quo, sed in quo.

4. Non valent item duæ, quas Vasques affert rationes. Non prior. Nam Deus, licèt decretum ejus non addat nisi relationem rationis suprà essentiales actus; potest tamen illud in posteriori signo, cùm præsens est cognoscere: quare ergo non eodem modo poterit in priori signo prævidere ut futurum qualecumque est. Sed rationem siquidem præcognitionis non magis interest, utrùm addat necne aliquid novum, quàm ad rationem cognitionis. Non etiam valet secunda ejusdem Authoris ratio. Nam asserendum est Deum intelligere prioritatem & posterioritatem, quam nos ratione distinguimus; & talis nostræ distinctionis fundamentum.

5. Similiter duæ rationes Molinæ rejiciendæ sunt. Quantùm ad priorem: Alibi ostendimus, nequaquam causarum creatarum effectus contingenter futuros cognosci per illarum supercomprehensionem. Quare constat neque hanc necessariam esse ut cognoscantur Divini actus contingenter futuri. Ad id enim comprehensio sufficit, quæ objectis adæquatur. Quod attinet ad rationem alteram, negatur Præscientiam infallibilem futurorum actuum impedire magis libertatem in proprio supposito, quàm in alieno. Etsi enim sit impossibile, ut quod infallibiliter futurum prævisum sit omittatur; ea tamen impossibilitas, consequens tantùm est, & præsupponit libertatem; quam posterior nec prævisio, nec ex hac orta impossibilitas potest infringere. Quo modo in Tractatu de Incarnatione libro 10. cap. 3. probavimus Christum suas actiones liberè operatum fuisse, non obstante certâ ipsarum prævisione. Nosque ipsi id in nobis advertere possumus. In illo enim ipso tempore signoque rationis, quo elicimus amorem, cognoscimus ejus infallibilem (ut putà præsentem) existentiam, quam tunc impossibile sit omitti; & nihilominùs talem amorem liberrimè elicimus. De hac ipsa re paulò pleniùs aliquid dicemus libro sequenti cap. 2.

Vera sententia de conditionatis Decretis Dei.

6. Rejectis eorum sententiis, qui decreta Divina libera posse, ut aliquo modo futura, præsciri nega-

verum; superest ut quo modo Deus illa (licèt sint conditionata) præscire possit explicare debeamus; nam ea præscivisse certum est juxta opinionem Suaris lib 2. de Scientia conditionali cap. 8. Fonsecæ tom. 3. Metaphy. lib. 6. Ariagæ disp. 21. sect. 4. &c. id verò sic ostenditur. Nam, ut constat ex Matth. 11. Lucæ 10. Deus suum de Pœnitentia Tyrorum cognovit decretum, quod nunquam fuit, sed futurum erat positâ conditione Prædicationis Christi apud eos. Habemus item ex Matth. 26 novisse Deum futuram suam absolutam voluntatem mittendi Christo legiones Angelorum, si ea petiisset. Quam tamen determinatam voluntatem re non habuit, defectu prædictæ petitionis. Significat etiam ipse Deus Psalmo 80. quòd decretum fuisset habiturus humiliandi Iudæorum hostes, si illi probi fuissent; *Si populus meus audisset me; Si Israel in viis meis ambulasset; pro nihilo forsitan (utique, ἂν) inimicos eorum humiliassem.* Vbi particula forsitan, non est dubitantis sed affirmantis; quemadmodùm particula, ἂν, quæ est in Græca versione septuaginta Senum Ἐν τῷ μηδενὶ ἂν τοὺς ἐχθροὺς αὐτῶν ἐταπείνωσα. Quare meritò Basilius & Augustinus illam particulam ait non esse positam ad certitudinis diminutionem.

7. Probatur item ratione Deum per scientiam conditionalem scire hæc eadem ipsa decreta quæ non fecit, sed quæ positis quibusdam conditionibus facturus esset. Nam evidens est ipsum Deum, si plures alios mundos condidisset, creaturum in iis fuisse, & prædestinaturum ac reprobaturum personas, de quibus creandis, prædestinandis &c. nullum decretum efficax habuit. Atqui in hoc ipso mundo, si Adamus in officio perstitisset, certum est alium fuisse futurum ordinem rerum; & consequenter, in variis occasionibus habiturum fuisse Deum alia decreta longè diversa ab iis quæ jam habuit, & multis quos jam malos reprobat æternam beatitudinem fuisse decreturum. Negari verò non debet, quin ea quæ non fecit, sed quæ facturus in aliquibus casibus & circumstantiis fuisset, cognoscat.

8. Ad confirmationem nostræ doctrinæ accedit, quòd ex Augustini, & communi aliorum sensu, novit Deus quid homo quilibet facere decerneret, si tali vel tali gratiâ vocaretur. Quare igitur de se ipso non cognoscat, quid his aut illis circunstantiis occurrentibus foret decreturus? Vbi notandum est conditionem oblatam Deo conferre aliquando, ut ipsius tale decretum sit, aliter non futurum: Atque ita Christi oratio valuisset ad inclinandam Patris voluntatem, ut legiones mitteret Angelorum; & Iudæ pœnitentia, si non defuisset, obtinuisset misericordiæ decretum. Aliquando autem conditio nihil confert; & tunc suum ex mero arbitrio decretum fore novit Deus ob solam inefficacem concomitantiam conditionis quasi simplicis occasionis.

9. Probatur porrò æterna decreta cùm absoluta tùm conditionata potuisse cognosci à Deo ut futura. Nam sicut non repugnat, quin Deus in priori rationis cognoscat se potentem decernere antequàm se norit volentem ac decernentem; Ita non apparet, quin possit in priori rationis cognoscere se esse voliturum ac decreturum, quàm cognoscat se esse volentem. Vt enim prioritas potentis decernere quàm decernentis fundatur in quodam ordine dependentiæ; quatenùs actuale decretum pendet à potentia decernendi, & potentia decernendi non pendet ab actuali decreto; Sic prioritas futuri quàm existentis decreti fundatur in eo quòd futuritio concipitur in priori rationis, in quo Deus est indifferens ac liber in actu primo; existens autem decretum non concipitur, nisi cùm Deus est in actu secundo & exercitio præsuppositæ libertatis: sive in eo quòd decernens oritur & pendet à decreturo, decreturus autem non oritur nec pendet à decernente.

10. Consentaneum est aliqua hîc annotare, ut meliùs quæ contra Hericem numero 30. dicta sunt, intelligantur. Itaque advertendum est primò illam prioritatem rationis (in qua dicimus à Deo suum liberum decretum quasi posteriùs cognosci) non esse (ut Herice & quidam alii volunt) *Prioritatem à quo*, sive meræ dependentiæ actualis; sed verè esse *Prioritatem in quo.* Non enim tale decretum liberum pendet à cognitione sui, ut à sui productione, neque existit ideò præcisè quia cognoscitur; quæ dependentia necessaria foret, ut illa cognitio haberet respectu decreti solam *Prioritatem à quo.* Præterea ubi non est *Prioritas in quo*, sed solùm *à quo* non potest concipi existere id quod prius esse dicitur, nisi concipiatur existere actu simul & realiter id quod posterius ab illo dependet: Quomodò inter actionem seu causam in actu secundo; & inter effectum est talis prioritas & posterioritas; ut qui causam in actu secundo causantem asserit, nequeat existentiam effectus non asserere simultaneam: Neque possibile est ut existentia effectus concipiatur differri in tempus posterum. At istud de quo agimus, decretum Divinum (verbi causâ condendi orbem) nisi ratio Divinæ æternitatis obstaret, posset manens in se idem differri post sui prævisionem, in multos annos. Atque in illo casu appareret clarè prævisionem ejus habere *Prioritatem in quo*, qualem nunc habet præcognitio intuitiva Antichristi.

11. Secundò advertendum est, cùm dicimus concipi in reali æternitatis instanti duo signa rationis; in quorum priori Deus cognoscat suum decretum, ut in posteriori futurum: Non debere concipi præcognitionem decreti antecedentem sic esse, ut asseri positivè concipique possit non existere posterius instans rationis & simul ipsum realiter decretum: sed tantùm ut per solam abstractionem seu præcisionem concipiatur cognitio intuitiva existere, & non item concipiatur existentia decreti. Quod abstractionis genus non repugnat, propterea quòd decretum illud non se habeat ad cognitionem Divinam eo posterioritatis modo quo effectus se habet ad actualem sui productionem. Quod explicari potest hoc exemplo. S Michaël (ut probabile est) eo quo creabatur instanti amavit Deum. In eo casu vidit tunc Deus in priori potentiam illius volitivam. Et intra illud Creationis instans nos rectè distinguimus duo instantia rationis; in quorum priori Deus intelligat Michaëlis liberam voluntatem in actu primo, ex qua oriatur in posteriori rationis amor ut futuritionem aliquo modo habens. ubi à nobis prius instans ita concipitur, ut abstrahamus à posteriori.

CAPVT VI.

Circa Conditionalem Dei Scientiam Consideratio Moralis.

1. INTER tres, quas Deus solas habet potentias, Intelligentia non solum voluntatem & Omnipotentiam ordine præcedit; sed & utramque ea

superat amplitudine quâ se ad objecta sua latissimè extendit. Vt enim omne & bonum voluntas, & possibile Omnipotentia respiciat; longè tamen plura Divinum Numen intelligit quàm aut velle queat aut exequi: Cùm nec velle quod intelligit malum, nec exequi valeat quòd intelligit impossibile. Deinde non omnia simul vult quæ velle; nec simul exequitur omnia, quæ facere potest. At necesse est ut non tantùm essentiali notitiâ infinitas Divinitatis suæ perfectiones & creaturarum possibilitates omnium, simulque omnia impossibilia cognoscat; verùm etiam, ut contingente Scientia existentes creaturas, non præsentes modò aut præteritas; sed etiam omnes absolutè futuras, imò eas quæ sub conditione forent, ne futuras quidem, coram semper inspiciat. Quare mentem Divinam oportet omnia simul vera, falsa, futura, non futura, bona, mala, possibilia, impossibilia in omni æternitate aperto semper oculo contemplari.

2. Et quidem ut de solis objectis, loquamur contingentibus. Quemadmodùm nulla est pars spatij vel minima, in qua Immensitas Dei tota non ita præsens sit ac si nullibi præterea esset. Sic tota vis Divina intelligendi in omnibus & tota in singulis licet minutissimis objectis considerandis detinetur. Tota nempè (quàm infinita est) se ita impendit ad intuendum quemlibet seorsim culicem, ac si nihil intelligeret aliud.

3. At quantò majorem admirationem habebunt, quæ de conditionatis futuris contingentibus ac de Scientia Media dici jam postulat orationis contextus? Licèt non aliunde sumpturi simus argumentum, quàm ex ijs rebus quæ in hoc nostro mundo evenire possent. Ne igitur per possibilium mundorum infinities infinitos conditionatos casus divagemus, & ne omnia persequamur quæ in hujus volubilitate mundi potuissent (si certæ quædam non defuissent conditiones,) singulis contingere mortalibus.

4. Sumamus vnius solius hominis exemplum. Advertat ergo ingeniosus Lector, quid, verbi causâ, sibimet ipsi posset in conditionum, occasionum, combinationumque infinitarum occursu contingere vel in vnius solius sæculi spatio. Quid? Si in Iaponia vltima, vel in quibuslibet alijs innumeris hujus mundi locis, cùm his & illis circumstantijs quæ infinities variari multiplicarique possent deprehenderetur? Quid si harum vel illarum cognitionum vehementi sollicitaretur impulsu? Tali tempore? Tali loco? Tali quocumque negotio possibili? Quid si hac vel illâ gratiâ prævenirectur? &c. Novit Deus & ex arce suæ æternitatatis intuetur omne quod inde contingenter eveniret.

Colligendus ex Scientia Media consideratione fructus multiplex.

5. Nimirum primò admirationis: Quæ naturaliter instar passionis sequitur, quoties eximium & insolitum quippiam occurrit, cujus perfectionem & excellentiam ad causas nobis notas referre non possumus. Quare præcipua laus & gloria, quàm Deo tribuere debemus, est quæ statim per se ex ejus contemplatione nascitur, admiratio. Quàm Scriptura Divina inter omnes alias perfectiones tribuit nominatim Scientiæ, Psal. 130. *Mirabilis facta est Scientia tua ex me (mimmenni*, hoc est, supra me, meumque captum) verùm ea cognitionis Divinæ admirabilitas, ut non à sola luminis extensione infinitaque perspicacite, sic nec ab extensione sola & objectorum varietate provenit; sed insuper ex eo quòd omnia vnico percipiat actu; qui actus ab vlla intellectiva propriè, nec eliciatur, nec sustentetur potentia; sed qui per semet existat, & subsistat. Deinde ex eo quòd ille vnicus atque simplex actus simul & essentialis sit per id totum quòd habet intrinsecæ perfectionis; & simul, nullâ seu rei seu modi accessione susceptâ, per solam, extrinsecam fiat denominationem contingens. Tertiò quòd Deus absque vlla sua mutatione. Iudam, verbi causâ, quem expressione vitali cernit damnatum, potuisset eadem vitali expressione videre salvatum. Quartò denique propria, hæc est Scientiæ Mediæ admirabilitas; quòd conditionata etiam ea, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec vnquam erunt intueatur, immediatè in seipsis nullo indicio, idque certissimè: Quod solius est privilegium Dei.

6. Sed non majorem certus ille infallibilisque Scientiæ Mediæ intuitus admirationem habet, quàm ejusdem vsus ad hominum Angelorumque salutem tanquam Divinæ Providentiæ infallibile instrumentum; & simul tutissimum illæsæ creaturarum libertatis præsidium. Vt enim quædam externa subjectaque sub sensus Sacramenta, per quæ ad supernaturalem vitam nascimur; sic & hunc Scientiæ Mediæ vsum Deus instituit velut spirituale aliquod, nec aspectabile, si fas ita loqui, Sacramentum; ut pote efficax rei maximè sacræ, nimirum gratiæ bonitatisque Divinæ signum & nostræ simul causa sanctitatis. Et quòd pueris infantibus est baptismus ad gratiam ex opere operato recipiendam; id ipsum aliquo modo ad eam promerendam, & ex opere operantis obtinendam est adultis hæc Media Scientia; quàm Deus, ut medium aptissimum adhibere solet ad creaturarum libertates eblandiendas; atque ad Prædestinatos à reprobis magno incomprehensoque mysterio discernendos, quemadmodùm nos libro de Prædestinatione infrà conabimur exponere. Nec dubium quin sanctorum omnium tàm Angelorum quàm hominum in Cœlo consortium hæc Divina Scientia pepererit.

7. Nostra imprimis refert, ut quid ex hac Scientia conditionali singulis nobis proveniat vtilitatis attendamus. Novit scilicet Deus per eam Scientiam, cùm bonam nobis mentem inspirat, quæ sit futura nostra sivè consensio, sivè repulsa ejus & repudiatio. Atque ita illius suæ cognitionis vsum, velut machinationem infallibilem illis adhibet; quos vult efficaciter ad se trahere; non tanquam vi tensili, quæ cardinem libertatis effringat, sed tantâ suavitate, ut ipsimet id quòd suadentur proprio potiùs eligere per se motu, quàm externum sequi videantur, impulsum. Hæc est illa *gratia secreta, quæ* (ut ait Augustinus de Prædestinatione sanctorum cap. 8.) *cum occultè humanis cordibus Divina largitate tribuitur, à nullo corde respuitur: Ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Quam gratiam Sanctus idem Doctor vocat Epist. 107. *secretam & altam vocationem*, & alijs alibi designat nominibus: Vt libro primo ad Simplicianum quæst. 2. eam dicens esse, *gratiam per quam certissimè liberantur quicumque liberantur. Vocationem secundùm propositum, non hominis consentire volentis, dum vocatur; sed Dei justificare volentis, dum vocat.* Nominat similiter alibi, *humanorum cordium quocumque voluerit (Deus) inclinandorum omnipotentissimam potestatem.*

8. Illa voluntates hominum cœlesti quodam incantamento, & velut fascinatione demulcet, ac vi-

ctrix quidlibet ab ijs obtinet, ipsamque in martyrio etiam subeundo constantiam. Cùm Sanctum Pantaleonem in acerrima tormentorum vi non constantem solùm, sed & igni virtutem urendi & carnificibus torquendi vires invocatione Divini Numinis adimentem Imperator miraretur Maximianus, artisque Magicæ accusaret; huic ille responsum tale reddidit; *Præstigia mea est Christus; qui mihi adest, hac operans sua efficacitate gratia.* Tuæ sunt illæ Præstigiæ, Deus meus, quibus nos incantas sapienter. Quare piè Clemens Alexandrinus tuos inter cultores insignis *Paonium te medicum & incantatorem animarum* nominavit. Non sit mihi Domine tantus furor, ut obturans aures, gratiam & vocem tam salutaris venefici non exaudiam incantantis.

LIBER NONUS

De Voluntate Divina.

QVANDOQVIDEM omnem vim cognoscitivam appetitiva quadam facultas subsequitur, ut in ipsis etiam animalibus rationis expertibus apparet; dubium esse non potest, quin supremæ perfectissimæque menti appetitio & voluntas illi accommodata conveniat. De qua voluntate consentaneum est, ut post explicata omnia, quæ ad intelligentiam, quà essentialem, quà liberam, quà illius utriusque Mediam pertinent, hoc libro disseramus. In quo primum occurrit inquirendum, an & quomodò actus primus & secundus voluntatis increata dici possit. Secundò explicanda ejus erit libertas, & plena in eligendo indifferentia. Tertiò explicandi necessarij actus amoris, quibus Deus seipsum prosequitur sui solius causâ. Quartò agetur de amore quo Deus propter creaturas se diligit. Quintò de ejusdem complacentia circa creaturas possibiles. Sextò de prosecutivis actibus Amoris erga creaturas existentes. Septimò de aversativis erga easdem affectibus. Octavò de Divinæ voluntatis actibus juxta progressum in deliberationibus, & eorum ordine secundùm signa rationis. Nonò de Divina voluntate secundum actus morales. Decimò de quibusdam alijs Divinæ voluntatis divisionibus Dei. Vndecimò librum claudet moralis & pia circa Divinam voluntatem contemplatio.

CAPVT I.

An detur in Deo voluntas? Et utrum talis quæ propriè habeat actum primum?

1. CVM naturam omnem sensus etiam expertem sequatur appetitus quidam innatus, sivè propensio naturalis ad id quod sibi bonum est; ita ut ad id tendat quando non habet, quando autem habet, in eo quiescat; naturam verò sensitivam sequatur præterea elicitus appetitus ipsi conformis: Necessarium est, ut naturam intellectualem sequatur appetitus spiritualis, elicitus qui dicitur voluntas, sivè volitio. Atque ita negari non potest, quin Deus, cujus natura est in summo intellectualitatis gradu, possideat perfectissimum appetitum elicitum. Quam veritatem docet Sanctus Thomas q. 19. art. 1. in corpore.

2. Adversùs hanc doctrinam negat Ariaga omnem cognoscentem esse appetentem essentialiter. Vult enim disp. 11. de anima & in tractatu de voluntate num. 1. & seq. (contra id quod Sanctus Doctor supponit) non repugnare divinitùs aliquod intellectivum non volitivum & appetitum quidem innatum concedit cuilibet naturæ proportionatum ipsi, hoc est inclinationem ad proprium bonum; non autem omni naturæ rationali appetitum elicitum. Ad quod probandum afferri potest; quòd à volitivo supponatur intellectivum ut priùs constitutum: Ergo ex negatione volitivi non sequitur negatio intellectivi. Non enim quod prius est pendet à posteriori: Quare videtur asseri posse nequaquam probari à priori per rationem ex Divo Thoma sumptam

tam

tam dari in Deo appetitum elicitum seu voluntatem. Sed negandum est præsupponi sic volitivo intellectivum, ut istud ab illo non aliquatenùs dependeat. Intellectivum enim non constituitur, nisi ut habens ordinem ad volitivum in actu primo; atque adeò trahit ipsum post se essentialiter; ita ut Deus non possit producere naturam intellectivam, quin sit volitiva in actu primo. Quare sicut ex negatione intellectivi sequitur negatio volitivi: sic ex negatione volitivi sequitur intellectivi negatio. Quamvis enim post intellectionem actualem quamcumque (post ipsam etiam beatificam visionem) possit impedire Deus ne amor aut alius actus secundus voluntatis sequatur per denegationem concursus; non potest tamen facere, ne post cognitionem actualem sit facultas appetendi seu voluntas in actu primo completo ad eliciendum actum, si ad eum Deus quasi miraculosè non suspenderet suum concursum. Itaque divus Thomas optimè Deum probat ex eo quod intellectum habeat, voluntatem etiam habere; supponens omne intellectivum continere habitudinem essentialem ad voluntatem à se inseparabilem modo jam explicato. Atque hactenùs exposita est ratio Physica, quam divus Thomas affert à priori cur voluntas detur in Deo.

3. Sunt alia quædam item à priori argumenta, quibus probatur voluntatem esse in Deo. Quale illud est quod sumitur ex eo quòd Deus sit summè perfectus & continens formaliter omnem perfectionem simplicem; qualis est voluntas. Præterea Deus est ut summè pulcher, sic & omni enti optimus ac vilissimus, atque ita infinitè amabilis. Debet ergo dari voluntas, quæ possit illius amabilitatem adæquare, ipsum amando quantùm amari potest. Nulla autem potest esse talis voluntas, quàm Divina. Deinde constat Deum esse non posse nisi beatissimum: Nequit autem esse talis, nisi voluntatem habeat; cùm Beatitudo consistat in ipsius Dei non solùm intuitione, sed etiam dilectione, & summâ vltimâque in objecto suo quiete. Denique cùm Deus omne ens bonumque contineat in sua omnipotentia, & conferre valeat infinita creaturis beneficia, nec possit quicquam producere vel conferre, nisi omnipotentia per voluntatem applicetur, & ad hoc vel illud determinetur; patet necessariam illi esse voluntatem & benevolentiam, quæ creaturas & producat & beneficiis afficiat. Ideoque in Scriptura sacra inter propria Dei nomina reperitur nomen *Schaddai* quo illius sufficientia & omnipotentiæ abundantia instar mammæ lacte distentæ atque turgentis, quæ fœcunditatem suam exonerare desideret, significatur. Explicatæ sunt hactenùs rationes, quibus aliquo modo à priori probatur voluntatem in Deo perinde ac intellectum reperiri. Nunc idipsum à posteriori etiam demonstrare attinet. Ac primò quidem

4. Ratio ad hoc probandum occurrit Divinæ voluntatis effectus: nimirùm hujus existentia mundi; in cujus vel sola productione, cùm in principio creavit Deus cœlum & terram, plurima occurrunt; quæ rerum vniversitati moliendæ ipsam Divinam præfuisse voluntatem demonstrent; illamque fuisse quæ summi applicuit intellectus sapientiam, ut præ aliis infinitis qui possibiles erant mundus iste produceretur. Eorum enim Philosophorum redarguit stupiditatem Ambrosius lib. 2. Hexam. cap. 2. qui nùm plures possibiles sint mundi dubitarunt: *Quid enim*, ait, *difficile ei, cui velle fecisse est* Voluntatem etiam probat in Deo factus non ex æterno mundus, sed in ea temporis imaginarii electa differentia, & in illo principio in quo Moses testatur creatum fuisse cœlum & terram. Mundi etiam gubernatio & rerum cursus non potest esse talis nisi à voluntate Dei. Et naturaliter omnes homines cùm Deum orant supponunt in eo esse voluntatem quâ possit ipsos exaudire.

5. Postquàm probatum est naturalibus cùm à priori, tùm à posteriori argumentis, Deum non minùs esse voluntate præditum quàm intellectu, ostendi manifestè potest id esse de fide. Constatque ex sacrarum Scripturarum oraculis. Nullum verò potest aptiùs proferri quàm ipsius Christi frequentissimum testimonium: Qui passim in Evangeliis voluntatem Dei sui Patris enunciat; ut cùm nos ita orare præcipit; *fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* Matth. 6. & Lucæ 11. Vt item cùm ait Matth. 12. *Pater mi fiat voluntas tua*; & Lucæ 22. *Verumtamen non mea voluntas sed tua fiat.* Paulus verò qui multoties asserit se Apostolum esse per voluntatem Dei; addit ad Ephesios cap. 1. Deum *prædestinasse nos secundùm propositum voluntatis suæ, & secundùm suum beneplacitum Sacramentumque voluntatis suæ.* Sufficit ex veteri Testamento unum addere Psalmi 113. *Deus autem noster omnia quæcumque voluit fecit.* Denique probatur Divinæ voluntatis existentia ex mysterio Trinitatis, in quo de fide est Spiritum Sanctum per communem Patri Filioque voluntatem produci.

Nùm Voluntas in Deo dici propriè possit Potentia, seu Actus primus.

6. Hæc est altera pars proposita in titulo capitis hujus. Advertendum autem est agi posse hic de duplici genere in Deo potentiæ, nimirùm sivè ad actiones transeuntes, sive ad actus immanentes. Et quidem quod ad actiones transeuntes attinet, dubium non est, quin verè potentia seu actus primus in Deo reperiatur; ea scilicet Omnipotentia, de qua nos posteà suo loco. Nec in hoc genere Potentiæ quicquam reperitur indignum Deo quatenùs potest vel habere actum secundum transeuntem, vel manere in solo actu primo cum suspensione ab omni exercitio: Quomodò reipsâ Deus per omnem æternitatem suspensus mansit, nihil extra se agens, & in principio temporis non omnia quæ potuit producens. Neque aliundè (cùm effectus transiens non informet suam causam) periculum est, ne Divinam aliquam aut mutationem aut compositionem actus secundus inducat.

7. Quod alterum considerari potest ad actus immanentes Divinæ Potentiæ genus; id in intellectu atque voluntate consistit. Et circa illud quæri primò potest utrùm physicam seu metaphysicam vim habeat suorum verè propriéque productivam actuum. Secundò utrùm sit eorum subjectum receptivum. Et quidem neque intellectus, neque voluntas (de qua hic sola disputamus) licèt habeat suo modo actus immanentes; non tamen eo modo habere potest quo nos in potentiis creatis illos concipimus. Impossibile siquidem est ut ipsos Deus habeat propriè formaliter ac plusquàm virtualiter. Sic enim mutabilis esset, nec realis cujusdam compositionis expers. Quam mutabilitatem & compositionem ut Aureolus à Deo arceat, negat ullam reperiri in illo potentiam sive in re, sive per rationem & conceptum

nostrum. Quare censet intellectionem & volitionem Divinam concipi debere ut actum improductum per se existentem nulloque modo informantem. Quare Aureoli sententia sic à nonnullis explicatur ut ab ipsis plurimùm approbetur atque laudetur.

8. Dicendum tamen est concipi à nobis debere in Deo voluntatem ut originem & radicem volitionum metaphysicam; quatenùs virtualiter & eminenter idipsum existit quod concipimus per modum potentiæ, licèt non sit formaliter eo quo concipimus modo. Cùm enim voluntatem sive potentiam appetitivam de Deo prædicamus ad eum modum quo de creaturis intellectualibus & rationalibus concipimus; nequaquàm nostrum concipiendi & prædicandi modum prædicamus, Deove tribuimus. Sed tantùm vim puram quandam perfectissimam, velut energiam facultatis, quæ eminenter existat, enunciamus: Imperfectus tamen modus noster quo potentiam qualis est in creaturis concipimus, nullatenùs asseritur de ipso Deo. Quemadmodùm Logici multi volunt Animal, verbi causâ, cùm de Petro prædicatur, servare in ipsa enuntiatione vniversalitatem suam genericam; sed tamen hanc negant prædicari; quasi dicatur illam vniversalitatem convenire Petro. Item qui balbutiendo narrat aliquod negotium, balbutiem non asserit tanquam suæ narrationis objectum; & qui Græcè laudat Scipionem, non ei suum Græcum sermonem tribuit.

9. Quare cùm id quod præcedente numero dictum est non videatur Aureolus attendisse, cùm eos Theologos reprehendit qui de Deo sic loquuntur; quasi habente vim intelligendi & volendi in actu velut secundo; reprehenditur jure ipse à Capreolo & à Ruis. Qui tamen ambo coguntur denique ei concedere, non esse propriè ac formaliter in summo ente intellectionem ac volitionem, tanquam actum secundum ab actu primo emanantem; sed esse actum per se subsistentem, non minùs vitalem quàm si elicitus esset à potentia. Porrò Theologos de Divino Intellectu ac Intellectione, item de Voluntate Divina & Volitione sic loqui, quasi ratione distinguant actum primum & secundum; apparet specialiter in Tractatu de Trinitate cùm de Divinis Processionibus disserunt, & quærunt, num earum principium formale censeri debeant Intellectus & Voluntas ut sunt solùm in actu primo, an potiùs ut sunt in actu secundo. Atque sic meliùs explicatur Personarum in Trinitate productio; dum aliqui, ut Scotus, Cajetanus, Canariensis, Vasques, volunt illam fieri per intelligendi volendique Potentias: Alii autem magis probabiliter ut Henricus, Suares &c. per actus secundos immediatè.

10. Nec dubium est, quin sancti Patres eodem modo, quo nos numero jam octavo exposuimus, concipiant voluntatem & volitionem atque aliquatenùs distinguant utramque; sicut disputando de Intellectu lib. 6. cap. 1. nu. 3. ostendimus ab illis Deum vocari Mentem, Intellectum, & Memoriam cui superaddatur actus secundus Scientiæ, Notitiæ, Intellectionis. Verbi. Et sanè cùm Patres omnes Scripturaque sacra Deo voluntatem cum libero arbitrio adscribant, necesse est ut ante determinationem electionis supponamus potentiam seu actum primum eligendi, sine quo actu primo non potest intelligi indifferentia! præsertim cùm Deum βουλευτικὸν & consultantem sanctæ Litteræ sæpè repræsentent; ut Regum lib. 3. cap. vltimo: Ait Dominus, *Quis decipiet Regem Achab? &c.* Isaiæ item cap. 6. *Quem mittam? Et quis erit nobis? &c.* Certè Deo, quod liber sit voluntatem ac potestatem, quæ actuali electioni præsupponatur adscribit Augustinus lib. de fide contra Manichæos cap. 28. asserens *illum qui facit summa, facere voluntatis potestate.*

11. Non probo quod Ariaga post aliquos alios diversâ ratione in Tractatu de voluntate Dei philosophetur: Intellectionem quidem (in qua ponit primam rationem essentiæ Divinæ) asserens, nihil ante se virtualiter distinctum supponere nec habere actum primum virtualem ex quo oriatur: volitionem autem concedens supponere actum primum, qui sit ipsa intellectio, sitque illius & elicitiva & receptiva; quoniam ante ipsam volitionem nihil aliud præcedit quod possit esse principium volitivum præter ipsam Intellectionem, quam putat esse constitutivam rationem essentiæ Divinæ. Huic doctrinæ meritò se opponit Herice; ejusque fundamentum destruit disp. 12. cap. 1. Dicendum itaque est volitionis non magis actum primum esse quàm intellectionis; & quoad hoc parem esse vtriusque conditionem. Licèt enim volitio supponat intellectionem; cùm nihil possit esse volitum, quin præcognitum; Illa tamen prioritas non potest pertinere ac rationem actus primi, seu potentiæ volitivæ.

12. Considerando voluntatem in actu primo juxtà modum explicatum nu. 9. negari non debet, quin per se solam, nullo per mentem nostram superaddito habitu, inclinationem omnem habeat, quæ requiritur ad perfectissimè operandum cum facilitate, constantia, delectationeque summa. Et quidem ita ut necessitetur circa quædam objecta, circa quædam verò alia relinquatur cum omnimoda libertate. Nam sicut maxima ejus est perfectio, necessitari ad seipsam reflexivè amandam, & totam naturam Divinam charitate beatificâ complectendam, item ad complacentiam essentialem possibilium creaturarum; ad prosecutionem omnis honesti; necnon ad displicentiam seu odium omnis turpitudinis. Ita & perfectio est simpliciter simplex ipsam esse liberam circa productionem creaturarum, electionem hujus potiùs, quàm illius rei. Quod hoc loco se offert dicendum de libertate voluntatis Divinæ prosequemur capite sequenti.

An & quomodò sit in Deo appetitus innatus.

14. Vbi tractatur de voluntate Dei seu appetitu elicito, non est abs re addere aliquid de ipsius Dei appetitu innato propter vtriusque illius appetitus analogicam similitudinem. Quare cùm omnia, quatenùs participant rationem entis, habeant innatum appetitum ad ea quæ sibi convenientia sunt; agnoscunt Theologi in ipso etiam Deo, quatenùs summi habet rationem entis, appetitum innatum. Sed non eodem omnes id modo sentiunt. Sunt enim qui non appetitum hujusmodi agnoscant in omnibus Divinis attributis, sed tantum in ijs quæ vim habent producendi aliquid à se distinctum: Qualis est Omnipotentia in ordine ad creaturarum productionem; & vis tam generativa, quàm spirativa ad intra & in ordine ad personas productas. Sic Ariaga disp. 24. sect. 3. vbi sentit reperiri appetitum innatum realem quidem in omnipotentia ad creaturas, & in Patre ad Filium, atque in Spiratore ad Spiritum Sanctum: Quoniam in illis est distinctio realis inter producentem & productum. Fatetur ta-

men esse posse appetitum virtualem, ubi est distinctio sola virtualis. Rationem reddit, quia appetitus innatus dicit aliquem in producendo conatum, seu realem, seu virtualem. Citantur in eam sententiam ab Arriaga Vasquesius, & Arrubal.

15. Sunt alij qui agnoscant in omnibus Dei perfectionibus appetitum aliquem innatum; ad quem volunt sufficere quamcumque sine vllo producendi conatu inclinationem. Hæc est sententia Valentini Herice; qui præterquàm quòd in Patre asserit esse appetitum ad Filium, & in Spiratore ad Sanctum Spiritum, quemadmodùm & in omnipotentia ad creaturas. Addit esse itidem in omnibus attributis Divinis appetitum innatum: Ita ut quælibet Divina perfectio illum habeat, non tantùm comparatione bonorum distinctorum, sed etiam ratione sui ipsius. Exempli gratiâ, ut Divina intellectio, est, inquit, suimet intellectio, & volitio suimet volitio: Sic etiam vtraque est sui ipsius complacentia: Eodemque modo in omnibus attributis est aliquod pondus ad suum esse, & ad suam conservationem, non per modum desiderij, sed per modum complacentiæ & quietis. Itaque propter summam identitatem atque complexum cum suis attributis, intelligimus Deum frui beatificâ in seipso, suisque omnibus perfectionibus quiete & gaudio.

CAPVT II.

De Libertate Dei.

1. QVANDOQUIDEM voluntatem Dei, ut superiori capite diximus, considerare clarioris disputationis causâ Thelogi solent quasi potentiam & actum primum virtualem aliquomodò per rationem distinctum ab actu secundo: Clarum est libertatem propriè pertinere ad ipsam voluntatem sûptam sub ea consideratione potentiæ seu actus primi. Nam libertas (creandi mundum, verbi causâ) consistit in duplici velut potentia ad volendum creare, & ad nolendum creare. Non est autem in actuali volitione creandi, posita duplex illa ad volendum & ad nolendum potentia; quandoquidem vtraque in actu primo existens, ut jam dixi, constituit indifferentiam, & indeterminationem; quæ sanè non potest reperiri in volitione seu in actu secundo: volitio enim est ipsa determinatio, & non est libera, nisi denominativè à potentia; ex qua habente in priori formaliter libertatem & formaliter indifferente procedit.

2. Vt verò de Divina libertate agamus, advertendum 1. est, eam sumi posse vel impropriè pro spontaneitate, cui coactio opponitur, diciturque à Theologis Græcis τὸ ἑκούσιον; vel propriè, nimirum pro potentia electiva & indifferente, cui adversatur necessitas; diciturque τὸ αὐτεξούσιον. Et quidem impropriam illam libertatem seu spontaneïtatem carentem indifferentiâ locum habere in Deo, & perfectionem esse simpliciter simplicem respectu quorumdam objectorum evidens est. Nec enim Deus liber est & indifferens ad eas perfectiones sivè absolutas, sivè relativas, quæ in ipso formaliter existunt: Quemadmodùm nec liber est ad habendam complacentiam omnium possibilium creaturarum, sine quarum possibilitate non esse posset Omnipotentia in ipso Deo essentialis; &, quod consequens est, nec esset ipse Deus qualis est. Adde quòd creaturæ omnes possibiles, quatenùs bonæ sunt, & quædam velut emanationes, sivè, ut ita loquar, decolorationes perfectionum Divinarum, nequeant non amari. Verùm non in hoc capite de impropria hujusmodi libertate & spontaneis ejus actibus, sed de propriè sumpta libertate, & arbitrio necessitatis expertè disserimus.

3. Quod arbitrij genus ut quale in Deo reperiatur intelligi queat. Advertendum 2. est posse vniversim arbitrium inter duo extrema sic suspendi, ut eorum extremorum vnum sit positivum, alterum negativum. Atque tunc vocatur libertas contradictionis. Idque non uno modo. Nam primò duo illa extrema in arbitrio creato considerari possunt respectu interni exercitij voluntatis; nempè ita ut extremum unum sit volitio, & alterum non volitio. Eaque libertas contradictionis reperiri quidem potest in creaturis, quæ sæpe liberæ sunt ad eliciendam volitionem, & ad non eliciendum vllum actum positivum; licèt illa negatio actus omnis positivi libera esse possit, & imputabilis. At verò is libertatis modus qui est contradictoriè inter alicujus rei volitionem & non volitionem reperiri nequit in Deo: Qui respectu omnis objecti debet ita se habere, ut circa illud aut actum volitionis seu complacentiæ exerceat, aut actum positivum nolitionis seu displicentiæ. Atque eatenus omnis libertas Divina, libertas est contrarietatis, seu specificationis. Nihilominùs, secundò si non consideremus libertatem respectu actuum voluntatis immanentium, sed respectu actionum transeuntium Divinarum, sivè respectu objectorum externorum, inter quæ facienda sit optio; non repugnat libertatem Dei esse eatenùs inter duo contradictoria; verbi causâ, inter creationem mundi, & non creationem mundi: Exercendo nimirum vel creationis volitionem, vel volitionem non creationis; aut (quod idem est) positivam nolitionem creationis.

4. Præterea notandum est duo illa extrema, inter quæ locum habet libertas, posse ambo esse voluntatis exercitia positiva, sic ut unum sit volitio & alterum sit actus nolitionis. Quoniam autem ea duo positiva exerceri simul non possunt, & eatenus sibi opponuntur; ea dicitur libertas contrarietatis; bifariamque in creaturis dividitur. Nam potest libertàs suspendi vel inter duo bona & honesta, quorum vnum alteri præferatur; vel inter duo quorum unum bonum, alterum malum sit; verbi gratiâ, inter virtutem & vitium. Constat verò hanc secundam complexionem extremorum eligibilium alienam omninò esse à Deo; qui essentialiter bonus, & Sanctus non potest eligendum sibi proponere quicquam turpe.

5. Iam porrò superest, ut libertatem, qualem Deo convenire asserimus, adstruamus; & in eo reipsâ locum habere Scripturarum primò authoritate probemus. Passim enim in illis occurrunt eâ de re testimonia. Vt cùm David Psalmo 93. ait; *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit.* Sanè cùm Deus peccata & condonat, & vlciscitur, constat eum id pro arbitrio suo facere, atque alternante sententiâ, judicioque, provt homo voluntatem in meliùs aut pejùs mutat, paratum esse suam flectere voluntatem, seu ad misericordiam, seu ad vindictam, juxta illud Psalmi 17. *Cum Sancto Sanctus* (bonus ac benevolus) *eris; & cùm perverso perverteris* (mutaberis in crudelem.) Quod ipse Deus Isaiæ 1. & Sanctis ut amicus promittit, & perversis ut hostis minatur: *Si volueritis & audieritis me bona terræ comedetis: Quod si nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis gla-*

dius devorabit vos. Voluntatem suam pro arbitrio, & hominum meritis flexibilem esse itidem ipse significat Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam, vitâ vivet, omnium iniquitatum eius non recordabor; si autem averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, justitiæ ejus non recordabuntur,* &c. Nec pauciora quàm in veteri desunt in novo Testamento eius veritatis testimonia. *Cujus vult Deus miseretur* (inquit Paulus ad Rom. cap. 9.) *& quem vult indurat.* Ac primæ ad Corint. cap. 12. *Omnia operatur vnus & idem Spiritus dividens singulis prout vult.* Quem locum explicans Ambrosius libro de fide cap. 3. *hoc est pro libera voluntatis*, inquit, *arbitrio non pro necessitatis obsequio.* Quoties verò in Evangelijs Christus nos ad orationem, & ad petendas suo nomine gratias hortatur, Divinamque in nos liberalitatem commendat, quid aliud quàm Divinam indicat libertatem ad ea quæ petuntur beneficia, cùm negare posset, concedenda?

6. Sanctorum Patrum longum jam esset coacervare suffragia. Duos tresve producam. Iam audivimus Ambrosium. Posset iterùm audiri, dùm lib. 1. Hexam. Philosophos veteres reprehendit putantes Deum non liberè, sed necessariò fabricasse mundum. Augustinus lib. de fide contra Manich. cap. 8. *Deus nullam*, inquit, *necessitatem patitur, neque necessitate facit quæ facit, sed summâ & infallibili voluntate, & potestate.* Hieronymus in Epistolam ad Philemonem reddens rationem, cur Deus non fecerit hominem qui necessitate bonus esset; *Quia si talis esset*, inquit, *ut bonum necessitate faceret, non esset similis Deo qui ideò bonus est, quia vult.*

7. Probatur & evidenti ratione liberum in Deo arbitrium. A priori quidem, quoniam cùm omni enti, etiam cognitionis experti aliquis insit appetitus innatus; ei autem enti, quod per sensum cognitionem qualemcunque habet elicitam, insit appetitus quidam elicitus consentaneus, & accommodatus illi perfectioni cognitionis elicitæ; necesse est ut ijs entibus, quibus non quæcumque cognitio competit, sed intellectiva, quæ nempè rationes hinc & inde cùm agendi, tùm non agendi percipit, & judicium formare potest indifferens, tribuatur perfectio appetitus, qui sit indifferens; & cujus cardo tam ad hanc, quam ad illam partem verti possit: Quare Divino & infinitè perfecto intellectui perfectissima debet respondere libertas.

8. Cujus etiam à posteriori probatio sumitur ex mundi libera creatione; quam antè sex annorum millia non fuisse, prima est Divinæ in Scriptura Sacra revelationis authoritas per Moysen: Quem in tempore cæptam rerum creationem genesimque mundi narrantem & de præterito prophetantem (ut Gregorius Homilia 1. in Ezechielem loquitur) propterea rejecisse dicitur Aristoteles, quòd non probando, sed exponendo, & commemorando asserat. Non diffitetur tamen ille Philosophus se contra nationum omnium judicia persuasionesque de necessitate mundi æterni sentire. Quandoquidèm igitur nec æternus, neque (quod consequens est) ex omni fuit necessitate mundus, illum opportuit non vi sua, sed supremi effectoris consilio, voluntateque liberâ ex nihilo emergere. Atque tantùm abest, ut ab æternitate possimus ortum mundi repetere; ut ridenda sit Chaldæorum Ægyptiorumquè vanitas de antiquitate mundi fabulantium.

9. Non solùm orbis construendi tempus, sed & singulas ejus partes ordinandi modus libertatem prodit creatoris. Nam cum juxta naturam elementorum, superior terram infimam aqua operire debuisset, dixit Deus ordinatione suâ; *congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt in locum vnum, & appareat arida*, quam scilicet habitationem dedit Filijs hominum. Et cùm æquè posset quodlibet elementum in prima sui creatione esse majus aut minus vno saltem indivisibili, quàm fuerit, cumque posset Cœlorum motus incipere versus infinitas alias Horizontis differentias: cùm itidem posset gleba producta in oriente, produci in Occidente, &c. Necesse fuit liberam inesse conditori vim res tam indifferentes determinandi ad eum modum qui de facto extitit: Atque ita operatus est omnia secundùm consilium voluntatis suæ: Quod consilium non potuit esse, nisi liberæ voluntatis; ut cuncta scilicet fierent in numero, pondere, & mensura. *Numeravit enim Deus multitudinem stellarum; mensus est pugillo aquas; & cœlos palmo ponderavit; appendit tribus digitis molem terræ; & libravit in pondere montes, & colles in statera.* Nec pauciora, nec minora extitere singula, quàm eorum destinarat author nullâ ad id necessitate devinctus.

CAPUT III.

De Divinæ voluntatis actibus circa ipsum Deum propter se amatum.

1. MAGNA se offert actuum in Divina voluntate diversitas. Illos enim eodem ferè modo dividere possumus, quo Divinæ intelligentiæ actus alibi distribuimus. Ut nimirum voluntatis actus alij sint circa Deum, habentes pro objectio perfectiones illius sivè absolutas & naturales, sivè relativas & notionales: Alij verò sint circa creaturarum possibilitatem, aut circa earum existentiam. Et quidem ex illis omnibus actibus nonnulli sunt essentiales; ij nempè qui respiciunt absolutas naturalesque Dei perfectiones, necnon illi qui quorumcunque entium possibilitatem: Nonnulli verò haud quidem essentiales sunt, sed intra Trinitatem simpliciter necessarij, quales nimirum ij qui tendunt ad personales relativasque perfectiones consideratas secundùm actualem existentiam. Nonnulli denique sunt contingentes, & quasi accidentaliter Deo supervenientes; hoc est, omnes ij qui ad creaturarum spectant existentiam. Atque isti contingentes varijs subdivisi modis multiplicantur. Sunt inter eos, qui creaturarum existentiam provt jam productam considerent; sunt qui ut futuram sivè absolutè, sivè conditionaliter. Aliqui sunt efficaces, aliqui inefficaces; item partim antecedentes, partim consequentes, &c. Atque has omnes actuum in Divina voluntate differentias, & quasi species, oportet nos isto deinceps libro exponere. Præsenti autem capite ab ijs incipiemus voluntatis actibus, quibus Deus circa seipsum afficitur.

2. Primò igitur dubium esse non potest; quin Deus naturam suam & omnia essentiæ suæ attributa, quæ non ad aliud, sed absoluta & ad se sola dicuntur; ea item quæ sunt ad aliud intra Trinitatem relativa necessario prosequatur amore. Nam si vllum possibile est objectum, quod non tantum amore dignum sit, sed illecebris suis vim habeat ad se omnia trahendi, patet eam esse naturam, quæ omnem in se continens quà bonitatem, quà pulcritudinem clarâ trahit ad se visione Beatorum omnium

voluntates, & quæ quò perfectiùs videtur, eo majore vi ad se rapit. Quare ambigi non potest, quin Deus omnem in sua contemplans essentia rationem amabilitatis, infinitè se diligat. Præterea Deum evidens est beatum esse non posse, nisi in dilectione suarum comprehensiva perfectionum; quarum sola possessio non potest beatitudinem sine dilectione conferre: Quare necesse est ut eas & intellectus intuitivè cognoscat, & voluntas complacitas habeat. Sic enim attributa omnia, quæ possessa perfectuni; eadem & amata beatum faciunt. Amabilitatem in attributis Divinis auget respectu Dei ratio, quam habent identitatis cum ipsius essentia, ut enim ait Philosophus. *Amabile bonum vnicuique, maximè autem proprium.*

Actus quo se Deus amat, non solo gaudio continetur.

3. Hoc posito dubitari primùm potest, nùm voluntatis actus quo se Deus diligit contineatur solo gaudio possessionis suarum perfectionum; ita ut cum gaudio non sit conjunctus amor simplex, qui est circa bonum aliquod, abstrahendo ab eo quod tale bonum absens sit aut præsens; & qui præsupponitur ad desiderium boni ut absentis, & ad gaudium ob possessionem boni præsentis. Negat Herice talem reperiri amorem simplicem conjunctum simul cum gaudio, quo Deus completur ob suarum possessarum perfectionum præsentiam. Quia sicut cum tali gaudio Deus non potest habere prædictarum perfectionum desiderium; cùm nequeat illas amare quasi assertivè absentes, cùm assertivè præsentes atque possessæ sint. Ita, inquit, non potest habere simplicem amorem qui abstrahat à sui objecti tam præsentia quam absentia, & qui ad vtrummis sit indifferens. Non enim magis repugnat gaudio supponenti perfectionum Divinarum præsentiam affectus desiderij qui supponat positivè earum absentiam, quàm prædictus amor simplex præscindens ab earundem positivè præsentia, hanc enim gaudium ita requirit positivè, ut nec præscindi permittat.

4. Nihilominùs contrà dicendum est cum Suare libro 3. cap. 6. num. 7. abstractionem ab alicujus præsentia non esse ejus negationem aut exclusionem, nec repugnare ejus assertioni positivæ: Atque ita amor simplex & strictè sumptus, provt abstrahit à præsentia Divinarum perfectionum, non repugnat gaudio earum præsentiam supponenti; neque gaudium impedit prædictum amorem. Imo considerandum est hujusmodi amorem simplicem, qui fertur ad aliquod bonum vtrocumque modo se habens (sivè nimirùm præsens & actu possessum, sivè absens) includi, & quodam modo immersum contineri non solùm in Gaudio, sed etiam in desiderio, nec non in tribus alijs actibus, quos non experimur in appetitu concupiscibili circa malum: Quin etiam ille idem amor quodammodò continetur in omnibus actibus irascibilis appetitus; qui tamen actus, quod supponant in objecto suo arduitatem, non possunt in Deo habere locum; nisi forte ira. Quòd autem amor simplex de quo hic agitur, involvatur in omnibus actibus appetitus concupiscibilis & irascibilis patet. Impossibile enim est, ut aliquis habeat desiderium absentis boni quod non amet. Idem est de gaudio. Sic nec odium potest esse, neque vitalis actus fugæ, neque tristitia circa malum, nisi actualis simul involvatur amor boni, quod opponitur tali malo. Item speramus tantùm id quod amamus; nec vllus desperare dicitur nisi de re quam diligit, & vellet habere. Qui irascitur, qui timet, qui fiduciam habet, malum respicit, sivè præsens, sivè futurum, quod vitare velit non sivè amore boni ejus, quod opponitur illi malo.

Deus ad sui amorem habet necessitatem exercitij.

5. Dubitari secundò potest, an Deus ad se amandum necessitatem habeat, non dico specificationis (de qua moveri quæstio non potest) sed exercitij. Ita ut nullo modo queat ab actuali dilectione suarum perfectionum sivè vniversarum, sivè singularum cessare. Circa quod dubium quidem esse non debet, quin affirmativè respondendum sit: Quamvis non omnes eæ rationes evidentes sint, quæ pro demonstrativis afferuntur. Qualis est illa, cui Vasques visus est nimis confidere disp. 79. art. 1. alijque plures: Quòd nimirum Deus nec in suæ entitatis infinita bonitate, quàm comprehensivè intuetur; nec in eo actu, quo seipsum diligit, aliquam mali vel umbram deprehendat. Ex qua sanè ratione ita nudè proposita (nisi aliud addatur) non conficitur vi formæ impossibilem esse Deo aliquantam identidem sui diligendi intermissionem, aut esse in sui amore necessitatem exercitij, & plusquam specificationis. Illius enim formæ vi concluderetur esse in homine viatore necessitatem exercicij quoad amorem erga beatitudinem sumptam in communi; quæ scilicet nullam potest nec in se, nec in sui dilectione habere mali rationem: Et tamen omnes asserunt necessitatem quoad amorem beatitudinis in communi sumptæ non esse in nobis aliam, quàm specificationis. His non obstantibus, licet vi formæ nihil in præsenti quæstione concludatur pro necessitate quàm Deus habeat perpetui assiduique amoris erga se: Nihilominùs rationem habendo materiæ, & bonitatis, pulcritudinisque infinitæ, quam Deus in semetipso clarissimè semper intuetur, non modò exortem omnis mali, sed nullis omnium possibilium perfectionum illecebris destitutam; necesse est ut ipsum Deum, (qui velut jam suprà dixi beatissimus est) ea rapiat insatiabilis admirabilitas, quæ Beatos omnes tenet sempiterno nec minima oculi nictatione interpuncto amore suspensos.

6. Eam veritatem de necessario & nunquam interrupto amore, quo Deus se diligit, confirmare solidè possumus ex eo quòd debemus concedere Deo perfectionem omnem simpliciter simplicem. Patet autem assiduitatem absque ulla intermissione amandi Deum esse perfectionem simplicem; cùm nihil importet, quod excludat perfectionem ipsâ majorem aut ei æqualem. Non enim aliam hæc necessitas excludere potest perfectionem, quàm libertatem amandi vel non amandi: Atqui hæc libertas non est perfectio æqualis huic necessitati, sed est longè minor: Sicut in homine libertas peccandi & non peccandi, quamvis comparata cum appetitu purè sensitivo sit necessitate non peccandi, quæ reperitur in bestiis, perfectior: Est tamen inferior necessitate non peccandi, quæ reperitur in appetitu Beatorum. Aliundè præterea necessitatem hanc Deum amandi, sine libertate ab ejus amore cessandi, esse perfectionem simplicem constat ex eo quòd necessitas quam Deus habet amandi honestatem moralem virtutum, putà sanctitatis, veracitatis, fidelitatis &c. sit perfectio simplex, cùm

sanctitas &c. non dicat ullam imperfectionem, Atqui necessitas amandi Deum longè major est perfectio, & minùs repugnans ulli quæ sit æqualis, quàm necessitas amandi honestatem virtutum moralium.

7. Bonum item est ad probandam in Deo hanc amandi sui necessitatem argumentum, quod sumitur ex communi Sanctorum dicto, Patrem scilicet atque Filium diligere se Spiritu Sancto, quatenùs hunc conjunctim producunt; quod dictum nos in Tractatu de Trinit. libro quidem 5. cap. ultimo nu. 5. obiter, sed lib. 6. cap. 6. nu. 6. & seqq. impensè exposuimus. Inde enim sequitur tantam esse necessitatem illius amoris quo Pater Filiusque se diligunt, quanta est necessitas Spiritum producendi: sed hæc necessitas excludit omnem potentiam interruptionis: Ergo & illa. Hoc, inquam argumentum, quicquid Herice disp. 14. cap.. 1. nu. 6. opponat, validum est. Quamvis enim, ut diximus prædicto libro 6. Pater & Filius ante Spirationem se diligere intelliguntur dilectione essentiali. Tamen cùm hæc essentialis dilectio sit fundamentum fœcunditatis spirativæ, non magis ea potest intermitti, quàm spirandi actio. Verùm prætereà significant Sancti, ipsum Spiratorem seu duos Spirantes Patrem & Filium ipso quo spirant actu diligere seipsos, simulque Spiritum per prædictam dilectionem notionaliter consideratam. Sic enim inter alios Bernardus serm. 3. Pentecost. asserit Spiritum cùm procedit actu, procedere ut *firmissimum vinculum Trinitatis*. Et Augustinus lib. 3. de Trini. *Non amplius quàm tria sunt*, inquit, *unus diligens eum qui de ipso est*; *alius diligens eum à quo est*; *& ipsa dilectio*. Ex his quæ dicta sunt fit ipsam dilectionem, quâ Personæ notionaliter inter se diligunt, debere esse necessariam & assiduissimam: Nec satis attendisse id videtur Herice, cùm dixit hoc argumentum sumptum ex Spiritu Sancto esse extra rem.

In Deo, suisque Personis est amor & amicitiæ, & concupiscentiæ.

8. Dubitari tertiò potest, nùm in actibus voluntatis Divinæ, qui sunt erga ipsum Deum, possit reperiri & distingui aliquo modo amor veræ charitatis seu amicitiæ, & amor concupiscentiæ. Ad hujus resolutionem dubitationis, advertendum est, bona, quæ Deus sibi velle potest, esse illi intrinseca & ab ipso indistincta realiter, de quibus primò jam dicemus, tùm etiam ipsi extrinseca, de quibus posteà. Et bona quidem intrinseca possunt esse perfectiones essentiales, possunt & esse personales seu relativæ; possunt item hujusmodi perfectionum aliquæ cum quibusdam aliis comparari ut habentes ab iis distinctionem virtualem minùs propriam; quæ non fit nisi quatenùs diversos habent effectus externos eo modo quo distinguntur per mentem nostram Misericordia, & Iustitia. Possunt etiam aliquæ ita comparari cum aliis ut propriam habentes distinctionem virtualem realem, quæ fit ratione prædicatorum intrinsecorum & effectuum diversorum, non quorumcumque sed formalium; qui intra Deum sint suo modo diversi plusquam ratione nostrâ; hoc est, qui sint ante rationem nostram virtuali realitate distincti, quales Intellectio, & Paternitas &c. Advertendum est prætereà posse hîc à nobis considerari Deum sive in concreto adæquatè, hoc est sub ratione unius subsistentis tribus Personalitatibus omnibus; sive inadæquatè sub ratione unius tantùm Personæ, hoc est sub ratione solius aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti. Prætereà Deus, prout adæquatè subsistens in tribus Personis, considerari potest velle sibi adæquatè sumpto bona intrinseca tàm universa, quàm singula. Potest item ille ipse considerari, ut unamquamque suarum Personarum diligens. Denique potest Persona quælibet considerari seorsim & singulatim, ut amans tùm se, tùm alias distinctas à se Personas.

9. Dicendum est, quamvis non possit reperiri, & distingui amor concupiscentiæ, & amor charitatis seu amicitiæ eo modo quo illum concipimus in creaturis; posse tamen alio excellentiori, & supereminente modo. Probatur primò quoad amorem concupiscentiæ; ita nempe ut non ad alterius bonum, sed ad suum quisque referat. Nam Deus sumptus adæquatè ut unus trifariàm subsistens, potest sibimet ipsi volitione, quæ tribus sit communis Personis, amare suas universas singulasve perfectiones, cùm absolutas & essentiales, tùm relativas & notionales, tanquam proprias sibique bonas uni. Potest item Persona quælibet seorsim sumpta eas omnes absolutas, quibus collectivè sumptis essentia Divina constat, perfectiones amare sibi tanquàm bonum proprium, & insuper eam suam quâ subsistit, & ab aliis duabus Personis distinguitur perfectionem relativam. Neque obstat quòd inter volitionem quâ se amat, & inter bonum quod vult & amat sibi, non intercedat distinctio realis: Sufficit enim, qualis reperitur, virtualis. Atque hæc de amore concupiscentiæ, prout invenitur in Deo. Sequitur ut probemus amorem item benevolentiæ & amicitiæ, qui ad alterum est, in Deo reperiri.

10. Siquidem primò dubitari non potest ex una parte, quin Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ament se invicem. *Pater enim diligit Filium*, Ioan. cap. 3. & Pater simulque Filius se diligendo diligit Spiritum quem amore producit; & Spiritus Sanctus ipse est amor. Ex alia verò parte certum est unamquamque Personam duas alias considerare ut realiter à se distinctas; atque ita Personæ ad Personam dilectionem esse prout ad alteram & consequenter nihil deest, quin sit amor amicitiæ. Nec obstat quòd sit individualiter eadem & amantis, & amati volitio; atque sic Pater, Filius, & Spiritus Sanctus nequaquam sint substantivè & plusquàm adjectivè plures amantes. Id, inquam, non obstat. Non enim Divinum istud genus amicitiæ putandum est ejusdem esse rationis cum amicitiâ, quæ est inter creaturas. Indidemque fit peculiare hoc esse in Divinis: ut quemadmodùm amicitia non constat ex pluribus amoris actibus reciprocis; sic in illa unus individualis amor non constituat plures amicos; sed constituat tres Personas, unum amicum, eâdem ratione, quâ Divinitas una individualis constituit tres Personas, unum Deum.

11. Nihilominùs addam tantùm abesse, ut illa individualis identitas volitionis seu amoris impediat, aut minuat perfectionem veræ amicitiæ, ut potiùs eam adstringat magis atque perficiat. Nam cùm inter creaturas quilibet nostrum juxta legem ordinatæ charitatis obligetur amare se magis atque arctiùs, quàm vel patrem vel filium; certum est cùm inter nos honestè pater filium amat & filius patrem; magis patrem à seipso amari, quàm ab eodem filium; sicut ex adverso filius se magis quàm patrem amat. Ergo si pater filium amaret eodem actu amoris individuali quo seipsum, & filius item pari modo patrem amaret: ita ut individualiter unus amoris actus in utroque esset; constat

in eo casu & filium à patre, & hunc ab illo amatum iri arctiùs atque perfectiùs, quàm possit amari juxtà legem quam præscribat aut permittat ordinaria charitas. Nam tunc patris, & filij ob unum in utroque charitatis actum individualem verè dici posset esse cor unum, & anima una. Unde conficitur quod intendo; scilicet perfectionem esse in ratione amicitiæ illam charitatem seu potiùs supercharitatem quâ se Personæ Divinæ invicem diligunt per eumdem individualiter dilectionis actum; quàm si reciproca multiplicaretur in eis dilectio. Et Personarum distinctionem sine distinctione actualis amoris sufficere, ut tres sint adjectivè amantes perfectissimi; quamvis non sint plusquàm unus amicus.

12. Ex occasione unius individualiter actus amoris communis tribus Personis, & eas modo jam dicto constituentis in ratione trium Amantium, adverto etiam in Divina intellectione, locutione & operatione ad extra, quamvis in omnibus unicâ Personis; simile quid evenire. Nam quemadmodùm unicus amoris actus sufficit, ut pluribus æquivalens actibus reciprocis Pater, Filius, & Spiritus Sanctus dicantur veram habere vnusquisque cum aliis amicitiam; & sint tres Amantes; sic idem in tribus ipsis Personis actus intellectionis, ut sint tres invicem mutuò intelligentes atque cognoscentes. Item una individualiter & ex eodem unico ore locutio sufficit ut Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sint tres adjectivè colloquentes inter se, cùm tamen ob identitatem ejusdem & oris & locutionis sint unus tantùm substantivè loquens seu locutor. Nam ita fit, ut & Pater loquatur Filio; *Filius meus es tu; Ego hodie genui te* Psal. 2. Filius loquatur Patri, *Sacrificium & oblationem noluisti; aures autem perfecisti mihi; tunc dixi, ecce venio.* Quo sermone loquitur ut Deus, asserens se venturum Psal. 39. Eodem modo Persona Patris cum Filio & Spiritu Sancto quasi consultans, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram* Genes. cap. 1. Et; *venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum &c.* Genes. cap. 11. Atque idem est de operatione externa; quamvis una sit tantùm potentia executiva, & quasi manus in tribus Personis; & una communis actio. Ita Filius Sapientia genita Patris aït Proverb. c. 8. se Patrem in creatione mundi velut adjuvisse; cùm tamen duæ non essent actiones, nec operam adderet operæ Patris; *Quando appendebat fundamenta terræ cum eo eram cuncta componens, ludens coram eo omni tempore.* Ita cùm unus esset substantivè operans, tres erant adjectivè addito Spiritu operantes.

CAPVT IV.

An Deus seipsum propter creaturas amet.

1. IAM vidimus amorem illum, quo Deus Essentiam suam & Personalitates suas amat; illum item, quo quælibet seorsim Persona cùm in seipsam, tùm in alias Personas fertur, habere pro objecto suo formali perfectiones increatas. Restat indagandum, nùm etiam possit se Deus amare non tantùm propter increatam suam bonitatem, sed etiam propter creaturas. Atque illum quidem constat creaturas propter seipsum amare: Sed non ita indubitatum est apud Theologos, nùm etiam se ad creaturas aliquo modo referre possit, & se amare propter ipsas. Sunt qui id negent, ut Ruis disp. 15. & aliqui alii. Præcipuum argumentum eorum est; Quia si Deus amat se propter creaturas tanquam propter finem: Ergo se minùs amat quàm creaturas. Nam *propter quod unumquodque tale, & illud magis.* Atque vniversim quod amatur propter aliud, non amatur nisi materialiter, & ut amabilitatem accipiens ab objecto formali, propter se nec propter aliud amato. Istud argumentum potest sumi ex eo quòd Durandus in 3. dist. 27. quæst. 2. negat proximum & immediatum objectum amoris concupiscentiæ esse Deum; quia Deus amandus est solùm propter se. Quare cùm non debeat ab ullo diligi per amorem concupiscentiæ, multò minùs debet à se ipso.

2. Secundum argumentum est, Quoniam si Deus amaret se propter creaturas, hæ ad illum compararentur ut finis ad medium: Atque Deus ita se amans subordinaret se creaturis, quæ ipsi subordinari debent; & eas loco finis quasi fruendas, se autem quasi utendum loco medii poneret. Qui actus voluntatis quàm inordinatus & indecorus esset, vel inde constat; quòd per illum suum actum Deus, idem quasi practicè diceret, ac si oratione pronunciaret; præferendam esse Creatori suo creaturam. Denique tertiò Deus, qui non nisi liberè creaturas amat, debet seipsum omni necessitate amare. Atqui si se propter creaturas diligeret, quas ipse supponeretur liberè dilexisse, non se necessariò, sed tam liberè quàm ipsas creaturas amaret.

3. Dicendum est veram esse contrariam sententiam; neque ullam esse imperfectionem, si Deus se amet propter creaturas, quasi propter *finem cui.* Non enim est indecorum optare alicui bonum ejus honestum, per media honesta? Constat autem Deum & ejus possessionem, propter quam creaturæ rationales creatæ sunt, esse eorum bonum maximum, & ad hoc acquirendum honestissima esse media, nempe virtutes atque sanctitatem; quare maximè est ex rationis præscripto, ut singulæ sibi creaturæ aut alius quicumque illis optet tale summum bonum: Cumque Deus non tantùm sibi, sed etiam creaturis rationalibus sit amabilis, non tantùm potest ipse necessariò se sibi amare; sed & potest liberè se amare creaturis possidendum. Neque à suo amore desciscit, quando se ob rationes omnes amabilitatis suæ diligit.

4. Cujus rei veritas multùm eminet in virtutis spei consideratione. Cùm scilicet definitione Concilii Tridentini sess. 6. cap. 11. & Can. 31. damnatus sit Luteranorum error asserentium esse inhonestum, si quis intuitu mercedis operetur; & certum sit præcipuam mercedem, quam sperare possumus, & de qua præcipuè Concilium loquitur, esse ipsum Deum qui nobis pro mercede proponitur, juxtà illud Genes. cap. 15. *Ero merces tua magna nimis.* Propter cujus mercedis retributionem David Psal. 118. aït inclinasse se cor suum; *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem;* Vbi retributionem illam vocat *ekeb*, hoc est extremam supremamque, qui propriè solus Deus est. Neque verò inde sequitur nos per spei actum constitui finem, ad quem Deus ut medium comparetur. Illa enim Persona propter quam Deus amatur non est *finis qui* seu *ad quem* acquirendum media referantur, eo modo quo medicina ad sanitatem: sed est *finis cui* sive ad quem referatur bonum id quod est *finis cujus gratiâ.*

5. Quod ut meliùs intelligatur, in memoriam revocandum est finem dividi posse in *finem cujus gratiâ*, & in *finem cui*. Ille est bonum vel honestum vel delectabile,, ut virtus, sanitas, &c. Iste est persona potituta tali bono. Rursus *finis cujus gratiâ* subdividitur in *finem qui*, qualis est ipsa virtutis aut sanitatis secundùm seipsam præcisè formalitas; & in *finem quo*, qualis est possessio; quæ fit per vnionem aliquam seu physicam, ut possessio sanitatis; seu moralem, ut possessio prædiorum; vel per aliquam actionem, quomodò possessio Dei fit per visionem beatificam. Et loquendo de spe, de qua hic agimus & mentionem jam fecimus, cùm aliquis sibi vult Deum; *finis cui* est ipse qui sperat; *finis cujus gratiâ* est Deus, ut possessus: Quod est dicere, Deum secundùm suam essentiam esse *finem qui*, & visionem beatificam esse *finem quo*. Porro notandum est finem vnum totalem fieri ex his tribus partialibus, *fine cui*, *fine qui*, & *fine quo*: Hi enim omnes uno indivisibili actu diliguntur; quilibet suo modo. Et quamvis *finis cujus gratiâ*, hoc est *finis qui* & *finis quo* referantur ad *finem cui*, seu ad personam in priori complacitam, & simul cum fine *cujus gratiâ* indivisibiliter amatam: Non tamen finis ipse *cujus gratiâ*, constans ex *fine qui* & *fine quo*, refertur ad personam complacitam velut medium ad finem; qua de re adhuc nonnihil nos infra. Ex his advertis, Deum (quando se amat propter creaturas) non se referre quasi medium aliquod ad illas; neque vllam esse in tali amore indecentiam. Non enim per talem amorem Deus creaturis amatur, nisi propter summam quam habet respectu etiam creaturarum amabilitatem; & per quam ipse omnes invitat ac trahit ad sui talem, de quo agimus, concupiscentiæ amorem.

6. Verumtamen quamvis Deus nec per nostrum actum Spei, nec per suum illum actum quo se propter creaturas amat, referatur ad has quasi medium aliquod ipsis vtile: Dici etiam potest nullam esse absurditatem, si quis asserat cum Ariaga disp. 24. sect. 4. subsect. 2. Deum posse propter hominem amari tanquam medium, aut (si aliter dicere quis malit) tanquam vtilem ipsi homini. Probatur. Nulla enim fit injuria Deo; quin potiùs augetur ipsius gloria, quòd ametur isto etiam modo quo amabilis est: cùm sit honorificum illi, quòd omnipotentia, benevolentia, & misericordia ejus sit vtilis homini ad bona obtinenda seu temporaria, seu æterna. Quâ enim Deus afficitur injuriâ, cùm asseritur perfectio, quàm re habet? Sed nec invertitur naturæ ordo, cùm omnes creaturæ ad ejus gloriam ita referuntur; ut & ipsius misericordia, beneficentia, potentia referatur ad vtilitatem commodumque hominum; & supponatur esse; ut est, commodus vtilisque creaturis.

7. Restat ut argumentis contrariæ opinionis respondeamus. Ac primò ad id quod initio hujus capitis allatum est, Deum non posse amari propter creaturas, quin per talem actum plus diligantur creaturæ, quàm Deus, & illæ ut objectum formale, hic verò ut objectum materiale, ac dependenter ab eis. Respondetur. Verum quidem est in illo particulari actu, in quo propter aliquod formale objectum Deus diligitur, ipsum non apparere amabilitatem habere, nisi quantam exhibere potest formale objectum. Sicut cùm attributum aliquod ejus essentiale, aut ipsa ejus existentia, (quæ æternæ ac supereminentis est veritatis) demonstratur per mundi existentiam, naturæ pulcritudinem, &c. non potest ex tali medio, majorem nec sublimiorem certitudinem habere, quàm possit ei ab illo medio communicari. Et tamen nemo dicit per illiusmodi argumentationem, quâ revincere conamur Atheos, fieri vllam Deo injuriam, vel quicquam detrahi de illius æterna, prima, & supereminentiali veritate; quâ nimirùm salvâ, discursus per veritates contingentes & inferioris ordinis, sed ipsis Atheis per experientiam notiores, contra ipsos instituitur Atheos. Eodem modo cùm Deum quis laudat & amat, quòd ab eo sanitatem acceperit; per hujusmodi amoris actum non cogitat nec detrahit quicquam de supereminente & infinitè superiori amabilitate.

8. Et sanè si filius aliquis, verbi causâ, dum se cogitat à parentibus amari, opimamque ab eis tradi sibi hæreditatem, ipsos illo solos nomine diligat, ne sit ingratus; nullam tali actu facere censetur injuriam Deo, quòd parentes suos, & nullo modo Deum, de quo non cogitat, amet. Ergo multo minùs eidem foret injurius Deo, si ipsum propter illos suos parentes servatos incolumes diligeret; quamvis per hunc actum suos parentes magis, utpote formaliùs, amaret quàm Deum; salvo nimirum quod non desineret alios actus elicere quibus Deum super omnia diligeret. Ad id quod ex Durando addebatur; fateor amorem amicitiæ aduersus Deum perfectiorem esse amore concupiscentiæ. Sed id non adimit suam huic amori perfectionem: Tantùm abest, ut in eo quicquam imperfectionis arguat.

9. Ad secundum argumentum allatum num. 2. Quòd si Deus se amaret propter creaturas, hæ forent objectum formale, & ab ijs suam Deus eatenùs amabilitatem acciperet, ad ipsaque compararetur ut medium ad finem; satis responsum est num. 3. & alijs tribus sequentibus. Ad tertiùm; quòd sequeretur ex nostra sententia, Dei erga se amorem (qui debet esse omninò necessarius) posse dici liberum atque contingentem. Respondeo, essentiale quidem esse Deo, ut suæ naturæ perfectiones absolutas; nec non etiam necessarium, ut personales suas relationes diligat; idque independenter ab existentia vel futuritione creaturarum. Veruntamen supposità creaturarum existentia, vel futuritione, cùm possit eas prosequi libero & contingente amore benevolentiæ, potest iisdem beatitudinem, & suimet ipsius possessionem, cujus capaces sunt, velle, & ita amare seipsum propter eam formaliter rationem, quòd sit illis bonus & commodus. Potest item amare suam nominatim omnipotentiam, eo quòd illis ut existentibus possit esse commoda per beneficiorum quà naturalium, quà supernaturalium collationem. Id autem est amare seipsum, suamque omnipotentiam propter creaturas. Talis verò amor sui & suæ omnipotentiæ propter existentes creaturas; cùm supponat amorem illarum contingentem & liberum, in eoque fundetur, non potest esse nisi liber & contingens.

10. Neque contra jam dicta valet, quod aliqui asserunt, non posse formaliter esse in Deo perfectiones inæquales; atque ita non posse esse in Deo duos illos sui amores; necessarium scilicet, ac simul contingentem seu liberum: Cùm liber amor quo Deus diligere se concipitur propter creaturas minùs perfectus sit, quàm necessarius quo se amat propter semetipsum. Id, inquam, non valet. Dico enim Divinas perfectiones, quamvis sint æquales omnes entitativè ac identicè: Tamen non tales esse, prout formaliter & secundùm rationes suas speciales sumuntur, ut bene ad hoc respondet Ariaga disp. 24. num.

num. 31. clarum enim est volitionem, verbi causâ, è genere suo minùs esse perfectam, quàm cognitionem, &c. Omnis siquidem actus seu virtus licèt minoris sit perfectionis; si tamen nullam involvit aut supponit imperfectionem, neque cum aliquo perfectiori aut æquali habeat incompossibilitatem, potest tribui Deo.

11. Quandoquidem superius mentionem spei virtutis fecimus, ut ejus exemplo probaremus posse Deum sine ipsius injuria diligi propter creaturas; non videtur abs re hic ostendere quosdam Theologos in eo decepi; quòd putent necessarium esse ut in actu virtutis illius includatur Dei propter ipsum dilectio: Quoniam alioquin amaretur præcisè propter creaturam, sicque creatura constitueretur finis vltimus Dei. Sed quàm malè isti ratiocinentur ostensum est superius: Et insuper inde constat; quoniam si Deum propter ipsum verè per spem amaremus, spei actus hominem justificaret. Instabunt: Sed per spem Deus omnibus rebus possibilibus præfertur, amaturque præ omnibus: Desideratur enim super omnia bona possibilia: Ergò propter se. Respondeo. Qui verè sperat, amat quidem Deum super omnia bona; sed sibi: Atque ita nec super omnes res; cùm eatenùs non supra se. Vrgebit aliquis. Quando speramus, & volumus nobis possessionem Dei super omnia bona; volumus implicitè & æquivalenter omnia media, quæ necessaria sunt ut Deus ejusque possessio acquiratur: Inter illa verò media præcipuum est, amor verus charitatis adversus ipsum. Respondetur, illum qui perfectum & efficacem actum spei elicit, amare quidem sibi implicitè & æquivalenter omne medium necessarium ad possessionem Dei, inter quæ media præcipuum est charitatis actus. Sed aliud est velle implicitè charitatis actum, & aliud eum exercere, quemadmodùm aliud est velle te aliquid agere, & quod in re agas. Subjicies denique. Si per spem Deus non ametur propter se, nec nisi propter creaturam, Deus constituitur eatenus medium & creatura finis; id enim significat particula *propter*. Ad hoc dico negando id significari hic per illam particulam. Neque enim ea semper designat ordinem medij ad finem. Sicut quando aliquis alium dicitur amare propter summam illius eruditionem, non illum ad hanc ordinat quasi medium ad finem. Alibi nos (quod hic necesse non est) ostendimus, quomodò per spei actum homo se totum referat ad Deum absque actu charitatis.

CAPUT V.

An & quomodò erga creaturas possibiles Dei voluntas afficiatur.

1. QVEMADMODÙM superioribus capitibus varietatem exposuimus actuum amoris, quibus Deus perfectiones suas sivè absolutas & essentiales, sivè relativas & personales, sivè etiam contingentes prosequitur: Sic & nunc restat ut indagare debeamus, quibus actibus sivè essentialibus, sivè necessarijs circa creaturas merè possibiles; & quibus contingentibus ac liberis circa easdem, ut in statu realis existentiæ consideratas, Divina voluntas afficiatur. Et quidem præsenti capite de ijs differendum actibus occurrit, qui ad solam creaturarum possibilitatem spectant. Vbi præsupponendum est nos loqui de creaturis non secundum esse eminentiale, quod habent in Deo: Sic enim non sunt quid creatum, sed sunt ipse Deus: Quomodò Deus illas amando, non aliud propriè amat, quàm seipsum. Loquimur ergo de illis secundùm suum esse limitatum provt sunt objectum simplicis intelligentiæ. Circa quarum possibilitatem non desunt, qui Deum asserant nullum habere voluntatis actum. In eamque sententiam adducunt authoritatem Divi Thomæ; quòd Scientiam Divinam quæst. 19. art. 3. ad 6. & art. 6. ad 2. latiùs quàm voluntatem pertinere dicat, his verbis; ***Actus appetitivæ potentiæ est ordinatus ad res secundùm quod in seipsis sunt: Et ideò Deus cognoscit omne verum; non tamen amat omne bonum.*** Vbi cùm ait voluntatem Dei non amare omne bonum, nec ordinari ad res nisi secundùm quod in seipsis sunt, videtur mera possibilia excludere. Videtur & idem sentire lib. 1. contra gentes; vbi ait ad Scientiæ Divinæ perfectionem spectare, ut omnia vera repræsentet; Divinam autem bonitatem non ad alia à se ordinari: Et ob hoc necessarium esse Deum omnia alia scire, non autem velle. Vbi Ferrariensis idem sentit. Additur & Alexander 1. p. q. 34. Bonaventura in primum dist. 45. art. 1. &c. Quod attinet ad hæc Sancti Thomæ loca, putatur sermonem esse de voluntate efficaci circa creaturarum existentiam; non autem de simplici complacentia ut Herice explicat disp. 18. cap. 1.

2. Sunt alij secundò qui censeant Deum liberò amore non autem necessario prosequi possibilitatem rerum. Ita Scotus in 3. dist. 23. &c. Tertiò denique alii negant hîc amorem liberum; concedunt necessarium: Ut Ricardus in 1. distinctione 45. quæst. 5. Cajetanus 1. parte q. 34. art. 3. Vasques disp. 79. cap. 2. Fonseca tomo 3. metaphys. lib. 7. cap. 8. Suares disp. 30. metaphys. sect. 16. (licet probabilem censeat opinionem quam primò jam retuli) nec non in 1. parte lib. 3. de attributis Dei positivis cap. 6. Item lib. 11. de Trinitate cap. 2. &c. Hanc sententiam duabus alijs judico longe præferendam: In qua duo asseruntur; nempè Divinam voluntatem habere complacentiam seu amorem quendam circa creaturas merè possibiles, provt sunt objectum simplicis intelligentiæ; & præterea complacentiam illam esse omnino necessariam; nec liberam. Itaque ut ejus sententiæ proferamus fundamenta.

3. Dicendum est primò creaturas ut merè possibiles, & ab omni abstrahentes existentia diligi à Deo, non quidem (ut per se notum est) amore efficaci, (quem forte solum D. Thomas voluit excludere) sed inefficaci & simplicis complacentiæ. Probatur conclusio. Nam creaturæ secundùm statum possibilitatis consideratæ verè sunt entia. Ergo participant bonitatem entis, atque consequenter placere possunt voluntati Divinæ, cujus proprium objectum est omne bonum; sicut objectum intellectus Divini est omne verum. Confirmatur. Nam cum sit eadem possibilium & existentium entitas; sicut existentium est complacentia (nam videns Deus quæ fecit, judicat esse valde bona, Genec. cap. 1.) sic & esse debet complacentia possibilium. Cur enim dicatur Deus hæc videns per simplicem intelligentiam judicare non esse bona, & amare nolle per simplicem complacentiam? Quamvis hoc habeant plus ea quæ existunt ut de iis supra cõplacentiam sit etiam quasi gaudium. Præterea Deus in priori, quàm decernat existentiam producendarum creaturarum, illas ita cognoscit, ut ex eo quod in ijs intelligit, queat se deter-

tialem, ac inextricabilem malitiam; & per consequens summo non esse apud Deum odio nequeant. Hæc objectio aliquid disputationis habet; ac petit quædam non magis subtilia quàm utilia fusiùs exponi.

Quomodò Deus peccatorum, quæ odit, possibilitatem habeat complacitam.

9. Si quis ad eam objectionem respondeat, Omnipotentiam non habere connexionem cum malitia, sed cum sola entitate pravorum actuum. Contrà. Nam primò in quibusdam peccatis non potest Omnipotentia præscindere malitiam à libera entitate, verbi causâ, in peccato blasphemiæ. Et prætereà inter essentialia Dei attributa (de iis enim tantùm hic agi debet quæ Deus essentialiter amat, nequaquàm vero de contingentibus, verbi gratiâ, de visione existentis peccati quam Deus nollet existere) non minùs quàm Omnipotentia, reperitur etiam Sanctitas & consequenter odium peccati ut possibilis. Quod odium, utpote perfectio simplex, amatur essentialiter ab ipso Deo. Atqui evidens est non posse tale odium abstrahere ullo modo à malitia formali peccati, neque posse existere sine illius possibilitate; ad ipsam enim malitiam & formalitatem peccati possibilem directè formalissimèque tendit. Atque ita non poterit Deus amare suum illud odium essentialeque attributum, & simul exosam aut non complacitam habere possibilitatem peccati formaliter sumpti. Vel si malitiam ipsam ut possibilem oderit, non poterit sine contradictione amare prædictum suum attributum. Quomodò enim poterit amare odium peccati possibilis, & velle simul complacitumque habere peccatum possibile? Quòd si idcircò fatearis, ut fateri necesse est, Deum amare & velle odium suum essentiale peccati, & tamen non amare nec velle peccatum possibile, sine quo illud odium esse non posset; nihil valebit argumentum, quod suprà adduximus nu. 8. ut probemus Deum amare possibilia, propterea quòd Omnipotentiam diligat, quæ sine illis esse non posset. Ex iis quæ Ariaga disp. 24. sect. 6. & Herice disp. 18. cap. 1. habent, non video quomodò solvi possit hæc difficultas & responderi meæ huic instantiæ de odio essentiali quod Deus habet circa peccatum.

10. Et quidem Ariaga nihil dicit quod satisfaciat instantiæ propositæ de odio quod essentiale & non contingens Deo est circa peccatum. Quantùm attinet ad Valentinum Herice, quædam is toto illo primo cap. suprà citato involvit, quæ plus habent obscuritatis & incertitudinis, quàm ad præsentem quæstionem evolvendam utilitatis. Quod autem denique num. 9. ad hanc nostram quæstionem magis pertinens respondet, non sufficit ad ejus solutionem. Ait enim Deum, cùm amat suam essentialem cognitionem possibilium peccatorum, sine quibus ea cognitio esse non posset, necessariò quidem amare peccata ipsa in esse possibili; non tamen secundùm totam & adæquatam eorum possibilitatem. Nam cùm eorum possibilitas sumatur partim ab Omnipotentia secundùm ipsorum entitatem, & partim à facultate creata secundum eorumdem malitiam: Prædictus Author asserit illa, ut pendent à facultate creata; non posse eatenùs amari à Deo amante suam cognitionem illorum, ut possibilium: Fatetur tamen necessarium esse, ut eadem Deus amet ac velit provt possibilitatem sumunt ab Omnipotentia.

11. Contrà. Nam ratio cur non possit amari Divina prædicta cognitio, nisi amentur peccata secundùm possibilitatem, quam ab Omnipotentia habent; est, quia talis cognitionis objectum est ea possibilitas, quæ respicit Omnipotentiam. Atqui possibilitas, inquam ego, quæ sumitur ex facultate creata, non minùs est talis cognitionis objectum essentiale; nec minùs cognoscitur, quàm possibilitas quæ sumitur ex Omnipotentia. Ergo Deus amans suam cognitionem, tam debet habere complacitam illam possibilitatem peccatorum, quàm istam. Adde quod videtur durum amari à Deo possibilitatem ipsam peccatorum sumptam ab Omnipotentia; Cùm in quibusdam peccatis (verbi causâ, in blasphemia &c.) provt sunt libera possibilia, & provt sunt objecta cognitionis, quam Deus habet sibi essentialem, inextricabiliter conjuncta sit malitia & possibilitas sumpta ex facultate creata. Denique id quod hîc affirmatur ab Herice, peccati malitiam non sumere possibilitatem ab Omnipotentia Divina, non bene convenire videtur cum eo quod ipse docuerat disp. 8. cap. 2. num. 6. Cùm enim dixisset in doctrina quam sequi se profitetur, actus malos esse positivos etiam secundùm malitiam, & necessariò cognosci à Deo in Omnipotentia; posteà tandem hæc habet: *Quapropter dicendum censeo & Omnipotentiam continere malitias ipsas, si positivæ sint, & directè in eas influere; & scientiam Dei in ea omne malum culpæ ut sic cognoscere.* Sanè si hoc verum est necesse est, ut Deus amando essentialem suam cognitionem malitiæ possibilis, ut contentæ in ipsa Omnipotentia, amare simul & velle malitiam ut possibilem.

12. Vt clarè ad præsentem respondeamus quæstionem, & objectionem solvamus propositam contra argumentum, quo probatur amorem seu complacentiam Divinam erga creaturas omnes possibiles necessariam esse, ac essentialem: Advertendum est omnem possibilitatem considerandam esse dupliciter: nimirùm primò, provt est tantùm velut inchoata nec completa, sed consistens in mera puraque non repugnantia; quæ nisi aliud addatur non sufficit ad habendum, ut ita loquar, jus existentiæ. Secundò provt suprà non repugnantiam est completa & quasi plena possibilitas; nempe provt in tali natura reperitur; quæ vel sit ens à se & essentialem habeat existentiam; vel si nequeat esse à se, non desit agens, & causa potens dare illi existentiam. Notandum item puram non-repugnantiam, significare aliquid positivum; quandoquidem est negatio negationis; nempè repugnantiæ, quæ nihil aliud est, quàm negatio possibilitatis. Denique considerandum est, conceptum puræ ipsius non-repugnantiæ seu; quod idem est, possibilitatis generalissimæ, præscindere à Deo & creaturis, & esse conceptum omni communem enti. Sub illo communi conceptu variæ sunt differentiæ. Et quidem ipsa non-repugnantia seu possibilitas, provt est in Deo, non-requirit aliud; sed, ut jam innuimus, Divinitas hoc ipso existit quod possibilis est, habetque non-repugnantiam; itavt in illo summo ente possibilitas & existentia actualis idem sit; nec minùs actualis ipsa existentia sit de primo conceptu Dei, quàm possibilitas: unde fit, ut Deus non tantùm ex vi primarii conceptus habeat existentiam, sed includat formalissimè omnem possibilitatem sive omnem non-repugnantiam, neque ab illo quicquam excludi possit, nisi quatenùs aliquam habet admixtam repugnantiam, & cum contradictione impossibilitatem;

Cætera verò entia præter Deum habent quandam inferiorem possibilitatem; hoc est, participant illam quam diximus non-repugnantiam, quæ conveniat soli & omni enti quod non sit à se. Sub hoc autem secundario & inferiore possibilitatis conceptu, dividi plures possunt species possibilium. Sunt quædam quæ non sint possibilia nisi à solo Deo per creationem; sunt quæ sint possibilia per generationem, aut per quamcunque aliam à creatura productionem.

13. His præmissis dico, illum possibilitatis seu puræ non-repugnantiæ communem omnibus creaturis conceptum præsupponi omni Divinæ voluntati, & cognitionem ipsam Divinam non nisi speculativè supervenire tali possibilitati, ut anteriori. Nec enim magis pendet à libertate Divina, ut ea quæ non involvunt contradictionem sint impossibilia; quàm ut ea quæ involvunt, sint possibilia. Quâ non benè intellectâ veritate deceptus Plinius in Atheismum turpiter impegit, cùm solius rerum naturæ Numen agnoscit, sic argumentans inscitè lib. 2. cap. 7. *Per id*, inquit, *quod Deus non potest ut qui vixit non vixerit, aut facere ut bis dena viginti non sint, declaratur natura potestas esse summa: Idque esse quòd Deum vocare oporteat.* Obtusum ingenium! Percipere non potuit, eo maximè Dei Numen, vimque commendari; quòd ea nequeat facere, quæ simul forent & non forent: Nec intellexit, quàm pejus indigniusque Deo mendacij genus foret operando per vim activam contradictoria, quàm ea per locutionem asserendo.

14. Ut tandem eam perficiamus disputationem quæ hic instituta est ex occasione objectionis factæ num. 8. & 9. (nempè circa possibilitatem peccati, sine cujus possibilitatis dilectione & complacentia, nec Omnipotentia, nec aliquod aliud essentiale Dei attributum cum illa inextricabiliter connexum, videtur diligi posse.) Assero illam objectionem non infirmare argumentum ibi factum ad probandam necessitatem complacentiæ Divinæ circa possibiles creaturas (quidquid in contrarium dicat Ariaga, non sumens vim argumenti, & eam considerans in attributis solùm contingentibus qualis est existentis peccati visio, quàm sane Deus vellet non existere, nec amare; non existente putà peccato) non infirmum, inquam, est allatum num. 6. argumentum pro nostra conclusione. Fatendum enim est; cum Deus diligit necessariò sivè Omnipotentiam, sivè quodlibet aliud essentiale attributum quod respiciat possibilitatem peccati; necessarium esse ut simul approbet complacitamque habeat ipsam peccati possibilitatem inchoatam & imperfectam, hoc est non-repugnantiam (qualem jam explicuimus numero 12.) nec enim Deo indignum est complacitam habere illam non-repugnantiam, quam ipse impedire non potest, & quam Omnipotentia, & Intellectio speculativè circa ipsam versans, præsupponit. Nec Ariaga est audiendus qui possibilitatem peccati negat posse Deo complacitam esse. Potest enim modo à me explicato: Et consequenter amare quam habet ideam peccati & potentiam ad illud concurrendi.

15. Esto sanè, non possit Deus existentiam peccatorum amare; quam vetat: Sed cur nequeat probare illorum non-repugnantiam? Cùm Divinitas nequeat esse absque illorum odio & abominatione essentiali concepta ex motivo virtutum ipsis contrariarum; & Spiritus Sanctus procedere debeat tam ex essentiali rerum turpium odio, quàm ex honestarum & bonarum amore. Ita scilicet peccata sunt possibilia per non-repugnantiam, & tanto sui probro cohærent cum Dei essentia; ut suam & possibilitatis necessitatem, & cum Divinitate summaque bonitate conjunctionem, nisi quatenùs detestabilia & exosa, non habeant.

An Deus inæqualem habeat complacentiam erga creaturas ut merè possibiles.

16. Priùsquam istud de Divina circa creaturas possibiles complacentia caput absolvatur, juvat instar appendiculæ dubium aliquod leve proponere; utrum scilicet Deus omnes illas creaturas æqualiter simplici suo essentialique complectatur amore. Naturas quidem in aliqua temporis differentia existentes Deus per imparem beneficiorum in eas collationem satis indicat esse sibi inæqualiter complacitas. At controversia quædam esse potest, nùm res omnes possibiles nullo Deus habeat simplicis amoris discrimine? Et quidem nullum inter illas (in priori ante creationem) quoad hoc esse discrimen, censuisse videtur Sanctus Thomas quæst. 20. art. 3. Cùm enim amorem solâ beneficiorum collatione procurationeve definiat his verbis *diligere magis aliquid nihil est, quàm ei majus bonum velle;* consequens inde est nullam eum in Divino circa res possibiles amore inæqualitatem agnoscere. Quandoquidem ijs eodem modo universis ut existentiam, sic & omne ante creationem denegat bonum. Quæ quidem sententia certa est intelligendo Sanctum Doctorem de amore beneficentiæ. Sed si loquamur de amore puræ complacentiæ.

17. Dicendum est eum amorem non esse adversus omnes creaturas possibiles æqualem. Nam ex ejusdem Doctoris articulo illo tertio ad secundum, Angelus est melior homine quantùm ad conditionem naturæ. Ergo natura Angelica, & natura humana secundùm conditionem suam in statu merè possibili non sunt æqualiter amabiles. Ubi enim Deus majorem dignitatem complacentiæ invenit; majorem debet habere complacentiam. Ex eo autem quòd neutri illi naturæ existentiam ullumve conferat beneficium; non inde fit æqualiter ipsum affici erga utramque per simplicem & inefficacem amorem.

CAPUT VI.

De prosecutivis Divinæ voluntatis actibus erga creaturas existentes.

1. QUEMADMODUM suprà consideravimus in Deo amorem erga se sivè essentialem, hoc est eum qui ante personarum productionem à nobis concipitur; sivè notionalem, hoc est eum qui fertur in personalitatum existentiam. Et ut egimus de actu complacentiæ quem in Deo probavimus reperiri adversus creaturas merè possibiles. Sic & nos attendere jam necesse est volitiones nullatenùs necessarias, sed merè contingentes erga creaturas existentiam consecutas. Quæ volitiones, cum magnam habeant diversitatem; ut clariùs distinctiusque tractentur, trifariàm distribui possunt. Nempè primò in eos affectus, qui concupiscibili nostro irascibilique appetitui quodam modo respondeant: Secundò in eos actus, quibus voluntas in deliberationibus pro-

greditur: Tertiò in illos, quibus honestas laudabilitasque moralis continetur. Ea tria divisionis membra ordine, & quà brevitate ad occurrendum lectoris satietati necesse est, expediemus. Et quidem quod ad primum, hujus divisionis membrum attinet. Cùm in appetitu rationali & spirituali eosdem ferè actus, quà prosecutivos, quà aversativos attendere debeamus; quos in nostro appetitu sensitivo concupiscibili, irascibilique experimur; juvat, quò distinctiùs in ijs dilucidiusque procedamus, solos præsenti capite prosecutivos, quatenus Deo conveniunt, expedire; aversativos autem ad sequens caput rejicere.

Deus habet erga creaturas existentes amoris affectum.

2. Inter illos verò tàm prosecutivos, quàm aversativos actus non modo primus, sed ferè solus est amor. Nec enim vllus est prosecutivus; qui non in objectum feratur, quatenus amatum; neque avesativus aliquis objectum aliud malum abhorret, nisi quod bono adversatur prout amabili. Sicque amor singulis aspersus est permixtusque affectibus; ut voluntas amare tantum, nec aliud quicquam posse videatur. Quare nullus est dubitandi locus; quin præcipuus iste omnique prædominans appetitui affectus formaliter Deo adscribi debeat; sed neque sine hoc ullus ei competere posset; illo autem ei concesso, necesse est, cæteros ipsi convenire omnes, qui non aliquâ mixti sunt imperfectione.

3. Quare in promptu est ostendere Divinum hunc amorem nequaquàm creaturis existentibus denegari; cùm ne quidem aliunde illarum existentia, quàm ex amore nascatur. Post illam enim essentialem complacentiam, quâ inefficaciter Deus omnem est rerum possibilitatem complexus; omnis ea rerum possibilitas in sui conditione nihili per omnem æternitatem consepulta jacuisset: Nisi ipsius Dei libertas ad efficacem fuisset progressa dilectionem; quâ selectas quasdam naturas cæteris infinitis, eodem possibilitatis quasi jure contendentibus, & æquè promptam existendi facilitatem offerentibus, anteponere constituit, & præcipuo eas creationis privilegio donare. Quæ specialis creationem antegressa dilectio nullum habuit fundamentum præter meram ex Divino arbitrio gratiam. Poterat enim Deus myriadas creare mundorum; & omnem entium possibilitatem in actum reducere. At vsus eo jure, quod habet in illa etiam quæ non sunt, unum præ cæteris possibilibus mundum, & in eo hunc solem, has proprio euocatas nomine stellas & respondentes adsumus, hos cœlos, hanc terram; &c. ex inerte possibilitate extraxit. Cùm hic dico Deum ex mera creaturarum dilectione illis existentiam decrevisse; id intelligendum est de ijs quas per seipsum producere voluit: Earum enim rerum, quæ à libertate naturarum intellectualium dependent, non decrevit existentiam efficaciter & antecedenter, sed tantum consequenter ad determinationem libertatis creatæ. Est porrò hic advertendum, postquam æterno suo beneplacito naturas aliquas creare decrevit, illas deinde non fuisse solius objecta simplicis intelligentiæ, sed fuisse insuper objecta scientiæ visionis. Quam tamen scientiam, præ simplici intelligentia falsò asserunt Thomistæ causam esse directivam aut imperativam actualis ipsarum productionis; sicut nos suprà demonstravimus lib. 6. cap. 8. num. 9. & seqq.

4. Porrò futuritionis entium possibilium aut non futuritionis arbiter Deus creaturas, quas decreto efficaci produxit, nequaquam deinde post earum productionem sic abjecit, atque neglexit; ut illas primæ suæ non prosequeretur perseverantiâ dilectionis. Vt enim vidit omnia quæ fecerat, ea Moyse teste esse valde bona judicavit; & prolixam singulis conservandis multiplicandisque benedictionem impertivit: Dissimiliter tamen & eo discrimine; ut hominem quidem propter ipsum & amore, qui dicitur amicitiæ, aut benevolentiæ; cætera verò quibus mundus constat omnia propter hominem, & amore quasi concupiscentiæ diligeret; juxta illud quod hominibus ipse dixit, *Dominamini vniversis animantibus:* Et, *dedi vobis omnem herbam*, &c. Nam sicut continuatâ productione res conservat quas condidit; sic easdem illâ, quam initio protulit, continuatâ benedictione deinceps impertit: Hinc & propagationem hominum, & rerum cæterarum in varios hominum vsus conservationem, multiplicationemque videmus. Et semper in naturæ velut auribus, vox ea vivifica sonat, *crescite & multiplicamini*, &c. Nulla est herba, quæ juxta sui præscriptum opificis tempestivè non meminerit sementis & virtutis generis sui. Porrò ex duplicis amoris jam facta mentione; (ejus nempè qui est amicitiæ, & ejus qui concupiscentiæ) quædam hic oritur quæstio, Theologicæ quippiam habens disputationis, scilicet.

An & quomodò Deus creaturas existentes amore prosequi possit amicitiæ.

6. Cui ut satisfiat quæstioni præmittendum est; duobus posse sumi modis, proprio uno; & improprio altero, cùm amicitiæ, tùm etiam concupiscentiæ amorem. Propria siquidem perfectaque amicitia mutuam plurium benevolentiam imprimis sonat, & ex duplici hinc & inde amore constat: Cùm duæ personæ ita sibi complaceant invicem; ut neutra in se suum reflectat amorem, sed eum totum conferat in alteram; ejusque solius & rationem habeat, & commodum spectet. Quem affectum puræ sinceræque amicitiæ explicat Aristoteles 8. Eth. cap. 7. cùm asserit, *Amicum amico bonum illius vnici gratiâ velle*. Amoris ea scilicet velut sagitta est; quæ scopum, in quem intenditur, sic attingit; ut illi adhæreat infixa, nec ad suum resiliat authorem. Qui tamen benevolentiæ affectus; si quando in vnica persona reperitur, quæ ab altera; quam amat, pari non redametur affectu; inchoata solùm nec perfecta est amicitia; ut idem docet Aristoteles 9. Eth. cap. 5. & magnorum mor. cap. 15. ac post eum Divus Thomas 2. 2. quæst. 27. art. 2. in corp.

6. Amor itidem concupiscentiæ bifariam sumitur. Primò strictè: Cum nempè alterū diligit aliquis non illius, sed sui respectu, ita ut ejus amor non sit instar sagittæ infixæ; sed sit instar pilæ, eodem, vnde processit, resiliens: qui verò ita diligit, non propriè diligit alterū, sed eâ seipsum prosequitur dilectione quæ à Græcis φιλαυτία dicitur. Verùm secundò concupiscentiæ amor latiùs extenditur; quoties aliquid volumus alterius cujuscumque rei causâ. Exempli gratiâ, si optas consanguinei tui servo valetudinem, aut equo pabulum commodum, ut possint ad serviendum validiores esse; atque vtiliores: Affectus ille tuus dicendus est concupiscentiæ erga valetudinem respectu servi, & erga pabulum respectu equi; sicut etiam erga ipsum servum, & equum respectu consanguinei

tui, erga quem solum amor est amicitiæ. Denique quoties bonum alicui volumus, ipsum bonum amatur amore concupiscentiæ; id autem cui volumus amatur amore benevolentiæ.

7. His præsuppositis negari non potest, quin Deus homines singularis amore benevolentiæ, cætera vero omnia, quibus mundus hic vniversus continetur, amore concupiscentiæ prosecutus fuerit; cùm illos quidem ipsius mundi Dominos constituerit, & quicquid corporeâ naturâ producitur in solos eorum usus cedere voluerit; nec in alium finem destinarit. Cùm autem Divinæ illi benevolentiæ sancti homines reciproco adversus Creatorem suum amore respondeant; non parùm hic quæstionis offertur; nùm vera in eo casu Deum inter & ipsos homines existimari debeat amicitia? Cujus ea quasi lex est atque conditio, ut non nisi inter pares & æquales conciliari possit. Eodem facit quod ait Aristoteles lib. 8. Eth. multos censuisse amicitiam esse quandam similitudinem, & amicos esse similes. Idem & post eum Hieronymus in caput septimum Michea ait, *Amicitia pares aut invenit, aut facit.* Atque ità, cùm tanta sit Divini excellentia sublimitasque Numinis, & infinita præ illo creati omnis entis abjectio, non apparet quomodò in ea dissimilitudine fieri queat summæ conjunctio necessitudinis: Præsertim verò si non de intellectualibus loquamur spiritibus, sed de hominibus quorum anima rationalis infima est, & imperfectissima spirituales inter creaturas, sicut inter corporeas materia prima.

8. Sed ejus quidem difficultatis solutionem nobis affert Dei summa bonitas, neque nos hic dubitare sinit ea benignitas; quæ (ut ait Bernardus lib. 5. de consideratione) *se dignatur demittere ad infima, curare infirma, colligere abjecta, attollere humilia; & ubi major est inopia, ibi magis suas opes erogare & opem ferre.* Quamobrem ut ex plurimis constat Scripturæ locis non dedignatur suprema illa Majestas homines suam in amicitiam adscribere. Sic Isaiæ cap. 4. vocat Abraham *suum Amicum*: Idem Abraham dicitur Iudith 8. *effectus esse Dei Amicus.* Et Psal. 38. dicitur, *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Et Christus *vos amici mei estis*, inquit Ioan. 15. *Si feceritis quæ præcipio vobis. Iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus: vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi à Patre meo nota feci vobis.*

An præter amorem, Deus alios habeat prosecutivos erga existentes creaturas affectus?

9. Post affectum amoris considerantur inter affectus prosecutivos, in concupiscibili quidem appetitu desiderium & gaudium; in irascibili autem, spes. Ac primò, quod ad desiderium attinet, dubitari non potest, quin Deus infinito flagret desiderio salutis creaturarum præditarum ratione: ut satis ipse significat continuâ largitione gratiarum: Quas inter eminet inexplicabile mysterium Incarnationis. Porrò quia desiderium est velut motus quidam prosecutionis versus bonum absens; reperitur summum in Deo desiderium procurandæ sanctitatis peccatori. Quandiu itaque peccator aliquis obstinatus non convertitur, salutem ejus perseverante studio Deus expetit ac procurat, donec impœnitentiâ finali extra viam fiat. Quòd Deus etiam affectum concipiat gaudij, seu lætitiæ respectu creaturarum, ipsemet Christus significat Lucæ 15. *Gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente.*

10. Restat ut de spei affectu inquiramus, nùm in Deo creaturas prosequente locum habeat. Circa quod respondendum est negativè; si spem sumamus pro irascibilis appetitus affectu versante circa objectum absens, quod difficultatem habeat solo conatu intenso superabilem. Quamvis enim Deus videat bonum creaturæ aliquod esse absens; non potest tamen illud apprehendere tanquam potentiæ suæ difficile. Quare illud quidem creaturæ simpliciter poterit velle, sed non ut difficile cum conatu, nisuque sperare. Nihilominùs si spem sumamus pro eo affectu quo quispiam sperat bonum suo etiam commodum amico; patet Deum, quando amicitiam cum aliquo viro sancto colit, & illius bonum perinde ac suum esse censet, posse ex motivo amoris quasi erga semetipsum sperare talis amici bonum; cùm inter veros amicos omnia reputentur pro indiviso esse communia; juxta illud, *Saule Saule quid me persequeris?* Et, *Quicquid uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

CAPUT VII.

De aversativis Divinæ voluntatis circa creaturas Affectibus.

1. NULLUS negat quin saltem aliquos circà creaturas existentes Deus aversativos actus exercere queat sine metaphora. Potest autem id inquiri de odio, fuga, tristitia & ira. Quoad odium; supponendum est posse illud esse duplex, abominationis nempe & inimicitiæ. Hoc autem duplex odium (ut annotat & bene explicat Cajetanus in quæst. 29. art. 1.) respondet per oppositionem duplici amori. Nimirùm ei qui est concupiscentiæ respondet odium abominationis; ei autem qui est amicitiæ respondet odium inimicitiæ.

2. Supponendum est item, ut amoris, sic & odii objectum considerari in ordine ad aliquam personam. Sed aliquod est discrimen. Primò quidem inter amorem concupiscentiæ, & odium abominationis, in eo quòd amor concupiscentiæ se habeat vniformiter & ad bonum & ad personam per modum affirmationis, id est prosequendo & amando: Odium autem abominationis se habeat difformiter ad malum & ad personam; malum enim abominatur & abnegat, personam autem affirmat ac diligit. Secundò est etiam idem discrimen inter amorem amicitiæ & odium inimicitiæ. Nam cùm amor amicitiæ feratur per modum affirmationis & circa bonum & circa personam (ut jam dictum est de amore concupiscentiæ) odium inimicitiæ ex contrario se habet difformiter circa malum & personam; respiciendo malum per modum affirmationis & volitionis, personam autem per modum abnegationis seu aversionis.

3. Hâc explicatione præmissâ videndum est, an & quonam odio Deus possit prosequi creaturas intellectuales. Testatur enim ex una parte ipse Deus cap. 8. libri Proverbiorum *se viam pravam & bilinguem detestari.* Atque similiter ejusdem libri cap. 15. asseritur, *Abominationem esse Deo viam impij.*

Ex altera nihilominus parte certum est variis Scripturæ sacræ locis nullam creaturam quatenùs est opus & productio Dei posse incurrere in odium ipsius Dei, ut expressè habetur in Sapientiæ libro cap. 11. *Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti.* Quomodò ergo verum esse potest quod citatis jam libri Proverbiorum locis asseritur? Solvit hanc difficultatem Augustinus serm. 54. de verbis Domini: *Odit & amat Deus: odit tua, amat te: odit quod fecisti, amat quod ipse fecit: quæ sunt enim tua nisi peccata? & quid es tu, nisi quod fecit Deus?* Idem sanctus Doctor Tract. 110. in Ioannem, *Miro & Divino*, inquit, *modo, quando nos oderat diligebat;* convenienter scilicet ei quod Paulus ait Rom. 5. *Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est.* Paradoxum videtur & ænigma: Eum qui est in reatu mortali Deus odit certissimè; & tamen eadem certitudine ipsum amat, procurans ei salutem; gratiis illum præveniens, & ad reconciliationem sollicitans. Dicendum videtur; si loquamur de peccatoribus qui sunt adhuc in via, Deum habere sic directè odium abominationis circa illorum mala; nimirùm peccata; ut etiam illud odium in causam sive efficientem, sive subjectivam talium malorum, nempe in ipsos peccatores, redundet; cùm certum sit *odio esse similiter impium Deo & impietatem ejus.* Sapientiæ cap. 9. Et Deum non tantùm *iniquitatem odisse, verum etiam eos qui operantur iniquitatem* Psal. 5. licèt ipsos aliunde, ut creaturas suas capaces salutis amet.

4. Si autem sermo sit de peccatoribus jam damnatis & extra viam constitutis; illi sic odio sunt apud Deum, ut in illos convenire videatur odium inimicitiæ; quod, ut dictum est numero præcedenti ex Cajetano, se habet circa malum per modum affirmationis & consonantiæ; hoc est prosequendo & optando; circa personam autem per modum abnegationis; dùm ei malum optatur. Núm verò id sufficiat ut peccatores, præsertim illos qui sunt pœnis inferorum addicti, Deus asseratur prosequi odio simpliciter inimicitiæ? Ait Suares lib. 3. de attribu. posit. cap. 7. num. 5. quæstionem esse de nomine. Vasques autem disp. 74. cap. 3. num. 15. & seq. asserit determinatè odium esse verum inimicitiæ; sumendo odium eodem modo quo explicat Cajetanus relatus à me num. 2. Vasquem sequitur Arrubal quæst. 20. num. 6. Mirum est quod ait Ruis disp. 54. de voluntate Dei, Iudæ constituta fuisse æterna supplicia ex amore in illum Divino; quia damnatio magnum est ejus bonum, cùm per eam res ad æqualitatem reducantur. At Christus dixit *bonum futurum fuisse ei, si natus non fuisset.* Certè si quas aliquis cum alio susceperit inimicitias metiri solemus ex malorum quæ illi optat acerbitate; quæ autem possunt supplicia in vindictam ulli constitui inimico iis acerbiora, quæ cap. 16. Iudith, describuntur his verbis: *Omnipotentia Domini vindicabit in eis: dabit carnes in vermes eorum ut urantur & sentiant usque in sempiternum. Ignem eorum succendet furor Domini & inextinguibilia sufflabit incendia spiritus iracundiæ ejus.*

5. Dubium esse potest secundò circa illum appetitus affectum qui vocatur fuga mali, & per oppositionem respondet desiderio boni. Vno verbo placet quod Suares capite suprà citato ait, affectum fugæ locum habere in voluntate Divina per modum desiderij, ut malum destruatur, & non fiat, si morale sit pendeatque ab ea voluntate quæ illud committere potest. Et quidem talem fugæ affectum respectu peccati ostendit se habere Deus: Cùm illud gravi propositâ pœnâ vetat; & cum crebras ad bene vivendum inspirationes gratiasque immittit; & in ipso peccandi articulo per naturalia conscientiæ dictamina, supernaturalesque cogitationes, ne quicquam sceleratè committatur admonet. Male Ruis disp. suprà dictâ, fugæ affectum Deo denegat, eò quòd fuga sit tantùm mali absentis & ita imminentis, ut velimus illud avertere si possimus: at Deo nihil est futurum cùm omnia coràm intueatur; ut præsentia; & nihil imminere potest, quod non sit in sua potestate impedire. Malè, inquam, nam nihil reapsè futurum est; & nihil imminens in præsenti quod non potuisset anteà impedire ne futurum esset aut imminens; si autem potuit impedire, potuit circà illud habere affectum fugæ, imò & hunc habuit quoties aliquid sibi displicens impedivit. Quemadmodùm quotiescumque aliquid fieri procuravit, ejus desiderium habuit.

6. Dubium tertiò moveri potest admittenda sit in Deo necne tristitia. Quosdam invenio qui postquàm ei concesserint erga creaturas existentes affectum amoris & desiderij & gaudij, necnon odij, fugæ, & spei; ab ipso tamen amoveant tristitiam; quàm verò consequenter id faciant non ita facile est advertere; cùm esse videatur eadem hujus & quorumdam prædictorum, quos admittunt, affectuum ratio. Namquod aliqui dicunt tristitiâ esse de malo; quod sit ei qui tristatur intrinsecum & conjunctum, ratio est invalida; cùm nihil frequentius sit, quàm ut amicus de malo amici quod sibi extrinsecum sit, tristetur ac doleat. Cur ergo Spiritus Sanctus super centum justis & amicis suis cùm pervertuntur, & ab obsequio fideque Dei deficiunt, non possit perinde tristari; ac potest super uno peccatore pœnitentiam agente lætari?

7. Et sanè Scriptura sacra tristitiam Deo & afflictionem Spiritus tribuit. Vt Isaïæ cap. 63. *Ipsi autem afflixerunt Spiritum Sancti*; sive (ut habent Græca) *spiritum Sanctum ejus.* Et Paulus Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum Sanctum in quo signati estis.* Genesis cap. 6. adscribitur Deo dolor, non ratione extrinsecі effectus & immissæ calamitatis humano generi, sed ratione affectus intrinseci, & corde concepti. *Tactus dolore cordis intrinsecùs: delebo*, inquit, *hominem quem creavi.* Mœrorem suum internum, quasi suspirando testatur Isaïæ 1. ipse Deus, dùm cogitat acerbas ab Israële pœnas expetere; *Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Israel. Heu! consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis!* In his locis Scripturæ non magis videtur sumenda esse tristitia metaphoricè & tantùm ἀνθρωποπαθῶς; explicanda quàm alij affectus, nempe amoris, gaudij, fugæ &c. quos tamen varij Theologi asserunt esse propriè exponendos. Certum quidem est tristitiam in Deo inveniri non posse, si per illam aliquis intelligat affectum qualem nos experimur in appetitu sensitivo cum quadam alteratione, & abjectione exangui, ortum ex nocumento seu malo quodam intrinseco &c. Atque in hoc tantùm sensu puto Theologos multos hunc tristitiæ affectum arcere à Deo. Sed videndum est núm eodem modo negari posset amorem, gaudium, odium, fugam &c. locum habere in Deo.

8. Dubium quartò est, an ira formalis & propriè dicta possit in Deo agnosci. Circa quod discessionem fecere Theologi: Quidam enim illam ab eo rejiciunt; ut alicubi divus Thomas, nempe quæst. 20.

art. 1. ad 2. quoniam in ejus formali putat imperfectionem inesse, quatenùs tristitiam supponit. Amovet item hunc affectum iræ à Deo Vasques disp. 84. cap. 4. plures allegans Sanctos Patres, eamque Sententiam alij quidam sequuntur. Contraria tamen sententia sumitur ex eodem item Sancto Thoma, qui 1. 2. quæst. 47. art. 1. ait, iram affirmari de Deo secundùm judicium justitiæ & prout vult vindictam facere de peccato sub ratione justi vindicativi. Idem docet Suares lib. 3. de attrib. posit. cap. 7. & in peculiari disp. de Iustitia Dei sect. 5. num. 2. Non desunt & alij qui hanc sequantur sententiam. Verùm, ne sit quæstio de nomine, advertendum est vniversim omnes hos affectus prout implicatos ijs alterationum imperfectionibus quas nos experimur amovendos esse à Deo: admitti tamen ipsos posse prout expeditos & evolutos cunctis creaturarum imperfectionibus; quo sensu Scriptura frequenter ipsi Deo tribuit zelum, iram, misericordiam, &c.

CAPVT VIII.

De actibus voluntatis Divinæ secundùm progressum in deliberationibus, & de ordine illorum actuum, secundùm signa rationis.

1. IVxta progressum voluntatis humanæ in deliberationibus, clarum est hos tres actus distingui, intentionem finis, electionem mediorum & eorum usum, seu volitionem exequentem, cum producitur finis. Non verò levis est circa hos actus difficultas; nùm & quomodò reperiantur in Deo, præsertim quando finis acquirendus est per media quæ pendeant à libertate creaturæ. Nominatim autem ea disputatio locum habet, cum agitur de Prædestinatione, & efficaci beatitudinis intensione ut acquirendæ per merita; nec non item de efficaci intensione meritorum ut acquirendorum per concessas à Deo gratias. Quæ ad Prædestinationem propriè pertinent, cùm prolixam requirant exactamque disquisitionem, reijciemus ad librum vndecimum & duodecimum. Nunc ea tantùm quæ ad illam disquisitionem juvabunt, ac præparationis instar ad ipsam esse possunt, exponemus circa modum; quo intensio finis, & quo mediorum cùm electio tùm vsus, locum habent in voluntate Divina.

2. Non parvum autem circa hoc reperitur in opinando dissidium inter Suarem ex una parte, & ex altera inter Vasquem & Molinam. Suares enim jure ut certum supponit, concipi posse in Deo signa rationis priora & posteriora; nam constat, verbi causâ, intellectionem esse in priori signo quam volitionem; & in providentia circa reprobatos priùs ratione est voluntas permittendi peccatum, & visio peccati actualis; quàm decretum damnationis æternæ, &c. Cum ergo, ut constat, in Deo negari non possint signa prioris, & posterioris in prædictis similibusque casibus; concedi debent cum agitur de intensione finis, & electione mediorum. Etenim in intensione finis, & in electione mediorum proponuntur voluntati Dei res diversæ inter se subordinatæ. Nam existentia beatitudinis, quæ, verbi causâ, intenditur, pendet à medijs, puta bonis operibus in genere causæ meritoriæ; & merita ipsa pendent à beatitudine in genere causæ finalis; estque evidens media non appeti propter se, sed tantum propter finem. Res hæc tota & necessitas electionis mediorum post finis intensionem secuturæ evidentior erit, si consideremus plura esse posse non rarò media ad acquirendum finem & quidem ad beatitudinem homini procurandam innumera Deo suppetere. Igitur post intentionem consentaneum est, ut aliquod ex multis determinatum eligatur medium.

3. Imò quamvis concedatur posse uno simplici actu & intendi finem, & simul eligi medium, sicut mox dicemus num. 7. Tamen negari non debet, quin possit etiam fieri, ut diversi actus ratione distinguantur: Vnus qui prior ad finem, alter qui ad medium posterior feratur. Eo modo, quo licet affectus possit à Deo unicâ simplici intellectione cognosci in causa simul cognita; non tamen repugnat, quin distinctâ virtualiter intellectione cognoscatur, non in ipsa causa, sed ex ipsa causa priùs cognita. Vt enim convenit intellectum Divinum ferri in quamlibet rem omni modo quo intelligibilis est; sic decet voluntatem Divinam ferri in finem & media omni eo modo, quo diligi & placere possunt.

4. Suari adversantur Vasques 1. p. disp. 89. cap. 10. necnon 3. p. disp. 23. cap. 11. & Molina 1. p. quæst. 23. disp. 2. sicut in concordia super eandem quæst. non tamen agit eodem vterque modo. Vasques quidem contendit vniversim auferri libertatem creaturæ, si Deus (supposito etiam usu Scientiæ Mediæ) absolutè & efficaciter ex seipso decernat rem aliquam pendentem ab arbitrio libero creato. Nam si Deus intelligens per Scientiam Mediam, Petrum tali præventum gratiâ, infallibiliter esse convertendum, prædefiniat, & antecedenter ad prævisionem absolutam futuri eventus decernat ipsius Petri conversionem, æternamque salutem ut infallibilem: Infertur ipsi Petro ineluctabilis & tàm antecedens conversionis necessitas, quàm fuit antecedens illud decretum Divinum, à Petro ipso penitus independens. Quare concludit Vasques repugnare ut Deus (quemadmodùm vult Suares) efficaciter intendat ex seipso finem, cujus assecutio pendeat à creata libertate. Asserit quidem efficaces & prævisas vtiles gratias dari hominibus speciali per Christum beneficio; cùm posset loco gratiæ efficacis dari alia inefficax; sed non putat beneficium consistere in decreto intentioneque finis antecedente.

5. Molina verò, in negotio præsertim Prædestinationis, negat posse duos actus Divinæ voluntatis intervenire nostrâ ratione distinctos; quorum prior sit absoluta & efficax intentio finis seu beatitudinis conferendæ; posterior verò consistat in electione mediorum. Quare censet in Deo vnicum, & nostro ipso conceptu simplicem actum intervenire; qui simul & finem seu gloriam intendat, & media ad illam efficacia eligat. Existimatque tantùm abesse, ut intentio finis seu gloriæ concedendæ antecedere debeat mediorum electionem, ut ex contrario censeat hanc potiùs illâ priorem esse: Quandoquidem intentio finis est libera & contingens; cognitio autem mediorum quæ eliguntur est omni libero Dei actu anterior; utpote pertinens ad scientiam conditionatam, quæ media est inter intelligentiam simplicem Deo naturalem, & scientiam visionis, cujus solius objectum esse potest libera Dei contingensque volitio. Addit hanc prætereà rationem; quoniam si ponatur in Deo post intentionem finis deliberatio circa media eligenda, inducitur in ipsius Dei consultatione

fultatione imperfectio qualis est in nobis, qui prius intendimus finem & ob ingenij tarditatem postea cognamus de medijs. Quare Deum censet prævisis omnibus per scientiam conditionatam medijs, non prius gloriam prædestinatis intendere quam media seligere ac determinare. Circa quod nos quidem sensum nostrum exponemus, cum de Prædestinationis mysterio tractabimus. Est vero inter hanc Molinæ & explicatam superius Vasquis sententiam discrimen quod Vasques nullam admittit efficacem finis intentionem ne violetur creaturæ libertas: Molina autem in Prædestinatione intensionem gloriæ admittit efficacem simul cum mediorum electione.

6. His allatis perpensisque prædictorum authorum adversantibus sibi opinionibus, ut nostrum de ijs judicium exponatur, dicendum videtur primò quidem contra Vasquem pro Suare; posse Deum absque fraude libertatis creatæ habere intentionem efficacem finis in priori quàm de medijs statuat, ac posse deinde venire ad electionem mediorum. Itavt sint duo actus per rationem nostram distincti. Neque timendum est quicquam libertati creaturarum, si adhibeatur scientiæ conditionatæ usus. Sic enim intentio efficax licet antecedat absolutam, supponit tamen conditionatam existentiam liberæ determinationis arbitrij; quod sufficit ad salvandam libertatem creaturarum. Dicendum secundò pro eodem item Suare contra Molinam, non repugnare vniversim, quin Deus per decretum liberum statuat absolutè & efficaciter quippiam pendens à libertate creaturæ. Quamvis enim Scientia Media præcedat omne decretum, nec Deus quicquam liberè decernat nisi ut jam in priori instructus ea Scientiâ Mediâ, quæ ipsi non est libera: Tamen illius scientiæ vsus potest esse posterior libero contingenteque decreto. Dico illud non repugnare loquendo vniversim: An autem repugnet specialiter in Prædestinationis negotio ille ordo ut prius de prædestininatorum gloria statuatur absolutè, posteà verò eligantur tum ipsis prædestinatis, tum alijs non prædestinatis media, examinabimus tractando de prædestinationis magno in hac ipsa re mysterio; idque contra Suarem ostendemus repugnare, & specialiter agendo de Prædestinatione adhærebimus Molinæ quoad hoc.

7. Contra eundem Suarem pro sententia Molinæ dicendum est quamvis (ut ipse Suares optimè ostendit lib. 3. de Attrib. posit. cap. 7. & lib. 3. de Prædestinatione cap. 7. & 8.) tres hi actus, intentio efficax finis, electio mediorum, & horum usus præbeat fundamentum sufficiens eos per rationem nostram in Deo distinguendi: Quia formales eorum rationes inveniuntur in Divino velle; nec dicunt vllam imperfectionem, quando & finis est bonus, & media eliguntur consentanea. Præterea quamvis appareat quædam ratio cur veniendum sit ad discussionem & comparationem mediorum seorsim quando accidit esse plura media; ut ex ijs omnibus, quæ sæpissimè se offerunt infinita, fiat electio & quædam determinatio. Nihilominus videtur posse Divinam optimè voluntatem (quidquid in contrarium dicere queat Suares) ferri uno velut complexu per simplicem & ratione nostrâ indivisibilem actum ad finem & ad media determinata. Itavt & finis & media duplex sint inadæquatum objectum; collectivè tamen sint unum adæquatum. Idque ex ipso Suare potest adversus ipsum probari. Constituit enim ille Prædestinationem in actu efficaci quo Deus sibi proponat, velitque Petrum, verbi causâ, ut sanctitate & gloriâ affectum: Hoc est, quo velit simul & substantiam Petri & sanctitatem & gloriam quæ illum afficiat. Itavt sit unus complexus ex homine qui sit simul causa & materialis & meritoria sanctitatis atque gloriæ; necnon ex ipsa sanctitate & gloria quæ sit causa informans. Vbi apparet fundamentum plures distinguendi actus: Cum tamen summus ille Theologus unum simplicem ponat.

CAPVT IX.

De actibus voluntatis Divinæ secundùm virtutes morales.

1. CUM Dei voluntas sit primigenia Sanctitas, quatenùs conformis essentialiter ejus cum quo identificatur intellectus dictamini, nullum potest habere affectum qui non sit infinitæ perfectionis moralis, atque summarum virtutum effectus. Nec enim dubium est quin Divinæ naturæ mores præditi sint omni genere honestatis, illius quæ nec dicat vllam respectu superioris subjectionem; qualis honestas est Obedientiæ, Religionis, &c. Nec supponat aliquem in opere morali defectum; qualis est honestas Pœnitentiæ, &c. sivè imperfectionem naturæ obnoxiæ perturbationibus atque passionibus per rationem moderandis, quales virtutes sunt, Temperantia, Castitas, Sobrietas, quæ reprimunt sensitivum appetitum, & concupiscentiam corporearum delectationum; illæ item virtutes, quæ cohibent passiones quasi spirituales circa appetitum honoris, vindictæ, &c. utpotè Humilitas, Modestia, Repressio commotionis iracundiæ, &c. Hæ inquam similesque virtutes, quatenus non possunt abstrahere ab illis imperfectionibus, quas in nobis experimur, nequaquam possunt locum habere in Deo formaliter, quamvis in ipso reperiatur formalis circa illas complacentia. Quæ autem virtutes, qualis imprimis est Charitas & ipsius amor Divinitatis, omni carent imperfectionis vmbrâ, quam per mentis abstractionem necesse foret amovere; certum est eas sibi debitam in Deo sedem formaliter obtinere.

2. Non verò persequar, sigillatim eas virtutum honestates, de quibus potest esse controversia, possit nécne ab ijs præscindi omnis imperfectio. Nimirum an vera formalisque Patientia, Mansuetudo, Gratitudo, Longanimitas, Fortitudo, & quæ sunt Fortitudinis duæ partes Magnanimitas ac Magnificentia, propriè an verò tantùm metaphoricè dicantur in Scriptura sacra convenire Deo. Quæ de talibus virtutibus disputantur, maximam partem quæstiones sunt de nomine. Pendet enim tota resolutio à conceptu, quem vnusquisque sub earum virtutum nominibus pro libito subjicit. Si quis præcisivè illarum vocum significationem possit extricare ab omni imperfectione, quam alij eis affingunt; dubium non est, quin sub illo præcisè conceptu in Deo tales virtutes recipi debeant. Alioqui clarum est non debere Quare ut Lectoris occurratur fastidio de solâ Iustitia commutativa deque Misericordia (quas ambas in Deo formaliter Suares asserit habere sedem in Deo) nonnihil dicam, eo brevius; quòd de Iustitia quidem satis diligenter, & ut mihi videtur satis evidenter in partem affirmativam, disseruerim lib. 3. de Incarnatione cap. 8. videri possunt etiam ibidem caput 2. & 3.

3. Iustitiam quidem commutativam plerique cum divo Thoma q. 21. negant reperiri in Deo; quatenùs ejus conceptum implicant quibusdam imperfectionibus, à quibus alij multi ipsam expediunt. Supponendum verò nos hic de illa disputare Iustitia, quæ debitum in Deo non constituat aliud, quàm quod ab ipso liberè se obligante susceptum sit per promissionem factam creaturæ sub quadam conditione, quæ proportionem habeat cum re promissa. Defectu cujus proportionis aliquo modo condignæ non maneret in Deo alia obligatio, quàm vel veritatis, seu fidelitatis, aut congruitatis. Quæ ratio est cur justificatio sub conditione perfectæ contritionis non detur ex commutativa Iustitia, sed tantùm ex congruitate. Loquendo itaque de tali Iustitia, quæ in hujusmodi promissione fundetur, asserendum est illam propriè ac formaliter habere locum in Deo. Evoluta enim ab iis imperfectionibus, quæ in humanis commutationibus & pactionibus reperiuntur, nihil habet cur sedem obtinere non possit in Deo; estque perfectio simplex ut multis in locis docet Suares, nempe in prima parte lib. 3. de Attrib. positivis cap. 7. Item in prima relect. disp. 2. sect. 2, & fusissimè disp. speciali de Iustitia sect. 2.

4. Quod huic assertioni præcipuè ac solùm obesse potest, & imprimis nobis considerandum est, in eo consistit; quòd virtus ista videatur importare Deo quandam sub creatura, cui sit debitor subjectionem, & carentiam juris in rem promissam, privationemque dominij, quo possit de re illa disponere ad libitum. Huic igitur potissimùm respondere oportet objectioni, atque argumento: quod nisi solvatur, non potest agnosci Iustitia commutativa & rigorosa in Deo erga creaturas. Quare cùm totum probationis nostræ pondus in istius objecti argumenti solutionem incumbat, nonnulli studio defendendæ nostræ sententiæ quædam responsa excogitaverunt à Delugo relata, ingenioseque refutata in libro de Incarnatione disp. 3. sect. 1. quæ nos responsa, licèt ad nostram tuendam sententiam excogitata, omittimus, cùm nihil valeant.

5. Nihilominùs aliundè non ita judicamus insolubile argumentum hujusmodi; quin ei responsum illud satisfaciat, quod nos capite octavo jam citato dedimus in Tract. de Incarnat. Siquidem negandum est Deum subjici creaturæ, cui fit debitor; aut ejus in rem aliquam dominium minui, nedùm tolli; cùm suscipit obligationem rigorosæ justitiæ, ac verum jus homini promissione suâ tribuit. Nec enim minùs quàm antè de re promissa disponere potest in quemcumque usum absque ullius injuria, in qua disponendi absoluta potestate verum dominium consistit. Id autem ut faciliùs intelligatur; supponendum est, non repugnare quidem aliquem, ligato suo dominio, impediri ex motivo fidelitatis, seu veracitatis; ne de re aliqua disponat ad suum omne libitum, postquàm affirmavit seriò se non aliter quàm hoc vel illo solo modo & in hujus vel illius gratiam dispositurum. Non tamen propterea ille perderet talis rei dominium: neque si contra suam assertionem ac fidelitatem de ea re disponeret, ulli faceret injuriam; quia scilicet de sua & non aliena re disponeret. Secùs tamen foret, si legitimè pactione & conventione factâ plenum jus alteri dedisset in talem rem. Tunc enim non modò suum ligaret dominium, sed funditùs destrueret; nec posset ea de re cuius esset debitor, & quæ sub alterius mancipium transiisset, disponere sine injuria.

6. Dico non idem esse de Deo. Potest enim se ita debitorem homini constituere ex Iustitia rigorosa; ut dominium in rem promissam, vel etiam datam non amittat; & quin possit de illa ipsa re disponere sine prædicti hominis injuria, licèt etiam inviti. Cùm enim sit ejus hominis, & omnium, quæ in illo sunt jurium Dominus absolutè; potest sine illius volentis, nolentis injuriâ suspendere aut omninò destruere jus ei concessum: Quo jure sive suspenso, sive destructo, Deus negando rem illi promissam & in alios usus transferendo non faceret quicquam contra Iustitiam. Quantùmvis igitur se constituat creaturæ debitorem, nec possit absque injustitia denegare promissum, quandiu patitur manere integrum ipsius creaturæ jus; eo tamen jure sublato, non est ei ampliùs debitor. Atque ita cùm non possit facere, quin semper sit Dominus jurium quæ concedit, non cessat esse Dominus omnium rerum quarum est debitor. Neque obstat quòd saltem quandiu Deus vult relinquere nec destruere jus creaturæ, maneat debitor & non valeat illi absque injuria denegare promissum. Respondeo enim id ad summam Dei perfectionem spectare, quod valeat Iustitiam commutativam exercere, atque verè ac formaliter justus esse, ideoque debitorem se constituat; idque modò explicato absque sui fraude diminutioneque dominij. Quod dominium non propterea pateretur ullum detrimentum, etsi Deus affirmasset nunquam se destructurum creaturæ jus. In tali enim casu, si per impossibile contra suam affirmationem deinde faceret, non faceret contra Iustitiam, sed contra veracitatem. Exemplo res patet: Sit quispiam, qui voverit se daturum Ministris Templi in ejus decorationem centum nummos: Ille, cùm eos postea servaret aut aliò distraheret, peccaret contra voti religionem, non autem contra Iustitiam; de suis enim non de alienis disponeret. Imò quamquam factâ transactione legitimâ acquisitum verè fuisset jus Ministris Templi; posset ex rationabili causa summus Pontifex destruere illud Ministrorum jus etiam invitorum, & hominem relinquere suorum centum nummorum dominum.

7. Circa virtutem Misericordiæ, de qua initio hujus capitis propositum fuerat, dicendum est eam in Deo propriè ac formaliter inveniri: testaturque lib. 3. de Attrib. posit. cap. 7. Suares, in eo Theologos omnes convenire. Quatenùs scilicet Misericordia concipitur sine passionis seu compassionis affectu, qualem nos in nobis experimur; sed quatenùs inclinationem solùm dicit, seu propensionem ad subveniendum miseris, & ad quemcumque defectum ab hominibus seu expellendum seu impediendum: quam inclinationem Dei nullus est in terra qui non experiatur. Quare in Psal. 118. dicitur *Misericordiâ Dei plenam esse terram*: Vnde & ait sanctus Thomas quæst. 21. *Cùm Deus affectum, qualem nos sensibilem Misericordiæ non habeat; ejus tamen effectus passim illum exhibere.* Quod & eleganter dixit Anselmus cap. 33. libri de qualitate animæ; *Misericors es* (inquit) *non quia tu sentias affectum, sed quia nos sentimus effectum.* Eâdem ratione, quâ Misericordiam, possumus in Deo ponere, alias omnes virtutes; quæ sic abstractè concipiuntur, ut cùm omnem imperfectionem, quæ in nobis ad illas materialiter & per accidens se habet, præcidimus, remaneat integer formalis eorum conceptus. Sic enim (cùm nihil includant, quod perfectioni vel majori vel æquali repugnet) dubium non est, quin sub eo etiam nomine quod in nobis usurpatur sint perfectiones simplices; qualis est Charitas, & qualem

sapientiam & prudentiam diximus, cùm de intellectu ageremus. Hæ porrò virtutes non sunt in Deo formales habitus; sed ipsa Dei essentia, provt est ratio cujusdam habitus eminentialis. Præterea dubium non est, quin Deus per complacentiam quam habet circa omnes nostras virtutes quas vel jubet vel suo consilio suadet, possideat formaliter tanquàm perfectionem simpliciter simplicem, honestatem quandam supremam & superexcellentem quæ referatur aliquo modo ad objectum formale nostræ credulitatis, pœnitentiæ, charitatis &c.

CAPVT X.

De quibusdam alijs Divinæ voluntatis divisionibus.

1. VARIOS aliquos hactenùs consideravimus Divinæ voluntatis actus. Iam quædam etiam supersunt aliæ Divinarum volitionum divisiones, quarum explicatio non parùm conferet ad proximum Tractatum mysterij Prædestinationis. Ne verò longiùs divagemur, quatuor tantùm Divinæ voluntatis exponendas insuper divisiones suscipiemus. Et primò quæremus, quæ sit in Deo voluntas efficax, quæ inefficax; deinde quæ absoluta, quæ conditionata; posteà quæ antecedens, quæ consequens; demùm quæ voluntas signi, quæ beneplaciti.

Voluntas efficax & inefficax.

2. Primò itaque Divinæ voluntatis efficaces actus sunt, qui tam necessarium habent effectum, ut implicet contradictionem non habere; cùm *nihil sit quod possit eis resistere* ut dicitur cap. 13. libri Ester, unde Psalmista; *Omnia*, inquit, *quæcumque voluit fecit*; Psal. 113. &c. Circà hoc genus voluntatis efficacis disputatur in Tractatu de gratia, vel in eo de Prædestinatione; Nùm dari possit antecedenter ad actus libertatis creatæ, itavt eos prædeterminet ac prædefiniat, & an spectata sic voluntas denominet gratiam quâ Deus nos prævenit, efficacem? Qua de re nos libro sequente.

3. Inefficaces Divinæ voluntatis actus sunt illi qui effectu carent, sive quia nullo modo eum intendunt, ut videmus in simplici complacentia; sive quia non intendunt quantum opus est, & sunt cum permissione contrarij; quemadmodùm accidit voluntati, quâ Deus optat salutem reproborum; & exactam suæ legis observationem; respectu illorum à quibus non impletur; de qua volitione dicitur 1. Timot. cap. 2. *vult omnes salvos fieri*. Et Petri cap. 2. *Hac est voluntas Dei ut bene facientes obmutescere faciatis imprudentiam hominum ignorantium.* Nec est contra Dei beatitudinem aut potentiam, quod aliquid fiat contra talem illius voluntatem. Nam simul est in eo voluntas alia efficacior permittendi id quod fit. De his actibus efficacibus & inefficacibus aliquid etiam in Tractatu de Prædestinatione dicetur infrà.

Voluntas absoluta & conditionata.

4. Sequitur secundò divisio in voluntatem absolutam & conditionatam. Illa est quæ nullam, ista quæ aliquam involvit conditionem. Notandum est hanc divisionem distingui à præcedenti, quamvis enim aliquando nomine voluntatis absolutæ intelligamus eam quæ est planè efficax; sive omninò certa, statuta ac deliberata, & (ut Galli vocant) resoluta; nihilominùs non omnis efficax est absoluta in sensu, quo in hac divisione loquimur, & è contra non omnis absoluta est efficax. Quòd omnis efficax non sit absoluta patet; Deus enim vult efficaciter dare gloriam prædestinatis, sed ut præmium; & reprobos damnare, sed in pœnam; hoc est non sine conditione meriti vel demeriti; quare hæc voluntas & efficax in se est, & conditionata ex parte objecti. Patet eodem modo non omnem absolutam esse efficacem; nam Deus vult absolutè & sine conditione servari sua mandata, est enim in ipso voluntas absoluta ut serventur sua mandata, v. c. ut ipsi etiam inimici diligantur: tamen ea voluntas est inefficax; cùm ei resistant, eamque reddant inefficacem plurimi. Quæ voluntas inefficax, si absoluta non foret; sed tantùm sub ea conditione, si homines eam exequi vellent, non peccarent ij qui non vellent exequi.

Voluntas antecedens & consequens.

5. Tertiò voluntas dividitur in antecedentem & consequentem. Hæc divisio sumpta est ex Chrysostomo homil. 1. in epist ad Ephes. ubi antecedentem voluntatem appellat primam; consequentem vocat secundam: & Damasceno lib. 2. de fide cap. 29. qui utrumque membrum istius divisionis sub nomine antecedentis & consequentis bene explicuit. Prima, inquit, voluntas dicitur antecedens & beneplacitum, quam voluntatem ex seipso solo Deus habet nullo aliunde sumpto; quàm ex sua bonitate motivo: λέγεται τὸ προηγούμενον θέλημα, τὸ ἐξ αὐτοῦ ὄν. Cujusmodi fuit voluntas creandi mundum, & voluntas quâ vult omnes homines salvos fieri, & quâ destinat quibusdam gratias, quas prævidet habituras effectum &c. Voluntas autem consequens, ea est quam Deus habet (inquit) non ex seipso, sed datâ occasione ex parte creaturæ; qualis est voluntas damnandi peccatores &c. τὸ δὲ ἑπόμενον θέλημα, ἐξ ἡμετέρας αἰτίας. Atque ex his potiùs duobus sanctis Patribus consentaneum est desumi in præsenti materia explanationem antecedentis & consequentis Divinæ voluntatis. Nec tam attendendum est, in quos sensus ea verba diversi Theologi detorserint.

6. Sanctus quidem Thomas quæst. 19. art 6. ad primum, habet antecedentis & consequentis voluntatis explicationem; quæ quidem pulchra est & notanda, sed quidquid Vasquesius dicat, non continet Damasceni mentem; Quia juxta illam (quod Damascenus non docuit) sola voluntas consequens esset efficax, & antecedenti prævaleret. Videri potest hac de re Suares cap. 8. num. 6. qui jure improbat explicationem Durandi dist. 47. quæst. 1. Bonaventuræ, Gabrielis & quorumdam aliorum asserentium voluntatem antecedentem vocari; quando terminatur non ad rem cujus dicitur esse voluntas, sed ad illius causam.

Voluntas signi & beneplaciti.

7. Quartò addi solet voluntatis divisio in eam quæ est signi & eam quæ beneplaciti, (de qua Divus Thomas quæst. 19. art. 11. & 12. Magister & Scolastici in 1. dist. 49.) Hæc divisio est valde impropria & solum analogica. Propterea quod voluntas signi non est verè ac formaliter voluntas, sed tantum analogicè; nihil enim est aliud, quàm signum externum ipsius veræ voluntatis, eo modo quo Cæsaris statua vocatur Cæsar. Numerantur autem vulgo quinque hujusmodi signa voluntatis Divinæ, præceptum, prohibitio, consilium, permissio, operatio. Præceptum & prohibitio significant verum actum quo Deus vult absolutè & efficaciter obligare ad acceptandum & volendum exequi quod præcipitur, & non volendum quod prohibetur. Atque hoc est essentiale & formale in præcepto; quod simul indicat (quamvis non essentialiter nec semper, ut apparet in præcepto immolandi filium facto Abrahæ) verum actum quo Deus sibi complacet in re præcepta; quemadmodùm etiam aversatur rem prohibitam. Consilium significat, Deum non modo judicare id melius esse quod proponit; sed etiam habere circa illud complacentiam, & voluntatem conditionatam ut fiat, nullo autem modo voluntatem obligandi, nec voluntatem absolutam inefficacem ut fiat.

8. Permissio duplex est. Primò enim sumitur pro concessione ejus rei, quæ nec præcipitur nec prohibetur, nec consulitur, ut melior; sed relinquitur ut licita; quomodò dicitur permitti matrimonium, proprietas divitiarum & possessionum, &c. Atque hæc voluntas Dei includit quod non repugnet, nec habeat displicentiam circa objectum permissum, sed potiùs in illud consentiat. Secundò sumitur permissio pro libera non impeditione rei alicujus; quomodò Deus dicitur permittere quidquid non impedit efficaciter. Non significat hæc permissio vllum, ne quidem tacitum consensum; sed potest esse cum vera displicentia & repugnantia; Deus enim permittit peccatum, quod tamen nullo modo vult, sed vetat & punit: Significat ergo voluntatem Dei non denegandi concursum generalem, nec impediendi. Adverte permissionem Dei esse semper bonam, & ab ipso amari; rem tamen permissam posse malam esse & exosam; ut constat in peccato. Operatio Dei seu executio indicat voluntatem quâ vult per se ipsum in id quod fit influere, sivè solus, sivè cum creaturis. Ad quinque prædicta externa signa voluntatis Divinæ revocari possunt quædam alia, nempè impedire & non permittere quod fit, vel ponendo causas contrarias, vel non ponendo necessarias. Item non facere; & si quod aliud simile. Alterum membrum divisionis hujus quartæ erat voluntas beneplaciti; quæ nihil aliud est, quam vera propria & formalis in Deo voluntas, de qua disputavimus toto hoc libro.

CAPUT XI.

Circa Divinam in rerum naturali ordine voluntatem.

Moralis & pia Consideratio.

1. OMNIA, quæ hìc circa voluntatem Divinam consideranda occurrunt, vnico ferè possunt expediri concludique verbo: Scilicet nihil esse neque in naturæ neque in gratiæ gloriæque ordine possibile; quod non sub summo increati jure contineatur arbitrij. Porrò cùm verum propriéque dictum dominium vulgò à sapientibus definiatur, ***Ius quod vnusquisque habet de re quacumque sua sivè servanda sivè à seipso penitus alienanda liberè disponendi.*** Mirum est, quod in Deo dominium (quandoquidem illi essentiale est) nequeat ejus arbitrio ita subjici; vt eò ad libitum voluntas ipsius abdicare se valeat: Quatenus non decet eò vsque Deum sui dominum esse dominij, ut illo destructo, & à se translato se facere possit nullius rei esse dominum: Itavt jus non habeat absolutum in ea etiam omnia quæ non existunt, sed in mera jacent possibilitate; dum paucas ad libitum suum eligit creaturas ex nihilo evocandas, cæteris relictis infinitis; quas jure plusquàm necis & vitæ vult nec nasci.

2. Postquàm verò Deus quibusdam electis ad existendum creaturis, mundum hunc molitus est vniversum, non abijcere potuit ejus, quasi non ad se pertinentis, curam. Quare dum vidit perfectos cœlos & terram & omnem ornatum illorum, nequaquam ita requievit septimo die ab omni opere quod patrarat, ut ab eo quiesceret gubernando. Cùm enim tota vis ac Providentia, quâ mundus administratur, tribus rebus contineatur, nimirum intelligentiæ perspicuitate, tùm etiam voluntatis studio, & tandem operatione executricis potentiæ; nihil horum deesse potest Deo; ***Qui sua perspicacia*** (inquit Tertullianus in libro de Pœnit.) ***non est prævaricator; ut quàm habet perspicacissimam notitiam, per studium voluntatis operaque non sequatur.***

3. Itaque mens pia, & Christianæ præceptis erudita Sapientiæ, quicquid ipso temporum decursu videt vel solius existere naturæ viribus, vel hominum liberis esse suscepta factaque consilijs debet ad Dei revocare voluntatem singula quæ rectè fiunt decernentis atque promoventis; quæ verò inconsultè aut etiam sceleratè suscepta sunt permittentis nec impedire volentis. Quæ enim major cogitari potest recti ordinis in vniversi gubernatione subversio, quàm ex præcipuarum illarum quatuor dominatione Monarchiarum quæ successivè vna post alias terrarum orbem triginta circiter sæculis prophano oppressum imperio tenuerunt?

4. Et tamen in ijs certum est contigisse nihil quod Divinæ Providentiam voluntatis fefellerit, præscribentem scilicet determinatos impietati terminos ac fines, qui præteriri non possent, & quidquid impiè factum impediri non oportuit, ad bonos tandem aliquos exitus dirigentem. Et quidem ex Prophetiæ Danielis capite 7. aliquotque deinde sequentibus constat, in prædictis quatuor Monarchijs nihil evenisse, quod voluntatis Providentiæque Divinæ desti-

natiône, illo fieri modo permissum non fuisset, quo Danieli Angelus prænunciavit. Adoret hic anima fidelis æternum Divinæ voluntatis, & Sapientiæ politicæ Numen; quod non terrena minùs, quam cœlestia moderatur.

5. Rex Regum scilicet ac Dominus Dominantium constituit terminos populorum & orbem omnium gentium in ditiones, in Regna, Imperiaque varia descripsit, quæ per Reges tanquam per præfectos legatosque suos administrat. Suæ laus est illa summa Politices; quod sic in terris omnia ejus dominatu tenentur, ut non minùs sapiens ac vtilis sit ipsius per amentes, impiosque præsides gubernatio, quàm per cordatissimos & altâ sanctâque mente prædictos administros. Atque ut inferiores in cœlis orbes, superiorum à quibus abripiuntur pulsum agitationemque non vitiant, nec mundo reddunt inutilem, quando propriâ motione in contrarium feruntur, ac illi. Sic ipsi per quos Divinum Numen Respublicas gerit, nihil ei de gubernationis laude detrahunt, cùm ipsius nutum votumque non sequuntur, sed diversis repugnantibusque consilijs omnia evertunt, bonorum pietatem insectantur, subditos compilant, provincias crudelitate divexant. Quidquid in impiorum Principum imperio peccatur, id totum Deus ex inordinato reducit in ordinem, & optimè noxiâ præfectorum administratione gubernat.

6. Quæ scilicet perversa Regum est, ea est optima regiminis ratio apud Deum regressu ipso progredientem, recessu accedentem, & quò destinavit ipsâ morâ properantem, atque averso tandem gressu pervenientem. Ex quo accidit illum non modo permisisse ut mundus à nequissimis mortalium sæpe regeretur, sed etiam suo suffragio jussuque fecisse ut talia naturæ propudia ad regale munus veherentur. Quomodò Ieroboamum quidem & Iehu in Israëlitarum, Hasaël autem in Syrorum regno collocavit. Vnde Divinam in qualicumque mundi statu publicarumque cursu rerum agnoscere voluntatem edocemur: Sine cujus Numine apud Romanos numquam Domitianus, taliaque monstra impietatis adepta fuerunt summi culmen Imperij. Deus qui Titum, idem & Domitianum delegit, ut aït Augustinus, humani generis illum delicias, istum pestem.

7. Idem Augustinus persecutiones in Christianum nomen præcipuas numerat, decem sub totidem Romanis ante Constantinum Imperatoribus. Quarum decimam omnium dirissimam commovit Diocletianus, qui hoc in animo deliberatum habebat cum Maximiano Imperij & sacrilegi suo collega negotij, ut Christianam Religionem omni laceratam immanitate radicitùs revellerent. Sed illis contra ac intenderent accidit. Divina siquidem voluntas ijsdem Principum impiorum conatibus ad sua promovendâ consilia vtebatur: Atque in hoc quàm in vllo unquam negotio apparuit atrocissima etiam scelera Divinæ, quam impugnant, voluntati servire juxta illud; *quoniam omnia serviunt tibi*, Psal. 118. Idque tandem ratum constitit quod Isaïæ 46. Deus pronunciavit; *consilium meum stabit & omnis voluntas mea fiet*.

8. His enim contra Christianum nomen conatibus aliud nihil actum est, quàm ut insignibus Religio nostra Martyribus ornaretur, atque horum sanguine illius veritas sanciretur; tandemque superatum Romanum Imperium, ac sub ditionem Christi redactum, summo Christianorum Pontifici cederet vrbem Romam: Quæ sub tanto sacroque Monarchâ, longiùs imperaret spiritualis jure majestatis, quàm sub tyrannide olim potestateque terrenâ.

LIBER DECIMUS.

De Omnipotentia & Providentia Dei.

QVANDOQVIDEM Providentia, & gubernatio naturæ præsertim rationalis, (ad cujus Prædestinationem sequenti libro explicandam dirigimus præcipuè hanc de Providentia in præsenti libro disputationem) consistit in exercitio Divinæ seu intelligentiæ, seu voluntatis: Et quoniam simul accedere debet Omnipotentiæ; illis duabus facultatibus subordinatæ, applicatio. Sequitur, ut postquàm jam præcedentibus tribus libris de Intelligentia, Voluntateque Divina tractavimus, nunc disserere debeamus de Omnipotentia (quod capite primo exequemur) & continenter de Providentia: Cujus explicationem quinque sequentibus capitibus prosequemur. Atque ita secundo capite inquiremus, an Deus Providentiam habeat in rerum gubernatione: Tertio deinde capite qualis sit Providentia circa res etiam eas, quæ sunt rationis expertes: Quartò qualis sit circa creaturas

liberas Providentia purè naturalis : Quintò qualis circa easdem supernaturalis ; & nùm ideò detur aut dari possit actuum liberorum absoluta efficaxque Prædefinitio, sivè admittendo, sivè etiam excludendo Scientiam Mediam : Sextò denique librum claudet moralis piaque circa Divinam Providentiam contemplatio.

CAPVT I.

De Divina Omnipotentia.

1. QVAMVIS libro sexto cap. 1. docuerimus nullam esse in Deo veram physicamque potentiam ad actus immanentes ; sed Dei substantiam esse purum & sine reali productione per se subsistentem actum intellectionis, seu volitionis. Nihilominùs in ordine ad actiones transeuntes nemo dubitat, quin per rationem nostram vera & formalis sit in Deo ad externos actus potentia activa ; licet realiter seu entitativè à cæteris attributis indistincta. Hanc verò ad omnia potentiam, seu Omnipotentiam negarunt non solum ex Ethnicis plurimi, quos inter Plinius libro secundo cap. 7. & cum suis Epicureis Velleius apud Tullium lib. 1. de natura Deorum, Plotinus qui Enn. 5. lib. 5. cap. 12. cum alijs non paucis Deum nihil aliud creare potuisse quàm quod molitus est, arbitrantur. Verùm etiam sub nomine Christiano circa idem errarunt Marcionitæ, Manichæi, aliique hæretici de quibus Epiphanius tertio tomo lib. 1. Attamen hic error tantæ non solum impietatis, sed etiam stultitiæ plenus est, ut mirum sit in eum vel Ethnicos impegisse. Nam ut aït Nyssenus lib. Catech. πόῤῥω τῆ θεῶ ὑπολήψεως τὸ ἀδύνατον, hoc est, procul abest à naturali (quàm omnes habent de Deo) opinione, quippiam ei esse impossibile. *Non dico da mihi Christianum*, inquit Augustinus serm. 132. de tempore, *da mihi Iudæum ; sed da mihi Paganum, Idolorum cultorem, dæmonum servum ; qui non dicat Deum esse Omnipotentem ; negare Christum potest, negare Omnipotentiam non potest.*

2. Hæc veritas de Omnipotentia Dei pertinet ad fidem Catholicam ; cùm in Scriptura sacra Deus plusquàm trigesies vocetur Omnipotens, & ipse cap. 17. Gene. de se loquens dicat, *Ego Deus Omnipotens :* Quod ei nomen in eodem libro sexies tribuitur. Item Matthæi 19. & Marci 10. dicitur, *Omnia possibilia sunt apud Deum.* Et eadem veritas est totius ipsius fidei mysteriorum fundamentum, creationis mundi, Incarnationis, &c. Illustre specimen esse Omnipotentiæ vulgo patres asserunt productionem ex nihilo & ex nulla præsupposita materia *Absit ut dicatur omnipotens non posse facere, nisi vnde faceret inveniret.* inquit Augustinus contra adversarium legis & Prophetarum cap. 81. & Theodoretus ex facultate creandi non limitatâ, probat Divinam Omnipotentiam. *Voluit Deus non quantâ poterat*, inquit, *nam ipsi facile quidem erat decem aut viginti millia creare mundorum. Ei possibilia sunt quæcumque vult, sed potentiâ non mensus est creaturam : Tantùm, quæcumque voluit fecit.* Quare Divinam Omnipotentiam infinitam vocat Dionysius de Divi. nom. cap. 8. ὑπερδύναμιν ἀπειράκις ὑπεράπειρον hoc est *super-potentiam creandi infinities super infinita.*

3. Illam verò quam Dionysius vocat superinfinitam attendere oportet, cùm intensivè respectu ipsius potentiæ, quæ formaliter est in Deo ; tùm extensivè respectu objectorum, quorum numerus nullo limite definitur. Ea verò extensiva objectorum, multiplicitas supponit, & habet adjunctam intensivam potentiæ Divinæ infinitatem ; quatenus potest Deus objecta plura, & in infinitum plura producere, non tantum successivè (nam sic solis potentia activa esset infinita) sed uno simul actu. Dùm verò Dei hæc potentia secundùm perfectionem suam attenditur, aït Suares concipiendam non esse ut virtutem quandam superadditam realiter Divinæ substantiæ, eo modo quo substantiæ ignis additur calor tanquam vis calefactiva ; sed eo modo, quo calor ipse concipitur, nulla vi calefactivâ sibi superadditâ, posse per se ipsum calefacere. Ita debemus, inquit ille doctor, concipere substantiam Divinam simul esse principium quod, & principium quo creaturas producendi. Nam cùm, ut docuimus lib. 3. cap. 2. Divina substantia seu essentia non sit quippiam vnum præsuppositum attributis seu perfectionibus Divinis ; sed sit cumulus omnium attributorum & perfectionum simpliciter simplicium ; inter eas omnes infinitas perfectiones numeratur Omnipotentia, ut ratio quædam formalis, quæ facit velut partem substantiæ ipsius Divinæ, distincta per mentem nostram à cæteris omnibus attributis.

An Omnipotentia distinguatur formaliter ab intellectu & voluntate.

4. Quare non sunt admittendi nonnulli, qui Omnipotentiam putant esse formaliter indistinctam ab intellectu ac voluntate ; & quidem diversimodè. Nam intellectum negant quidem esse potentiam executivam, provt ipse concipitur actus tantùm primus, quia sic non est principium immediatum effectuum, cum in hos non influat, nisi mediante actu secundo ; deinde quoniam Omnipotentia Deo est quid essentiale, & non contingens ; propterea addunt non quamcumque scientiam esse Omnipotentiam, sed illam quæ circa res possibiles versatur modo quodam practico, & efficaci ; at verò quod spectat ad voluntatem ; cùm volitio, quæ est simplex complacentia, sit inefficax & de se ad agendum inepta ; provt autem est plusquam simplex complacentia, non sit essentialis, sed contingens & libera, propterea dicunt nullum esse propinquius principium, quàm voluntatem in actu primo, cui assignari possit ratio Omnipotentiæ quæ Deo est essentialis ; quamquam & ipsa voluntas in actu primo indigeat determinatione liberâ, & decreto contingente, perquod de facto producat effectum, & ponatur in actu secundò transeunte.

5. Ita Vasques disp. 102. rationes afferens infirmas. Movetur enim locis obscuris, & parvi momenti, quibus Aristoteles videtur asserere intellectum & appetitum in substantijs spiritualibus esse principium motus ; affert etiam rationes duas tam exiles ut refutatione non egeant ; nempè, quòd satis bene intelligamus potentiam integram substantiarum spi-

ritualium motivam concepto earum intellectu & voluntate; quare non sit opus aliam superaddere formalitatem potentiæ. Altera ratio est, quòd speciatim in Deo non possit distingui potentia executiva, quin ponatur imperfectio in ejus voluntate. Ambæ rationes petunt principium: Quare quod assumunt, negandum est, ut clariùs patebit infrà. Potentiam executivam à voluntate formaliter non distingui tenent item (quamvis non eodem omninò modo quo Vasques, qui rem sic explicavit, ut acceptabiliorem reddiderit) Molina quæst.25. Valentia ibidem, & quæst. 14. & 19. Ruis disp. 24. & alij quidam post Scotum., Bassolem, Ferra, &c.

6. Meliùs Suares in Metaphys. disp. 30. sect. vlt. & libro 5. de attributis cap. 9. secutus sanctum Thomam quæst. 19. art. 1. ad quartum, & clariùs quæst. 25. art. 1. ad 4. & art. 5. ad 1. Durandum disp. 38. quæst. 1. &c. Subscribuntque plurimi ex recentioribus qui tenent dari in Deo potentiam extrinsecam, quæ formaliter, seu per rationem distinguatur ab intellectu & voluntate; atque intellectui quidem subijciatur ad directionem, voluntati autem ad applicationem. Probatur hæc sententia. 1. Quia formaliter intellectio & volitio sunt actus immanentes, nec habent, ut sic, influxum ullum transeuntem in objecta; sed tantum dare possunt illis denominationem extrinsecam cogniti & voliti, si verò quis aliud in intellectionis & volitionis conceptu ponat, is prætergreditur sphæram & rationem actuum hujusmodi vitalium. Nec dicas pertinere ad prædictorum rationem actuum, quando perfectissimi esse concipiuntur, ut sint efficaces, atque ita illis non negendam esse efficacitatem, quam Scripturæ passim concedunt Deo; cum ajunt illum effectibus qui nec dum erant *præcepisse* Genes. 1. ipsum *dixisse & facta esse, mandasse & creata esse*. Psal. 32. Respondeo enim efficacitatem horum actuum non dicere effectionem transeuntem seu influxum causæ physicæ efficientis. Non aliam siquidem in suâ ratione dicere potest efficacitatem intellectio, ut sic (licet perfectissima) quàm ut moveat moraliter voluntatem & actionem externam dirigat: Non item aliam volitio; quam ut, quantum est de se, potentiam executivam applicet. Quare falsum est fundamentum quo nititur Ruis; nempè quòd ex præcisâ & formalissimâ intellectus & voluntatis infinitæ ratione habeatur quidquid requiritur, ut omnes effectus possibiles ad nutum obediant.

7. Video quidem posse respondere adversarios, nolle se ut actus immanentes, quà tales, effectum habeant transeuntem; sed ut una & eadem formalitas, quæ est volitio efficax & immanens, protendatur vlterius ad extra, & sit productiva creaturarum eo modo quo multi putant actus nostros immanentes productivos esse habituum; & eo modo quo aliqui dixerunt actus imaginationis prægnantium matrum producere notas in fœtu. Atque hoc modo explicata opinio adversariorum non videtur omnino improbabilis: Mihi tamen non placet. Si enim vult eandem realitatem entitatis, quæ est volitio, esse potentiam creandi, nemo id negat; si autem eandem formalitatem, gratis loquitur: Nec id necessarium est ad explicandam perfectionem Divinæ voluntatis. Negantur autem exempla allata, nec enim actus vitales productivi sunt aut habituum, aut vllarum in fœtu impressionum.

8. Secundum argumentum pro nostra sententia petitur ex eo quòd attributa debent eâ proportione in Deo poni, quâ in creaturis: Atqui videmus creaturas præter vim cognoscitivam & appetitivam habere vim executivam; putà locomotivam, &c. atqui tres illas facultates concipimus ut distinctas; ergo debent & in Deo, non quidem entitate, sed conceptu distingui. Quod ex Cajetano respondet Vasquesius; in creaturis spiritualibus nos non concipere illas facultates ut tres distinctas, quia in eis non est opus; in materialibus verò diversam esse rationem ob imperfectionem cognitionis organicæ; & appetitus sensitivi. In animalibus enim constituitur distincta potentia, quæ motum in ipso corpore exequatur; quoniam anima, cum sit naturâ suâ conjuncta corpori, non nisi medio corpore, ut instrumento, effectus corporeos operatur; Id, inquam, totum negamus. Quamvis enim in substantijs à materia separatis non debeat poni potentia motiva quæ ab intellectu & voluntate distinguatur realiter (quod ad summum voluit Aristoteles) debet tamen concipi ut distincta formaliter. Nec videtur verius quod addebatur, diversam esse rationem in materialibus seu animalibus. Nam & in his eodem ferè modo comparari potest sensus internus & appetitus cum potentia locomotiva; quo in Angelis intellectus, & voluntas cum corundem potentia locomotiva. Siquidem sensitivæ motivæque potentiæ in animalibus vel identificantur realiter vel saltem (ut quidam putant ob experientiam quam miratus est Augustinus in dissectione vermiculi qui millepeda dicitur) non debent concipi separatæ organis, quasi sensus internus locum habeat in capite solo, appetitus in corde, sejunctus à cæteris membris.

9. Tertiò probari potest nostra Sententia circa virtualem in Deo distinctionem intellectus & voluntatis à potentiâ executivâ: Quoniam Deus, formaliter ac præcise loquendo, non ideo est Omnipotens, quod sciat aut quod velit. *Potentia intelligitur* (ait Divus Thomas quæst. 25. art. 5. ad 1.) *ut exequens; voluntas, ut imperans; intellectus, ut dirigens; ideò Deus aliquid facit quia vult; non tamen ideò potest quia vult; sed quia talis est in sua natura*, vnde nascitur. Quarta ratio. Nam Deus non agit extra se quatenùs est perfectus in ratione scientis aut volentis, sed quatenus est perfectus in ratione entis; non enim est principium actionis ad extra, nisi quatenùs eminenter continet creaturas; hoc autem non habet præcisè ratione scientiæ & voluntatis, sed ratione entitatis & ipsius esse per essentiam. Nam ut esse caloris, est ipsa potentia productiva caloris; sic esse Divinum est formaliter potentia productiva creaturarum. Vnde intelligis potentiam hanc in Deo cognoscente, & volente esse formaliter entitatem ipsam, & partialem essentiam Dei, ac sic se habere ut se haberet in calore vis quæ in eo est calefactiva, si fingeremus ipsum calorem habere simul essentialiter cognitionem & voluntatem, quâ se liberè applicaret ad agendum. Vide Suarem in metaph. disp. 30. sect. vltima, numero 47. & sequentibus.

Omnipotentiam esse objectivè infinitam.

10. Porrò hæc potentia executiva, quæ intellectui voluntatique, ut ab ipsis per rationem distincta, subordinatur, cùm pertineat ad essentiam infinitam, in qua quodlibet attributum suam infinitatem habet, non potest non esse infinita. Hujus potentiæ infinitudinem objectivam stabilivimus lib. 4. cap. 5. sic enim in seipsa formaliter ac intrinsecè infinita

est, ut objectum etiam habeat infinitum, saltem syncategorematicè. Licèt enim concederetur nullum posse produci effectum actu infinitum, sufficeret ad infinitatem objectivam potentiæ Divinæ, quòd nullus effectus producibilis tantus esset, quin posset eo produci major; atque perfectior: Hæc autem objectiva effectuum infinitudo respondens potentiæ activæ Divinæ includit omnem creaturam, & toti rerum non implicantium contradictionem latitudini coextenditur. Vnde fit ut in Deo non solùm infinitam potentiam, sed veram Omnipotentiam asseramus: cuius rei demonstrativa redditur ratio. Nam si aliquid est possibile, per aliquam potentiam possibile est; cùm hæc duo correlativa sint: ergo ea potentia est in Deo; atque ita habemus quod intendimus, si enim non in Deo sed in aliqua creatura esse dicatur. Contra nam omnis potentia creaturarum perfectiùs est, & eminentiùs in Deo, quàm in ipsis creaturis. Quare probatum manet quond intendimus.

11. Dices ex ea probatione hoc solùm, quod ridiculum est, concludi, potentiam Dei se extendere ad id omne, ad quod se extendit. Si enim quod est possibile dicitur in ordine ad aliquam (& quidem præcipuè Divinam) potentiam, quatenùs hujus est obiectum; sequitur committi circulum; & nihil dici, cùm dicitur potentiam Dei esse Omnipotentiam, quoniam habet pro objecto omne quod est possibile. Præterea iuxta illum Philosophandi modum, is qui negaret Deum posse aliud creare, quam quod est in hoc vniverso; posset nihilominùs asserere illum esse Omnipotentem: quia nempe nullum aliud esset objectum increatæ potentiæ, hoc est, nihil aliud esset possibile. Respondeo. Licèt omne quod possibile est debeat ordinem habere ad aliquam potentiam, à qua denominetur possibile positivè, & sic procedat facta superiùs à nobis probatio: Tamen in priori quam ille ordo & denominatio possibilitatis positivæ consideretur; attendendum est rem, quæ tali ordini & denominationi subjacet, supponi habere negativam quandam possibilitatem; consistentem scilicet in negatione contradictionis. Assero autem Divinam potentiam, & id quod nullam involvit contradictionem, habere tantam invicem proportionem; ut istud sit, illius objectum adæquatum; atque ita quicquid negativè in seipso, ac velut intrinsecè & antecedenter possibile est per defectum contradictionis; fit etiam positivè per extrinsecam & consequentem possibilitatem possibile; quare si per locum intrinsecum Deus non haberet potentiam producendi creaturas; hæ essent eo solùm impossibiles modo, quo sol foret invisibilis, si nullus in natura oculus daretur.

12. Hinc intelligis, quomodò Theologi vulgò asserant Deum posse quicquid non implicat contradictionem; in quo nullus est circulus, sed utilis explicatio amplitudinis, quam habet potentia Divina; & additur bona ratio, cur talis potentia dici debeat Omnipotentia. Quod autem Divina potentia extendatur ad id omne, quod contradictionem non implicat, patet. Nam quod non dicit contradictionem, nullum habet (quantùm est in se) impedimentum, quominùs potentia Divina in illud tendat: Si igitur Divina potentia non in illud tenderet, staret per ipsam; atque sic ea non immensè perfecta esset, nec illimitata. Non est audiendus Soto lib. 3. Phys. quæst. 4. cùm ait non solùm ea quæ contradictionem ex se involvunt esse impossibilia; sed etiam nonnulla quæ naturali lumini proposita, apparent statim ita repugnantia, ut intellectus resiliat, ac dissentiat: ut, quòd Deus mentiatur; non impleat promissum &c. Non est, inquam, ita. Nam lumen intellectus nostri non potest esse regula objecti possibilis, vel repugnantis potentiæ Divinæ; alioqui multa forent impossibilia, quæ certâ fide credimus non repugnare: ut quod tres hypostases realiter distinguantur inter se, & tamen cum essentia simplicissima identificentur &c. Omnia vero quæ certum est impossibilitatem habere, important haud dubiè aliquam contradictionem, sive apertam sive latentem; & satis aperta est in eo quod asserebatur; nempe, quood Deus prima veritas, & summa bonitas mentiatur, & velit nos decipere.

13. Subjicies. Esto, feratur Divina potentia in id omne quod non includit contradictionem: at quid rationis est, cur non feratur & in id quod eam includit? Sic enim latiùs se extenderet; atque ut amplior, sic esset etiam perfectior. Respondeo. Potentia quæ ferretur in contradictionem, ferret ipsa includeretque in se contradictionem; nec potentia esset; verùm sine scopo ac objecto collimaret; & dum in id cujus essentia nihil est contenderet, efficeret verè nihil; quare sancti Patres & Theologi passim vsurpant, Deum id non posse, quod implicat contradictionem; quomodò Paulus secundæ ad Timo. 2. ait; *Deus fidelis est, seipsum negare non potest. Audacter loquar* (scribit Hieronymus ad Eustochium) *cùm omnia possit Deus, suscitare non potest virginem post ruinam.* Et Ambrosius lib. 6. epist. 37. *Quid impossibile Deo? Non quod virtuti arduum, sed quod naturæ ejus contrarium: Impossibile istud non infirmitatis est, sed virtutis & majestatis.*

14. Ex eo quòd certum habeamus Deum omne posse quod contradictionem non implicat. Patet, jure damnatum id esse hæreseos quod Vviclefus asseruit (in quo etiam errore aliquandiu allucinatus est Abailardus) Deum aliud non posse facere, tum quoad speciem, tùm quoad individualitatem, quàm id quo rerum hæc vniversitas decursu sæculorum constat. Improbatur etiam quod Durando in 1. dist. 44. quæst. 2. & 3. visum est probabile, Deum non posse creare alias species rerum præter eas quas produxit. Asserendum enim est, Deum posse non tantùm individua sed etiam species rerum, imò & earum genera (quæ non sint per abstractionem summè elevata) multiplicare nobiliora, & nobiliora in infinitum. Certè cùm Divinarum perfectionum imitabilitas nunquam in creaturis exhauriri possit, sed quâcumque datâ creaturâ finitâ supersint adhuc aliæ perfectiones in Deo, ad quarum instar concipi possint novæ creaturæ; convenientissimum est, ut tantæ imitabilitati commensuretur potentia, tùm in creaturis objectiva, tùm in Deo productiva. Cum hic agitur de Omnipotentiæ latitudine circa objecta, quæri solet: An contradictionem involvat, quòd præterita per voluntatem Dei immutentur; & quod aliquid non anteà factum, incipiat nunc factum esse in præterito; vel quod erat factum incipiat esse non factum, prout Deus de illo constituit in præsenti. Respondendum est cum divo Thoma quæst. 25. art. 4. id contradictionem involvere contra Altisiodorensem in Summa lib. 1. cap. 6. Cordubam lib. 1. quæst 55. & quosdam alios, quibus opposita sententia imputatur: sed, ut aït Vasques & Suares, illorum doctrina potest comiter in bonum sensum explicari: quare non immoror in re confutanda, quæ absurdissima est. Quis enim non videat, si quid aut sit, aut fuerit, aut futurum sit, habere ex ea suppositione irrevocabilem necessitatem, nec ampliùs subjacere

jacere indifferentiæ. Patet. Vt enim nunc Deus faceret ut anno præterito quippiam aut factum, aut non factum fuisset; oporteret Deum nunc esse in anno præterito ut vel faceret quod non factū, aut impediret, quod factum fuit; & idem est cum proportione ut nunc de futuro aliquid transiret in non futurum. Necesse enim foret, ut hodie esset primum instans æternitatis quo Deus non futurum esse decerneret Antichristum; vel oporteret Deum esse hodiè in extrema mundi ætate in qua abstineret ab Antichristi productione. De hac re jam dictum alibi est.

De Potentia Dei ordinata, & absoluta.

15. Quia Deus Omnipotentiam suam hactenùs explicatam nunquam applicat, nec applicare potest, nisi per intellectum & voluntatem; hinc fit, ut illam ipse multis modis per Sapientiam & voluntatem suam restringat. Unde celebris inter Theologos distinctio potentiæ Divinæ in ordinatam (hoc est subditam principijs Sapientiæ, ac velut ligatam legibus voluntatis) & in absolutam (hoc est eam quæ respectum ad prædicta principia & leges non dicat) clarumque est multa per absolutam esse possibilia, quæ per ordinatam potentiam fieri nequeunt. Hinc oritur quæstio utrùmne Deus per ordinatam potentiam faciat semper quod melius, aut optimum est, sive physicè sive moraliter. Et quidem si de physica bonitate loquamur, constat Deum illas rerum naturas & essentias produxisse, quæ sint longè aliis merè possibilibus imperfectiores: quare eatenùs non fecisse quod est optimum physicè ac entitativè. Si autem sermo sit de bonitate morali.

16. Respondeo dubitari primò non posse, quin Deus eligat semper optimum eâ bonitate quæ volitis objectis additur ex ipsius volitione, & electione; quatenùs id omne quod ipse voluerit censeri debet optimum ex eo præcisè, quod voluntatem Divinam impleri optimum est; nec ulla bonitas potest impletioni Divinæ voluntatis præponderare, aut æquari. Secundò certum esse debet, Divinam potentiam semper facere quod negativè optimum, & convenientissimum est in ratione medij ad finem intentum efficaciter consequendum, sub ea mensura, & modo sub quo efficaciter intentus est finis. Patet. Nam si aliquid vim habet, vel mancam, ita ut nequeat per illud obtineri integer finis; vel superfluam & nimis efficacem, ita ut per illud plus obtineatur, quam efficaciter volitum sit; non est bonum medium, nec potest à Deo assumi; utpote repugnans efficacitati perfectæ, ad quam pertinet ut fiat quod intenditur, & non fiat quicquam ultrà: Si autem vim habet infallibiliter adæquatam fini intento, jam illud in ratione medij optimum est, saltem negativè, quatenùs non datur eo melius. Unde vides Deum non modò facere semper quod optimum est eo modo explicato, sed ad id necessitari.

17. Si autem consideremus tertiò non simplicem rationem medij, supposità ratione finis sub tali mensura, & modo; sed ipsum finem attendamus, & ipsam mensuram ac modum intentionis conferamus cum aliis mensuris ac modis sub quibus gloriam suam externam Deus intendere potuisset: puto ipsum ratione præcipuorum, maximèque vniversalium operum, quæ sunt velut aliorum fines, talem habuisse intentionem, quæ non solùm in se optima sit, sed etiam quæ versetur circa genera perfectissima; & eatenùs si rem juxta genus suum consideremus, subsit optimæ mensuræ & optimo planè modo: ita ut nequiverit esse melior. Ratione tamen minùs præcipuorum & magis particularium effectuum, habuit quidem Deus intentionem quæ sit optima; non tamen sub ea mensura & eo modo, quin potuisset sub meliori.

18. Prima pars constat ex operibus Incarnationis; creationis naturarum intellectualium; nec non elevationis earumdem ad statum supernaturalem & ad visionem Divinam; permissionis peccati; creationis vniversi; providentiæ generalis, &c. Hæc enim omnia talia sunt ut censeri debeant esse in optimo genere: quamvis multa, quoad species inferiores & earum individua, potuissent in perfectius mutari. Ad hanc veritatem pertinet quod habetur Ecclesiastæ 3. *Didici quòd omnia, quæ fecit Deus perseverent in perpetuum: non possumus in ijs quicquam addere vel auferre.* Et is haud dubiè fuit sensus sanctorum Patrum. Augustinus lib. 3. de libero arbi. capite 5. *Quidquid tibi*, inquit, *verâ ratione meliùs occurrit, hoc scias fecisse Deum tanquam bonorum omnium conditorem.* Et lib. 1. contra adversarium Legis & Prophetarum cap. 14. ubi eos impugnat, qui dicebant perfectius futurum fuisse, si Deus hominem creasset qui peccare non posset: *Aut verò*, ait, *usque adeò desipiendum est, ut homo videat meliùs aliquid fieri debuisse; & hoc Deum vidisse non putet; aut putet vidisse, & credat facere noluisse; aut voluisse quidem, sed minimè potuisse. Avertat hoc Deus à cordibus piorum.* Ita & Chrysostomus 1. Corint. 12. homil. 30. Idem alii passim cùm Latini tùm Græci. Et ratio sumi facilè potest ex propensione Divinæ voluntatis; quam (optima cùm sit) præsumi debet elegisse quod optimum.

19. Secunda pars mihi uidetur certa contra Didacum Ruis, qui disp. 9. ferè per totam plurima confertim accumulans docere videtur fecisse Deum in omnibus, etiam minimis, & sub optima mensura intendisse id quod melius ac optimum est in ordine ad vniversitatem. Certè quamvis Deus omnia particularia mirè ad vniversitatis bonum referat; neque imperfecta misceat perfectis, nisi ut majorem totius perfectionem conflet; atque *ordinem sæculorum, tanquam pulcherrimum carmen, quibusdam quasi antithetis honestet*, ut lib. 11. de Civitate cap. 18. loquitur Augustinus. Atque ita omnia inserviant optimo cuidam generi intentionis; nempe ut sit in effectibus varietas & dissimilitudo: nihilominùs clarum videtur potuisse Deum cum non levi totius vniversitatis lucro aliqua mala mutare maximis quibusdam bonis, putà damnationem cujusdam mulierculæ plurimos ad eandem secum ruinam trahentis vertere in magnam exemplaremque illius ipsius sanctificationem &c. Fierique potuisset ut ex impeditione alicujus mali, & mutatione minoris boni in melius, major & Dei gloria externa, majorque Providentiæ perfectio resultaret, quàm vel ex permissione mali, vel ex productione minoris boni. Nec aliqua ratio est, cur Deum, quem liberum circa omnia ad extra esse constat, dicamus in nullo effectu potuisse gloriam suam meliori vel mensurâ vel modo in particulari procurare. Quamvis enim in omnibus, quæ fecit sufficiens, ac tanto architecto digna sit perfectio; apparet tamen alium etiam ipsum mundum integrum potuisse produci longè isto accommodatiorem ad sui gloriam Authoris ostendendam.

CAPUT II.

An Dei circa res nostras detur Providentia.

1. PROVIDENTIAM in Deo mirum est ab ullis olim negari potuisse Philosophis, qui non in eodem existentiam negaverint. Faciliùs enim, ut ait Augustinus, Atheos reperias, qui Deum non existere, quàm qui existentem nihil rerum quæ in mundo naturæque cursu eveniunt curare asseveraverint. Vix tamen ullus fuit Ethnicorum Philosophorum, qui dùm Providentiam concessit, non in illius explicanda ratione suæ deliria mentis admiscuerit. Nam & ipse Aristoteles (ut Ambrosius, Nazianzenus, Clemens Alexandrinus, & alij notaverunt) Dei Providentiam sublimibus tantùm orbis partibus, & solo cœlos movendi munere definivit; neque ex dignitate summæ mentis esse judicavit, ut tam vili tristique rerum infimarum procurandarum ministerio pollueretur. Quare scribit in fine libri de mundo ad Alex. hæc naturæ citimæ infima nequaquam Deum gubernare per se ipsum, sed per alias causas, quæ per motum primi cœli, quod ipse Deus moveat, moveantur: additque indecorum fore, si nostris se negotiis singulis implicaret; sicut non decet (inquit) Regem Persarum omnia per se ipsum curare & exequi; cùm id possit per Satrapas & Ministros, Susis ipse residens, vel Ecbatanis. Quàm perverso etiam Plato voluerit modo tam omnia quàm singula regi Divinâ Providentiâ Nemesius cap. 44. exponit; ut nempe summi Numinis curæ solas ideas cum astris & rebus vniversalibus reliquerit; quæ verò particularia gignuntur & intereunt, minoribus Dijs adscripserit; denique res naturales infimas aut etiam fortunæ subjectas putà divitias &c. eas curandas tribuerit Dæmonibus, qui circa terram versantur. Reperti tamen fuerunt alij nonnulli Philosophi, qui asseruerint cum Democrito, Heraclito & tota Epicureorum secta curationem omnem mundi ac rerum nostrarum administrationem à Deo prorsus omitti.

2. Præcipuum Christianæ fidei fundamentum est, Deum ad omnia, etiam minutissima, lumine suæ cognitionis, ac studio suæ voluntatis, & suæ operatione potentiæ descendere. Idque manifestè asserit Scriptura in libro Sapientiæ cap. 8. his verbis: *Attingit à fine usque ad finem fortiter; & disponit omnia suaviter.* Et cap. 14. *Tu autem, Pater gubernat omnia Providentiâ.* Sic & David aït Deum pullos corvorum pascere; Et Christus in Evangelio docet nullam aviculam, nullum folium, nullum capillum cadere sine Dei Providentia.

3. Illam Divinæ Sapientiæ Providentiam, quæ conditum à se orbem nequaquàm velut ejectitium partum despicatui non habuerit; sed ejus conservandi, regendique curam velut nutritiam susceperit, plurimùm celebrant sancti Patres in hoc argumento eleganter versati, ut Chrysostomus libris de Providentia, & in Genesin homiliâ 33. alibique sæpe. Quia longum esset ejus loca referre, unicum ab eo producam, quem habet in homilia 2. in Epistolam ad Hebr. explicans illa verba (*Portans omnia verbo virtutis suæ*, hoc est, *gubernans & conservans*, inquit. *Etenim gubernare mundum, majus est quàm condere. Nam creare est ex nihilo producere: conservare est, quæ facta sunt, in nihilum abitura continere, & invicem pugnantia conjungere.* Eodem modo loquentes alij ex Græcis videri possunt: ut Theodoretus lib. 2. de Providentia, Cyrillus Alexand. lib. 2. contra Iulianum, Nazianzenus orat. 16. cujus id omittendum non est quod aït; *Æquabile quiddam habere apud Deum illam etiam inæquabilitatem, quæ apparet: sicut in corpore eminentias & recessus, magnitudines & parvitates; ex quibus, mutua inter se habitudine, pulchritudo conflatur.* Posteàque subdit *Illos, qui Providentiam in ijs quæ videntur inæqualia, non advertunt, non multùm differre à nauseantibus, & vertiginem patientibus; qui omnia putant interverti, cùm intervertantur ipsi.*

4. Latinos inter Patres Gregorius lib. 14. Moral. multis capitibus locum hunc de Providentia egregiè tractat; Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 12. Augustinus innumeris locis: Ex quibus referre sufficiet quod scripsit lib. de Genesi ad literam imperf. cap. 5. imitatus aliquo modo Nazianzenum; *Sicut umbræ*, inquit, *in picturis eminentiora quæque distinguunt; ac non specie sed ordine placent. Nam & vitiorum nostrorum non est author Deus, sed tamen ordinator est; cùm eo loco peccatores constituit, & ea perpeti cogit, quæ merentur. Quædam ergo Deus & facit & ordinat; quædam verò tantùm ordinat.* Et in libro 1. de ordine, quemadmodùm etiam alibi, aït, *Rerum inter se contrariarum oppositione, quibusdam velut antithetis Deum figurare omnem rerum pulchritudinem eam, quâ nobis eleganter loquitur oratione mirificè elaboratâ.* Prosper hanc in creaturis ingeniosam antithetorum collocationem, & concordem rerum se mutuâ oppositione conservantium discordiam hoc polite prosequitur carmine.

Quòd verò adversis compugnant condita causis,
Atque alijs alia obsistunt: contraria discors
Omnia motus alit; dumque illi occurritur illo,
Vitalem capiunt cuncta exagitata vigorem.

5. Vt quod hîc intendimus ostendatur; Divinam scilicet creatricis Sapientiæ Providentiam suscepisse mundi recens nati curam velut nutritiam; potest huc referri locus ex Proverbiorum cap. 8. ubi Divina & increata Sapientia de se loquens aït: *Cùm appendebat fundamenta terræ cum eo eram cuncta componens.* Id in Hebraïco Textu his verbis exprimitur (*ehieh etslo amon*) hoc est (sicut Rabbini ejus intelligentissimi linguæ interpretantur, & post eos Pagninus) eram apud illum tanquam pædagogus & nutritius (*amon*) utpote mundum recens natum in meam fidem recipiens & regendum, & ne deficiat, conservandum. Sicut enim Proceres solent natos suos tradere nutricibus alendos, & Præceptoribus gubernandos, ita Deus quem condebat mundum commisit Providentiæ Sapientiæque suæ; ut eum instar Pædagogi regeret, atque instar nutritij foveret. Huc etiam pertinet quod Sapientiæ cap. 16. Providentia Divina, sub nomine Gratiæ, nutrix vocatur versu 25.

6. Præter nostros, quorum aliquos Sanctos superiùs vidimus, reperiuntur etiam externi non pauci qui Divinæ Sapientiæ noverunt Providentiam. Non solùm Philo Iudæus, sed etiam Plotinus Ethnicus hac de re pluries egit. Seneca librum edidit hac inscriptione; *Quare bonis viris mala accidunt, cùm sit Providentia.* Ammonius in librum de Interpr. hoc habet egregium. Vt qui in sole dormiunt, aut oculos claudunt, licèt non illuminentur ejus

splendore; ardorem tamen sentiunt: Ita illi, qui benignitatem Divinæ Providentiæ à se reijciunt pravitate sua; severitatem ejus non refugiunt.

6. Vnus nobis hic inter Patres insignes adversùm occurrit Hieronymus. Qui in cap. 1. Habacuc ait *Absurdum esse, ad hoc majestatem Dei deducere ut sciat per momenta singula quot nascantur culices, quotque moriantur; quæ cimicum & pulicum, & muscarum in terra sit multitudo; quanti pisces in aqua natent, &c.* Quæ Doctoris maximi verba, sanè dura, comiter sunt exponenda: Quasi non aliud voluerit; quàm, Deo eandem non esse curam & Providentiam irrationabilium ac rationabilium; juxta illud Pauli 2. Corinth. cap. 9. *Nunquid de bobus cura est Deo?* Vbi fit comparatio brutorum boum (typico & allegorico sensu) cum Prædicatoribus qui sub boum nomine mysticè illic, & in Deuteron. cap. 25. intelliguntur; præ quibus longe minorem ac vix vllam Deus curam habet irrationabilium animalium. Et sanè Pater hic Sanctus veram de Divina Providentia doctrinam tradidit in cap. 10. Matthæi ad eum locum, *Nonne duo passeres*, &c.

7. Catholicæ doctrinæ superiùs num. 3. & seqq. à nobis expositæ quidam adversantur isto (ut refert Lactantius lib. de ira Dei) argumento; quod multos viros pios conturbavit. *Deus aut vult tollere mala, & non potest: Aut potest & non vult: Aut neque vult, neque potest: Aut vult, & potest. Si vult & non potest, imbecillis est: Si potest & non vult, invidus: Si neque vult, neque potest, invidus & imbecillis. Quodcumque autem illorum sit, non existit verè Deus. Si autem vult tollere mala & potest: Vnde ergo sunt mala? Et non tollit?* Hoc argumento illi quos conturbari Lactantius ait, non moverentur: Si attenderent id quod inordinatè, solâque fortunæ temeritate fieri videtur; sapientissimâ evenire deliberatione Dei; bella, impiorum conatus & scelera ad ordinem redigentis, dirigentisque ad optimum; & valentis post hanc vitam in æternitate sceleratos temporariâ prosperitate saginatos ad justa pro meritis supplicia destinare. Nos hunc locum de Providentiâ Divina tractavimus lib. 1. de Trinitate quàm exactè potuimus.

CAPVT III.

In quibus Dei actibus consistat formaliter Providentia, & circa quæ objecta purè physica.

1. HOC caput duabus partibus, ut ex ipso titulo patet, continetur. Quod ad priorem partem attinet, dubitatur consistatne Providentia in actu intellectus an voluntatis, aut potiùs in vtroque? Ab aliquibus constituitur in solo actu intellectus connotante voluntatem, ab alijs constituitur in actu solo voluntatis ut connotante peculiarem actum intellectus, qui res futuras disponat. Ita censent Bonaventura, Scotus, Gregorius, Okam: Et ante illos Damascenus lib. 2. de fide cap. 29. vbi Providentiam definit *Voluntatem Dei per quam res omnes aptè gubernantur.* Et quidem, licèt Providentia seu πρόνοια, ut ex Etymo constat, intelligentiam significare videatur, sicut notat Boëtius vltimo de consol. prosâ 6. Nihilominus reverà & præcipuè significat studium curamque voluntatis; atque hanc sententiam sequitur Vasques disp. 87. præcedentique anteponit Suares lib. 1. de Prædest. cap. 17.

2. Tamen optima videtur (licet quæstio sit ferè de nomine) eorum opinio qui Providentiam volunt esse aliquod compositum ex voluntatis intellectusque actibus. Quomodò Cyrillus Alexandr. Vocat Deum *inspectorem & curatorem universorum*, ἐπόπτην ὅλων καὶ ἐπιμελητὴν lib. 3. in Ioannem. Ita sentiunt Marsilius, Alexander, necnon Molina; quanquam iste minus bene sic modificet; ut intellectus præ voluntate includatur in Providentiæ conceptu: Contrarium enim dicere debuit. Porro neutrum illorum actuum excludi à formali & intrinseco Providentiæ conceptu indè patet: Quòd nulla sit causa alterutrum excludendi. Providentia enim (ut post Boëtium dixit Sanctus Doctor) est ratio seu cognitio ipsa Divina: Est item voluntas Dei, per quam vnaquæque res perduci possit in suum finem; & studium media conferendi quæ ad id necessaria sunt. Marsilius quæst. 41. art. 2. adjunxit intellectui & voluntati actum etiam potentiæ externæ, seu executionem. Melius tamen est ut executio non includatur in conceptu Providentiæ, sed tantum connotetur. Nam Deus alioqui, cùm electos ab æterno prædestinavit, non habuisset Providentiam.

Quod sit objectum Providentiæ circa res purè physicas.

3. Cùm duplex Providentiæ Divinæ possit esse consideratio; una purè physica circa res omnes, etiam rationis expertes; altera spectans mores creaturarum præditarum intellectu. Quoad purè physicam, certum est eam duo saltem spectare: Tum primò conservationem rerum, quibus providetur, & omnium procurationem quæ illis necessaria sunt ut conserventur; tùm etiam secundò concursum seu cooperationem Divinam ad omnes ipsarum rerum actiones, & eorum simul entium quorum efficientia est illis necessaria; ut conserventur. Atque ad hæc duo, nempè ad conservationem in esse, & cooperationem ad agendum refertur tota ratio physicæ gubernationis seu Providentiæ.

4. Inter rationes hujus Providentiæ videtur non esse ponenda creatio illius rei cui providetur. Quia nimirùm ejus existentiam Providentia supponit; ut post Durandum monet Suares. Non enim idem est (ait Nemesius Philosophus Christianus) Providentia & creatio Κτίσεως γάρ ἐστι τὸ καλῶς ποιῆσαι. προνοίας δὲ τὸ καλῶς ἐπιμελεῖν ποιηθέντων. Hoc est, *Ad creationem pertinet, res bene producere: Ad Providentiam verò productis bene consulere.* Supponit, inquam, Providentia existentiam ejus cui consulit, si non ut jam in hoc tempore actualem; saltem ut in æterna prævisione conceptam; alioqui enim provideretur nihilo. Rei tamen, quæ præconcipitur ut jam extracta ex nihilo, provideri ab æterno potest; eo modo quo Deus post decretam futuritionem Divi Petri, huic Prædestinatione providit hæc & illa naturæ bona.

5. Ad Providentiam purè naturalem physicèque spectatam pertinent aliquæ citra naturam quodammodo actiones Dei, quibus ipse extraordinariè sivè impedit, sivè juvat cursum causarum naturalium. Tales enim actiones subjacent Providentiæ Divinæ circa physicam rerum entitatem versanti. Vnde Tobiæ 9. dicitur. *Qui præcipit Soli, & non oritur; & stellas claudit quasi sub signaculo.* Atque hinc est quare

possimus & debeamus (quod sæpe facit Ecclesia) orare pro terræ frugibus, pro obtinenda pluvia, serenitate, &c. Nam quamvis hæc ex naturalibus causis proveniant; tamen à Dei concursu & motu ita pendent, ut per specialem Providentiam immutentur.

6. Advertendum item est hanc physicam Providentiam ita ferri circa omnes species & individua substantiarum ut Deus vnicuique individuo sigillatim peculiari cura consulere videatur; cùm per aliam interim superiorem & extrinsecam dispositionem illud ipsum individuum cui consultum est refertur ad bonum alterius, etiam cum proprio suo dispendio, & sui destructione. Sic postquàm Elephanto dentes seu potiùs cornua, ovibus lanam, porco pinguedinem, &c. in proprium & extrinsecum illorum animalium commodum creator procuravit; postquam item carnosa membra quadrupedibus, volucribus, piscibus, quibus vescimur: Attendens illorum privatim naturam & perfectionem. Posteà illud omne in aliorum refert vtilitatem animalium; & in hominum præcipuè varios vsus vult cedere, atque ita destrui. Dignum vlteriùs est admiratione; quòd quibusdam animalibus arma dedit & instinctum ad quorundam aliorum impugnationem & lacerationem animalium: Quibus similiter ex alia parte vel arma sibi tuendis ac propugnandis, vel pedum celeritatem vel astutiam dedit ad sibi cavendum. Ita ut idem creator per quandam velut Providentiæ pugnam; & alicui speciatim animali caveat; & simul id ipsum altiore consilio prodat, in alteriusque destinet prædam. Atque sic in talibus quodam modo ludat per suam Providentiam Divina potentia rebus.

CAPUT IV.

De actibus Providentiæ Divinæ circa creaturarum intellectualium mores.

1. ALTERA & posterior pars Divinæ Providentiæ consideranda est circa creaturarum rationis vsu libertateque præditarum mores. Ad eamque pertinent præcepta, consilia; permissiones, promissiones, comminationes, præmia, supplicia, auxilia interna, prævenientia, comitantia, subsequentia, &c. Hanc Providentiæ partem per lumen naturale Philosophi Ethnici aliquatenùs cognoverunt, & in suis libris ad mores pertinentibus explicare conati sunt. Quamquam quod Deus positivo jure statuit nullatenus potuerint eo suo lumine intelligere; sed nec ea ipsa plenè ac sine multis admixtis erroribus perceperunt quæ suo natura dictabat instinctu. At Christiana fides clarè docet, habere Deum perfectissimam & immediatam creaturarum rationalium ac liberarum quà talium curam; ita ut eas ad Beatitudinem supernaturalem, (quàm omnes acquirere possint, si velint) & ad ipsarum operationes morales; tum bonas, tum malas dirigat in aliquem finem bonum: Illas quidem procurando jubendo, consulendo, juvando, remunerando, &c. istas autem prohibendo, permittendo, puniendo, remittendo: Et eas vbi evenerunt, sumendo ut occasionem magni boni, sivè illius ipsius personæ, quæ illas peccando patravit; (sic enim multi facti sunt salvi & insignes sancti, quales non evasissent absque occasione gravis alicujus peccati sui) sivè aliarum personarum quæ magnum possunt vtilitatis fructum capere ex aliorum peccato. Sic Gentilibus fructuosa fuit Iudæorum incredulitas; negatio Divi Petri vtilissima fuit ipsimet ad excitandos in eo contritionis & sanctitatis actus necnon commiserationis atque benignitatis erga illos qui gravium rei scelerum ad eum pœnitentes confugerent; sic & in politica gubernatione; quicumque publicè puniuntur, statuuntur in exemplum & ostentui exponuntur; ut quod eorum supplicium est, sit omnium documentum.

2. Verùm summa & altissima Providentia moralis circa creaturas intellectuales, est præordinatio & Prædestinatio seu electio ad Beatitudinem æternam per apta & supernaturalia media; de quibus in sequentibus dissteretur. Circa quod non audio Suarem qui lib. 1. de essentia Prædest. cap. 18. num. 12. ait Prædestinationem, hoc est altissimam Providentiam moralem, in eo dissimilem esse Providentiæ physicæ supra explicatæ; quia hæc Providentia physica, sivè generalis & communis rebus etiam rationis expertibus, supponit in mente Divina futuritionem subjecti, cui providet; Nam quemadmodùm gubernatio non est nisi rerum existentium; sic nec Providentia. Prædestinatio autem (inquit ille doctor) non præsupponit personam, quæ ad Beatitudinem eligitur, habere futuritionem existentiæ; sed ipsamet Prædestinatio hanc futuritionem affert; tantùm enim supponit possibilitatem, cùm subjecti seu personæ cujus fit Prædestinatio, tùm Beatitudinis seu termini ad quem fit. Quemadmodùm Christus cùm ut homo Prædestinabatur ad hoc ut esset Flius Dei; non supponebatur à Deo prævisus ut in priori existens homo, sed per ipsam Prædestinationem decernebatur ut simul existeret, & existeret Filius Dei naturalis. Ita sensit loco citato Suares. Verùm in eo discursu toto supponitur Prædestinationem ad gloriam fieri ante prævisionem meritorum, quod nos falsum conabimur ostendere paulò post. Quare cùm absoluta & efficax ad gloriam Prædestinatio fiat ex prævisione meritorum, constat supponi prædestinati & merita & existentiam, atque bene ab Herice disp. 21. cap. 4. refutatur hoc discrimen quod Suares introducit inter Providentiam generalem & Prædestinationem.

3. Ex hac supernaturali circa homines Providentia factum est, ut omnis alia Providentia, quâ mundi vniversitas gubernatur, evecta quodammodò sit ad altiorem ordinem: Cum enim omnia corpora naturam humanam respiciant, quasi suum finem proximum; consequens est, ut elevato homine ad finem supernaturalem, tota rerum vniversitas ad talem finem juvare debeat, & ideò sit ipsa altiori modo gubernanda; eoque referri debent multa; quæ, nisi ad occultam sublimioremque istam Providentiam recurramus, plurimùm videbuntur habere non admirabilitatis tantùm, sed & injustitiæ, ac cæcæ temeritatis. Quid enim per se in aliqua gubernatione fædius, quàm optimos à pessimis opprimi, & facinorosos per criminum gradus ad gloriam ascendere; ita ut & virtus calamitatis, & impietas fœlicitatis videatur esse mensura, verùm si ad supernaturalem Providentiam oculos convertamus, cessat omnis admiratio, ac species deformitatis, ut suprà diximus cap. 1. num. 9. & 10.

4. Multa porrò se offerunt deinceps consideranda circa summam illam Providentiam, quâ Deus hominibus vult, & procurat supernaturalem fœlicita-

tem. Ut quæ infrà disputabuntur meliùs intelligi possint, advertendum est Deum, quando intendit hominibus fœlicitatem, id posse facere dupliciter. Primò per desiderium aliquatenus efficax, & quod actualiter ad procurationem mediorum necessariorum impellat; & verè sincerum sit illud quidem atque sufficiens, sed non excludens voluntatem permittendi ut homo excidat ab vltimo fine. Secundò per voluntatem adeò absolutam ac determinatam, ut non patiatur oppositum, & paratus sit Deus superare omnia impedimenta assecutionis. Illud etiam circa voluntatem finis & mediorum notatû dignum est; quòd & si unus & idem sit actus simplex, per quem & finem in aliquo priori, & in posteriori media expetimus; non tamen idcircò necessarium est media & finem expeti eadem efficacitate; sed quemadmodùm ille actus cadit in finem ut expetitum propter se, quasi intensio; & simul in media ut expetita propter finem, quasi electio; ita fieri potest ut in finem tendat quasi affectus simplex conditionatus, & non habiturus effectum; in media verò ut desiderium efficax, absolutum, & illa de facto exhibiturum; eodem modo quo per simplicem actum syllogismi tendo in majorem scientificè, & in minorem atque conclusionem opinativè.

5. Atque nos id ipsum in nostris providentiis & voluntatibus quotidie experimur, non tantum circa fines per alium comparandos, sed etiam circa eos quos per nosmetipsos comparare intendimus. Interdum enim media quædam faciliora & leniora adhibemus, quæ si non sufficiant abstinemus à difficilioribus ac efficacioribus; atque ita finem intendimus cum voluntaria permissione non executionis; Tunc verò si accidat ut finis re comparetur per media quæ adhibuimus ex voluntate finis non absolutâ, sed eo vsque tantùm efficaci ut impellat ad talia media, & per ea, si fieri possit, finem assequi intendat; imputanda omnino est executio hujusmodi finis voluntati ipsius finis intentionique prædictæ. Nam quamvis Providentia in sua ratione possit esse perfecta, (quidquid in contrarium afferat Cajetanus quæst. 22. art. 1.) quando finem non assequitur ob impedimenta supervenientia, utpotè consistens duntaxat in ordinatione intellectus & voluntatis. Nihilominus, quando quocumque modo sincerè intentus aliquis effectus sequitur, pertinet verè ad Providentiam ut benè Valentia disp. 1. quæst. 22. puncto 1. Quare si Deus concipiatur gratiam dare quæ non sit antecedenter efficax paratus permittere negationem effectus, debet tamen ipsi effectus tribui, si sequatur; & hoc ipsum quod Petrus præ Iuda consenserit, pertineret ad gratiam, licet de reliquo antecedenter similem ei, quam Iudas habuit concederemus eum accepisse.

6. Ex dictis oritur statim difficultas, quàm hic aliqui pluribus prosequuntur; quomodò Providentia omnis Divina conciliari possit cum libertate nostra. Videtur enim; quando efficax & infallibilis est, & forte nonnunquam antecedenti decreto actus nostros prædeterminans imponere omnimodam necessitatem. Verumtamen resolutio hujus quæstionis satis facilis est ex aliàs dictis de Præscientia Divina futurorum contingentium: Quandiu non intelligimus vllum Dei decretum absolutum circa nostræ voluntatis actiones antecedenter se habere ad liberam nostram prævisam determinationem Nam cùm Dei tùm intellectus, tùm voluntas æterna se habet consequenter, & posteriùs natura ad actiones & res nostras, impossibile est ut in eas influat, eisque necessitatem imponat: Quando autem intelligimus Providentiam Divinam prædefinire actus nostros, non ita facilè est salvare & explicare talium actuum libertatem: sed quomodò salvetur explicat caput sequens.

7. Solent hic tandem Theologi Prædestinationem in cujus gratiam totus ferè hic liber decimus præmittitur, cum Providentia comparare. Negat Cajetanus Prædestinationem esse partem subjectivam Providentiæ, seu comparari ad hanc ut speciem ad suum genus, sed tantum ejus esse partem objectivam, hoc est vult eam versari circa partem objecti Providentiæ: Cùm enim Divina Providentia circa res omnes versetur, Prædestinatio versatur circa res tantum mente præditas; cùm item Providentia sit respectu quorumcumque finium, Prædestinatio est solum respectu Beatitudinis & mediorum, quæ ad eam ducunt: Quod est idem ac Prædestinationem esse partem velut integrantem Providentiæ. Sic verò Cajetanum interpretatur Vasques, quasi Prædestinatio eo se habeat modo ad Providentiam quo pars aliqua Philosophiæ, verbi gratiâ, quæ tractat de Cœlo, se habet ad vniversam Philosophiam. In quo sensu & ipse approbat illam sententiam Cajetani. Movetur quia Prædestinatio non potest esse species Providentiæ Divinæ, nisi Providentia Divina sit aliquod genus, & sub ea multiplicentur in Deo variæ Providentiæ; atqui hoc non est; nam non datur in Deo nisi una species Providentiæ, eo modo quo nec nisi una ars. Cum enim in Deo videatur esse idem modus providendi rebus media necessaria ad suos fines, etiam si varia sint media ad varios fines, una tantùm erit secundùm speciem Providentia quæ varias in se partes habebit integrantes circa varia versantes objecta.

8. Contrarium sentit Divus Thomas quæst. 6. de veritate art. 1. & in primum dist. 1. art. 2. Durandus quæst. 1. Capreolus ibidem, Marsilius quæst. 41. &c. In hac parvi momenti quæstione dico Prædestinationem esse omnino partem subjectivam Providentiæ, ut dicentis conceptum quemdam altissimum, & tùm Deo, tùm creaturis vnivocè communem. Prædestinatio enim est quædam Providentia si autem consideretur Providentia ut determinatè Divina; & aliquis nolit multas specie in Deo concipere Providentias; non mala est, sed necessaria opinio Vasquesij, Prædestinationem comparari ad illum Providentiæ conceptum, non ut inferius, ad superius; sed ut integrantem partem ad totum. Non video tamen cur nequeant concipi in Deo actus varij Providentiæ, qui specie differant formaliter in ratione Providentiæ ob multiplicitatem & objectorum & modorum providendi; ac per consequens cur Prædestinatio non sit vera species, seu pars subjectiva Providentiæ Divinæ.

CAPVT V.

An Deus nostros actus liberos Prædefinire efficaciter possit.

1. ANTEQUAM altiùs in Prædestinationis mysterium ingrediamur, operæ pretium est, ut quid de actuum nostrorum liberorum Prædefinitio-

nibus sentiendum sit explicemus. Nam resolutio circa modum quo Deus electos discernit pendet omnino ex doctrina quam hic suscipimus exponendam: Quandoquidem nemo pronunciare potest, utrùm Prædestinatio sivè electio ad gloriam per liberos actus acquirendam fiat ante vel post prævisionem meritorum; nisi quid de Divina nostrorum actuum Prædefinitione sentiendum sit statuerit. Qui enim asserere voluerit electionem ad gloriam fieri à Deo ante prævisionem meritorum, debet ut certum affirmare Deum prædefinire per decretum absolutum & efficax actus ipsorum electorum liberos, & meritorios assecutionis gloriæ, ad quam fuerint prædestinati: Qui autem è contra voluerit electionem ad gloriam fieri ex prævisione meritorum; is debet asserere electos primò discerni à reprobis per gratias efficaces, quæ dentur vel ex Prædefinitione, seu desiderio plusquam simplici actuum meritoriorum, vel ex sola per Scientiam Mediam prævisione futuri affectus absque ulla Prædefinitione.

2. Circa propositam in capitis hujus titulo difficultatem supponendum est ante omnia, quid sit actus nostros liberos à Deo prædefiniri. Non enim est simpliciter præcognosci ab æterno per scientiam visionis, cum qua simul jungatur approbatio quædam aut permissio; nam ita certum esset omnes futuros actus bonos creatæ libertatis prædefiniri. Appellamus ergo hic Prædefinitionem aliquod æternum decretum absolutum, & efficax; quo Deus in priori rationis antequam habeat præscientiam intuitivam actuum nostrorum, & antequam supponat illos per liberi arbitrij determinationem absolutè futuros, eorum ipse futuritionem apud se determinat tàm infallibilem; ut consequenter implicet contradictionem illos tempore per decretum Divinum præstituto non elici, & poni de facto. In hoc sensu quærimus nunc, utrùm libertati repugnet ejus actus à Deo prædefiniri ac prædecerni. Videtur enim repugnantia, quòd ego liberè operer postquam Deus ante prævisam aut suppositam libertatis meæ determinationem, introduxerit per decretum suum efficax tantam necessitatem operationis meæ.

Non bene actuum liberorum Prædefinitionem absolutam, illi possibilem esse admittunt, qui Scientiam Mediam Deo denegant.

3. Et quidem si quis cum Thomistis Scientiam Mediam negaret, deberet omnino asserere impossibilem esse prædictam actuum liberorum Prædefinitionem. Si enim Deus Scientiâ Mediâ careret, nullam habere posset infallibilitatem decreti sui, stante in creatura non operandi facultate. Non habent hîc Thomistæ quò confugiant quàm ad suam Prædeterminationem physicam; quâ Deus voluntatem sic moveat; ut, prægressâ tali motione, non possit in sensu composito non operari. Hoc enim modo infallibilitatem quidem Deo adstruunt; sed rem dicunt nullo modo admittendam, ut mihi videtur: Præstareque nullam nos actuum nostrorum Prædefinitionem agnoscere, ut pote non pertinentem ad fidei dogmata, nec ad Providentiæ perfectionem absolutè necessariam; quàm libertatem fide certam & omnis fidei fundamentum corrumpere.

4. Quod sapienter advertentes quidam eorum qui Scientiam Mediam non noverunt, dixere non posse prædefiniri in particulari cum omnibus circumstantijs actus liberos, sed tantum in communi: Ita nempè, ut homo, si semel vocationi restiterit, aliâ iterum, iterumque vocatione pulsetur, idque toties & cum tanto gratiæ augmento, donec tandem consentiat; ita ut infallibile moraliter supponatur (cùm tamen, stante semper libertate, posset aliter evenire, aut de illo eventu absolutè dubitari) creaturam consensuram vocationi; si non huic vel illi in particulari, saltem alicui vagè & in communi. Ea doctrina videtur, ut volunt, placuisse Divo Thomæ quæst. 6. de veritate art. 3. ubi certitudinem Prædestinationis ita conciliat cum Prædestinati libertate: Quòd licet Prædestinatio sit certa quoad finem seu gloriam, non tamen certa sit quoad media in particulari, sed tantum in communi; quia nempè Deus providet Prædestinato tam multa auxilia, ut si uni & alteri restiterit, consentiat saltem alicui; eâ scilicet ratione, quâ infallibile est ac certum ex vi causæ hominem diu tentatum & à gratia destitutum non superaturum omnes tentationes collectivè sumptas. Hic advertendum est, si verum sit prædictam hanc doctrinam (ut putatur) esse Divi Thomæ, malè illi imputari opinionem Prædeterminationis physicæ. Nam si hæc usurparetur, non opus esset ille cumulus gratiarum; quæ unæ super alias adjungerentur, ut ad aliquam tandem, quæ effectum haberet, perveniretur: Et aliundè satis evidenter ostenditur sanctum Doctorem à Prædeterminatione illa Thomistica diffidere.

5. Displicet multum recentioribus quibusdam Thomistis Prædeterminationis physicæ (quam non ita pridem in Scholam suam invexerunt) studiosissimis hoc genus certitudinis & infallibilitatis sumptæ ex congesta superadditarum gratiarum multitudine & quidem jure; non enim est dignum Deo; imo si benè examinetur non transcendit certitudinem moralem. Sed isti recentiores ad hoc malum curandum non satis boni medici per suam Prædeterminationem remedium malo fortè pejus adhibuerunt; imo eos inter aliqui veritatem Catholicam satis apertè perstrinxerunt, cùm æternam actuum nostrorum Prædefinitionem absolutam ad nostros actus etiam malos extenderunt: Cui prædefinitioni infallibili volunt Prædeterminationem illam suam physicam in tempore ministrare. Quod non satis longè abest à Calvino. Quamvis enim hic nebulo disertè velit Deum directè ac per se intendere malitiam ipsam peccati formalem, hi autem Catholici piique Theologi negent aliud Deum in peccatis quàm materiale solum prædefinire; attendere tamen debuerunt, multa esse peccata, in quibus materiale inextricabiliter se habeat à formali; & suam illam doctrinam non satis cum Canone 25. Concilij Arausicani convenire.

Non bene actuum liberorum Prædefinitionem illi negant possibilem, qui Scientiam Mediam admittunt.

6. Inter illos qui Scientiam Mediam, seu ex parte objecti conditionatam admittunt, non desunt aliqui timidiores; qui negent se capere, quo modo Deus, licet sua prædictâ scientiâ utatur, possit efficaciter prædefinire nostros actus nullam inferendo vim libertati. Rationem quâ moveri possunt objiciam infra. Vera tamen & communis inter authores qui Scientiam Mediam tuentur doctrina est, posse Deum

tali scientiâ instructum prædefinire quoscumque in particulari actus liberos nullam inferendo læsionem libertati. Et probatur: nam cùm Deus per scientiam conditionatam prænoverit eos actus quos liberè tu elicis hodiernâ die, in hoc loco, cum his personis, alijsque circumstantijs; & potuerit hos ipsos actus amare, eorumque habere quoddam simplex desiderium; nihil repugnat, quo minùs illud ejus desiderium transierit in efficax; & amore talium actuum statuerit ponere te in his circumstantijs temporis, loci, alijsque in quibus te illos ex mera arbitrij libertate operaturum esse præcognoscebat per Scientiam Mediam. Qua in re, licèt Deus intendat non solum poni te in talibus circumstantijs, sed te in ijs liberè operari; tamen in executione externa nihil aliud facit ex se & antecedenter, quàm te collocare in prædictis circumstantijs: quare talis quidem collocatio non tibi libera est, sed illi soli; operatio autem ac determinatio tui arbitrij, suppositâ illâ collocatione, sequitur quoad executionem sponte suâ, & vi tuæ libertatis, nempe eo ipso modo quo hodie secuta est.

7. Patet. Nam sive supponamus te in eas circumstantias venisse ductu & arte Dei utentis conditionatâ prævisione & præsensionem habentis tuorum actuum quos elicis; sive è contra sine tali ductu & intentione in eas ipsas incidisse; non intelligitur propterea ulla diversitas in spontaneïtate libertateque tuorum illorum actuum. Nam quòd Deus præintentionem talem habuerit vel non habuerit, & prævisione suâ usus sit vel non sit usus, tibi est tuæque voluntati extrinsecum; quandoquidem nihil in tua voluntate producit, nec illam facit alio modo se habere, quàm si in eas ipsas agendi occasiones devolutus esses velut casu, & merè per accidens: Tamen ex alia parte nemo non videt quòd quando concipieris eo deductus fuisse per Divinam præintentionem, ea præintentio habuit suam infallibilitatem ob Scientiam Mediam. Vnde advertis infallibilitatem hanc & certitudinem non esse antecedentem ex parte causæ, sed consequentem ex parte effectus solius; cùm non sit alia infallibilitas, quàm scientiæ conditionatæ, quæ fundatur in eo quod operatio tua sit conditionaliter extitura talis vel talis: suppositâ verò eâ futuritione non potest fieri; quin existentia actualis transeat in absolutam, & fiat præsens.

8. Ex his facilè solvetur quod unum contra hanc doctrinam objicere ij possunt, qui positâ etiam Scientiâ Media negant Prædefinitiones Dei absolutas & efficaces posse compati libertatem actuum quos respiciunt. Sic enim argumentari possunt; Inducitur per eas Prædefinitiones necessitas in signo, quod præcedit absolutè actualem voluntatis Prædeterminationem; & in eo ipso signo antecedenti necessitas, quæ anteà erat solùm conditionata, incipit fieri absoluta: ergo per eam tollitur libertas respectu operationis prout absolutæ, nec ampliùs conditionatæ. Antecedens probatur. Nam in quo signo aliquod decretum Dei efficax ponitur, debet in eo concipi infallibilitas, & tanta necessitas, ut implicet contradictionem si operatio absolutè non ponatur: atqui per Prædefinitiones, de quibus agimus, ponitur decretum efficax in signo præcedente voluntatis determinationem ut futuram absolutè (esto non præcedat futuram conditionatè) quandoquidem Deus non decernit ut operatio sit futura conditionatè, sive ut futura esset si poneretur conditio; sed ut re existat positâ conditione, vi non decreti simpliciter, sed prædecreti seu Prædefinitionis; id enim sonat illa particula (præ) importans prioritatem non solùm temporis, sed etiam causalitatis.

9. Responsio ex dictis facilis est. Non poni in isto negotio decretum ullum efficax circa nostros actus in signo, quod omni modo antecedat voluntatis determinationem. Nam Deus in priori quàm quicquam decernat, prænovit per Scientiam Mediam, ac præsupponit voluntatem creatam habituram esse suo ipsius nutu talem actum seu determinationem, si in his ponatur occasionibus: quare quòd voluntas talem sit & non contrariam determinationem habitura, pendet ab ipsâmet voluntate, nullo autem modo à decreto Divino. Deus enim hos vel illos nostros actus in his occasionibus futuros esse non facit, sed invenit. Solum ergo quod facere potest hoc unum est; nempe ut occasiones re ipsâ ponantur & impleatur conditio, quâ positâ voluntatis actus spontè fluent. Nec obest quòd ante decretum suum Deus per Scientiam Mediam non inveniat operationes liberas creaturarum futuras absolutè, sed tantùm conditionatè; per decretum autem suum reddat absolutè futuras tantâ necessitate, ut implicet contradictionem illas non absolutè poni. Dico enim esse quidem post decretum Dei tantam necessitatem creatarum operationum quas definit, ut implicet contradictionem eas non poni; sed illa implicatio contradictionis, quam parit necessitas, non est nova; sed est illa ipsa quam Deus per Scientiam Mediam invenerat. Implicabat enim illas operationes non poni, si conditio talis aut talis adesset: fecit ergo tantùm Deus per suum decretum, ut illa necessitas ponendi operationes, quæ erat pendens sub conditione, descenderet à statu conditionato in statum absolutum: erat autem in statu conditionato ea necessitas tantùm consequens, & supponens determinationem liberam voluntatis futuram, si conditio non deforet. Quare in statu absoluto positâ conditione, quam Deus introduxit, reperitur eadem esse, qualis erat in statu conditionato.

10. Instabis. Ergo Deus, cùm nihil habeat integrum & à sua voluntate dependens, quàm ut occasiones & circumstantiæ ponantur, dicendus tantùm erit prædefinire ac prædecernere illas occasiones, non autem actus liberos. Quis enim dicatur id prædecernere in quod nullam potestatem habet? Ad hanc instantiam respondeo. Quamvis Deus potestatem directam in solam habeat positionem seu inductionem circumstantiarum; dicendus est tamen habere consequenter in sua potestate actus nostros liberos; quoniam hi conjunctionem habent infallibilem cum existentia talium circumstantiarum; & in his quodammodò continentur; quandoquidem circumstantijs positis voluntas nostra eos est certissimè productura. Nec tamen ex eo quòd Deum habere concedamus directam potestatem in solas circumstantias, indirectam verò in actus liberos; inferendum est, solas eum circumstantias posse decernere directè, actus autem solùm indirectè: non, inquam, id sequitur. Nam aliud est Deum non habere potestatem nostros actus liberos directè ponendi; & aliud non habere potestatem ipsos directè volendi, atque decernendi, posito quòd non defuturus sit qui ponat: quin imò verum est illum circumstantias & occasiones, quas directè ponit, non nisi indirectè velle, atque decernere; & è contra ipsos actus liberos nostros directè velle & intendere, circumstantias enim seu occasiones non propter aliud decernit, nisi quia liberi nostri actus existentiam sine illis non haberent. Sic experimur sæpe decerni à nobis effica-

citer multa, quæ non sunt in nostra potestate, sed tantum sunt in earum potestate causarum, quas applicamus ad nostrum libitum.

11. Ex dictis intelligitur Prædefinitiones Divinas, quæ supposita Scientiâ Mediâ fiunt, non esse simpliciter antecedentes respectu liberi arbitrij quocumque modo considerati. Quamvis enim antecedant ipsius operationem absolutè consideratam, non tamen antecedunt eam sub conditione pendentem. Sunt ergo ex una parte antecedentes quodam modo; tum quia sunt in signo antecedente absolutam futuritionem operationis nostræ; tùm quia versantur circa positionem conditionis, quæ est independens à nobis, & antecedit omnem usum arbitrij nostri: Et simul ex alia parte sunt aliquo modo posteriores determinatione arbitrij nostri; & idcircò necessitatem inducunt tantùm consequentem; quia præsupponunt Scientiam Mediam; Scientia autem Media præsupponit usum libertatis nostræ habere determinatè futuritionem quandam, licèt conditionatam. Atque hinc resultat summa concordia inter infallibilitatem Divinorum decretorum efficacium, & contingentiam libertatemque nostrorum actuum. Manet item explicatum, quomodò non obstante consequentiâ & posterioritate in ordine ad nostram libertatem, decreta hujusmodi sint velut causæ actuum quos determinant: nam cùm hujusmodi actus sub conditione pendente detineantur, quæ quandiu pendebit nunquam sunt existentiam habituri; facit Deus vi suarum Prædefinitionum, ut conditio non pendeat ampliùs; atque ut existentia actuum, quæ conditionata solùm (hoc est verè & actualiter in statu absoluto nulla) erat, transeat in absolutam, & actualiter producatur.

CAPVT VI.

An Deus re ipsâ liberos aliquos creaturarum actus prædefiniat.

1. HACTENUS ostendimus non fuisse impossibile Deo, ut actus creaturarum liberos efficaci decreto prædeterminaret. Iam videndum an aliquos re prædeterminarit. Qua in quæstione primò certum mihi est, eos errasse qui prædeterminatos voluerunt omnes actus etiam malos. Id certè & impium & falsum est; nec multùm emollitur hujus doctrinæ absurditas distinctione, quâ Deum aliqui dicunt non formalem malitiam blasphemiæ, v. g. proditionis, ac desperationis, prædeterminasse: sed tantùm vitale exercitium liberè blasphemandi, & volitionem quâ Iudas liberè prodidit Christum seque suus ipse suspendit carnifex. Verùm contra. Quonam enim alio modo Deus si formalem malitiam (ut Calvinus asserit) intendisset, poterat illam prædeterminare, quàm decernendo liberum (quà liberum) actum & vitale exercitium blasphemiæ, proditionis, desperationis? Nec ibi sistit hæc absurditas. Nam aiunt Deum in executione ipsa, voluntati physicum imprimere impulsum, cui postquam supponitur impressus esse, contradictionem implicet hominem reluctari. Hæc non indigent refutatione: cùm tacitus Lectoris sensus ea sat refutet.

Deus non prædefinit actus indifferentes, neque naturales bonos moraliter.

2 Secundò nullâ ratione probabile est Deum liberos omnes creaturarum actus, qui mali non sint, prædefiniviſſe. Nam quæ ratio est, cur prædefinierit actus liberos merè indifferentes, cùm nullam specialem amabilitatem habeant, & Divina Providentia in illos licet non prædefinitos possit esse perfectissima, ut ex infra dicendis constabit. Quod attinet ad actus moraliter bonos intra ordinem naturalem, non defuerunt, qui putaverint illos omnes prædefinitos esse, & Deum ad eos inducere voluntatem per specialem & antecedenter efficacem gratiam; quæ fit per Christum. Fundantur: quia quando Deus immitit cogitationem efficacem & motionem internam, ex qua de facto sequitur actus virtutis moralis, aliam poterat immittere inefficacem, quæ non habitura fuisset talis virtutis effectum: Quod ergò efficacem & non aliam immiserit, gratia specialis est; & censeri debet provenisse ex consilio absoluto, quod Deus circa talem actum virtutis à se eâ viâ procurandum susceperit. Hæc sententia fuit Capreoli, & Gregorij, quam secutus est Vasques.

3. Illam tamen vulgò cæteri Theologi rejiciunt, imò aliqui graviter reprehendunt: quia inde foret hominem ex se nihil posse, quàm peccare, non solùm in natura lapsa, sed etiam in natura integra; Idemque sequeretur de Angelo, nam ita vniversim id defendunt authores illius sententiæ. Sequela verò est absurda; quandoquidem pejor esset conditio naturæ intellectualis, quàm aliarum omnium naturarum: hæ enim possunt per communem & ipsis debitam Providentiam bonum sibi congruum sectari, atque sæpissimè obtinere. Prætereà sunt qui asserant enervari per illam doctrinam principia quædam, & fundamenta Catholicæ fidei circa necessitatem gratiæ, & supernaturalitatem actuum entitativam. Dicere enim quis posset consequenter ad prædictam sententiam, actus bonos, qui sunt dispositio ad justificationem, esse naturales quoad substantiam, & necessarium non esse illos agnoscere supernaturales quoad substantiam; quia ex Scriptura & Conciliis non habemus alios esse actus supernaturales quàm eos, qui sine gratia speciali & extraordinaria fieri nequeunt. Repudianda igitur est meritò prædicta sententia.

An supernaturales actus liberos Deus aliquando prædefiniat.

4. Superest, ut de liberis actibus verè supernaturalibus dicamus: quos oportet advertere non unius esse rationis & ordinis. Aliqui enim pertinent ad vniversale totius electorum communitatis bonum, utpote necessarij ex institutione Divina, vel ad exequendum Incarnationis mysterium, vel ad fundandam Ecclesiam &c. Alij ordinantur ad privatum alicujus prædestinati bonum, & sunt velut media, quæ illum ad gloriam perducant: alij denique pertinent ad bonum alicujus reprobi & finali gratiâ cariturі. Circa hos omnes supernaturales actus non dubitarunt aliqui Theologi pronunciare, tanquam fide certum, eos esse prædefinitos in particulari, & cum omnibus suis circumstantijs. Sed id sine fundamento dixerunt; cùm nec in Scriptura, nec in Concilijs, nec

nec in Patribus quicquam tale habeatur: imò multi Patres id negarunt. Quod si Leo, Augustinus, Anselmus, & quidam alij asseruerunt Deum prædestinare bona, non explicarunt se loqui de Prædestinatione quæ antecederet scientiam absolutam. Imo valde familiare est Scriptoribus sacris, ut Prædestinationem, præfinitionem, præparationem &c. dicant habitâ solum ratione ad prioritatem & antecedentiam durationis æternæ. Sic Leo de occisione Christi ait in Sermone 7. de Passione; *Nec ulla poterat ratione turbari quod ante æterna sæcula & misericorditer erat dispositum.* Et Actorum 2. dicitur *Christum definito fuisse Concilio & præscientiâ Dei traditum &c.*

5. Dico primò. Deus non prædefinivit decreto absoluto supernaturales actus reproborum. Patet. Nam ut reprobi eliciant supernaturales actus, & ad tempus in sanctitate proficiant, sufficit generalis Providentia, quâ Deus per antecedens decretum vult absolutè quidem, ut eis Gratia excitans detur, conditionaliter verò ut cum tali Gratia operentur, si velint. Quæ enim repugnantia, si reprobi de facto inveniantur sæpe cooperati & justificati; postquam Deus ob complacentiam & voluntatem antecedentem conditionatam, quam habebat circa actus supernaturales, vocationem immisit ipsis, cum quâ & operari possent, & ipse ut operarentur syncerissimè (quamvis non nisi conditionaliter) intenderet. Nulla ratio apparet satis valida in contrarium.

6. Cum secundùm eos qui censent electionem ad gloriam esse ante meritorum prævisionem, reprobi tam parùm fuerint à Deo amati, ut nec antecedenter (juxta quorumdam sententiam) decreverit eorum existentiam; quid est, quare oporteat ipsum Deum antecedenter decrevisse eorumdem fidem, justificationem, & supernaturales actus? Imò quis non videt implicare, ut absolutè ejus prædecernatur justificatio, cujus non prædecernitur existentia? Accedit probatio ex authoritate Augustini; qui beneficium vocationis, quæ ex speciali Providentia Deique proposito antecedente proveniat, tribuit solis prædestinatis: *Qui perseveraturi non sunt* (inquit lib. de correptione & gratia c 7.) *procul dubio neque eo tempore quo bene piéque vivunt, in isto numero computandi sunt: non enim sunt à massa perditionis præscientiâ Dei & prædestinatione discreti; & ideò nec secundùm propositum vocati; ac per hoc nec electi; sed in eis vocati, de quibus dictum est, multi vocati; & non in eis de quibus dictum est. pauci verò electi.*

7. Dico secundò. Prædestinatorum actus ij supernaturales, quibus privatim justificantur & gloriam consequuntur non fuerunt à Deo præfiniti. Supponit ista conclusio absolutam & efficacem electionem ad gloriam, quæ per merita acquiratur, non fuisse factâ in priori quàm Deus absolutè prævideret electorum merita & actus. Nam si electio in eo priori facta esset, deberet omninò Deus præfinire certa & infallibilia media ad gloriam acquirendam necessaria: quæ media pro adultis non alia sunt ex ipsius Dei institutione quàm merita, & supernaturales actus: Eam verò Prædefinitionem meritorum seu actuum non decerет fieri in communi & confuso; sed ita ut decerneretur hic in particulari actus secundum has vel illas circumstantias determinatè.

8. Quia tamen electio ad gloriam non est facta antecedenter ad prævisionem cooperationis nostræ; ideò non est necessarium, ut asseramus prædefinita esse eo modo per decretum efficax nostra merita. Vnde satis probata manet hæc nostra conclusio. Nam in quibus actibus non est necessarium ut Prævisionem Divinam asseramus, non debemus eam asserere; nec ullus ipsam asserit, nisi prætendens ita esse necessarium: quandiu enim nihil cogit, est connaturalius & libertati creaturarum convenientius, ut ante ipsarum determinationem nulla intelligatur facta esse ab extrinseco determinatio infallibilis. Quòd autem si electio ad gloriam non fiat antecedenter ad prævisionem meritorum; non sit necesse prædefiniri electorum actus meritorios, patet: nam si Deus electos præ reprobis non diligat in ullo priori, antequam veniat ad determinationem, & designationem Gratiarum prævenientium, in quibus diversitas efficaciæ per Scientiam Mediam appareat; nec in eo priori magis illis quàm istis finem ultimum, hoc est beatitudinem, efficaciter & absolutè velit; sed omnibus conditionatè & per voluntatem simplicis complacentiæ; quare dicemus ipsum Deum pro tunc, unis præ alijs voluisse dare infallibilia media, talis finis acquirendi?

9. Dico tertiò. Eos actus qui pertinent ad vniversale totius Electorum vniversitatis bonum, à Deo absolutè & efficaciter præfiniri, non est quidem omninò certum; nihilominùs est valde probabile. Ratio prioris partis est: quia nullam habemus apertam ejus rei revelationem: quæ enim ex Scriptura vel Concilijs proferri possunt, explicationem patiuntur: cùm ea sæpe dicantur prædefiniri, quorum decretum antecedit temporalem eorum existentiam, licet non antecedat futuritionem & prævisionem: atque eo modo etiam mala & peccata prædefiniri asserant Scriptores Canonici. Hæc prior pars conclusionis est Suaris: qui lib. 3. de auxilijs cap. 17. nu. 9. non ait esse simpliciter certum, sed esse ferè certum, quòd hi supernaturales actus de quibus disputamus prædefiniantur. Qua in re non videtur consequenter loqui, quando alibi simpliciter asserit ut certum, prædefiniri Electorum actus meritorios gloriæ.

10. Et sanè, quidquid sit de meritorijs actibus Electorum, asserimus in præsenti quæstione certum non esse actus eos liberos qui præcipuè pertinent ad totius Electorum vniversitatis bonum, Divino decretò prædefinitos esse. Nec enim repugnat Deum prædecrevisse absolutè & efficaciter Incarnationem ut faciendam; & tamen non eâdem efficacitate prædecrevisse, verbi causâ, consensum liberum Virginis Mariæ, vel alia determinatè media. Potuit enim hunc in individuo consensum qui fuit Virginis prædecernere ut necessarium non absolutè, sed sub ea conditione, si Virgo non renueret: & totum ipsum exequendæ Incarnationis modum conditionaliter ita intendere, ut si is deficeret adhiberetur alius, & tandem si omnes tentati, creaturarum actus liberi deficerent, veniretur ad modum aliquem ab omni creata libertate independentem. Quod vehementer apud me confirmatur ex eo quod præcipua nostræ redemptionis opera eo modo quo facta sunt, supposuerunt peccata aliqua per quæ executionem habuerunt. Incarnatio Christi eo modo quo fuit, consensum supposuit & existentiam Virginis; quæ existentia supposuit peccatum à Davide commissum cum ea quæ fuit Vriæ; passio & crucifixio Christi supposuit peccatum Iudæ & Iudæorum &c.

11, His non obstantibus vera est secunda pars conclusionis nostræ. Nam meritò videtur majori Doctorum parti absurdum & incredibile, quòd Deus Incarnationem Verbi, fundationem Ecclesiæ; & alios effectus similes, quos haud dubiè antece-

denter, & absolutè prædefinivit, non per ea prædefiniverit media, per quæ videmus executioni mandatos (non intentis directè, sed solùm permissis peccatis quæ intervenerunt) minùs enim decens fuisset, si Incarnationem &c. varijs medijs fallibilibus successivè tentandis subjecisset; paratus illius mysterij eventum & existentiam velut traducere per incertas vias à creaturarum fallibili nec per Scientiam Mediam prævisâ libertate pendentes: sicque meliùs & dignius intelligitur quod Paulus aït ad Galatas cap. 4. ***Vbi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum factum ex muliere.*** Quo loco sancti Patres intelligunt, significari tempus impletum, quod (ut versu præcedenti dixit ipse Apostolus) ***Prædefinitum fuerat à Patre***: atque eodem modo mulierem (intactam & illibatam) ad tantum opus fuisse prædestinatam, & præ omnibus alijs in individuo electam. Atque idem dicendum est de alijs circumstantijs cùm Incarnationis, tùm Passionis Christi. Qua de re videri potest Suares lib. 3. de auxilijs loco suprà citato.

12. Advertendum est juxtà secundam hanc conclusionis partem, non tantùm prædefinitos fuisse actus supernaturales, per quos creaturæ liberæ concurrunt ad Incarnationem, ad fundationem & vniversale quodcumque bonum Ecclesiæ; sed prætereà illos naturales, qui fortè fuerunt perinde necessarij, qualis esse potuit consensus, quo Iosephus matrimonium (quod est objectum per se naturale) cum Beata Virgine contraxit &c. Confirmatur, Nam in ijs personis, quæ ad negotium Incarnationis, disseminationis Evangelij fuerunt in gratia confirmatæ, nempe præter Beatam Virginem) in sancto ejus sponso, item in Ioanne Baptista, in Apostolis &c. exercitia libertatis, extiterunt, vel simpliciter prædefinita, vel saltem eatenùs præregulata per Dei decretum efficax; ut infallibiliter peccati, saltem gravis, essent expertia, Deo Providentiam peculiarem circa illa adhibente: quod multò perfectiùs elucet in Christo Domino; qui ex naturali exigentia vnionis hypostaticæ fuit impeccabilis; sicut ex singularis gratiæ privilegio sanctissima ejus Genitrix. Hac tota de re videri infrà potest cap. 8. lib. 12.

CAPVT VII.

Circa Providentiam; quam naturalem Deus erga res hujus vniversitatis omnes; & præsertim erga homines supernaturalem, exhibet.

MORALIS CONSIDERATIO.

1. QVAMVIS nec ullus pater dùm filium, nec ullus artifex dùm opus suum producit censeatur ipsi suo effectui providere illâ præcisè actione quâ primam illi tribuit existentiam, non enim nos propriè rei providemus, quæ non præsupponitur existere; Deus tamen huic rerum vniversitati, eâ ipsâ productione quâ primùm illam molitus est, sic providit; ut quâ fœcunditate creaturas ex nihilo educebat, eadem illis, ne in prius nihilum suum relaberentur, prospiceret. Mundum siquidem per eas res ipsas, ex quibus constat, & per vim ipsis à creatione inditam sartum tectum voluit conservari. Quamobrèm omnia entia motus suos quibus ipsa singula feruntur, ad solam referunt vniversalis conservationem, tuitionemque naturæ. Nec enim aliò spectant errores cœlestium corporum, quibus eodem tempore & existendi & se movendi fuit naturalis inceptio; quam ut alterno ad brumales & ad oppositas plagas appulsu naturam subjectam ubique foveant, atque contineant. Elementa verò per eas qualitates, quas ob illum finem Deus ipsis in eorum creatione concessit, discordantia sibi invicem, continuis se prælijs ac succussationibus firmant, & vires cùm sibi adimunt, augent; seque mutuâ strage conservant. Animalia ad suæ singula incolumitatem propagationemque naturæ sic agunt & aguntur; ut per impressum à Creatore instinctum suarum specierum immortalitatem concilient. Is nimirùm qui creaturas summâ ratione sapientiâque produxit, eis vi suæ productionis providens quandam velut rationis sapientiæque impressionem videtur addidisse οὐδὲν ἐκ λόγου ἄλογον. οὐδὲν ἐκ σόφου ἄσοφον; Hoc est nihil ex summa Dei ratione potest esse nisi rationis velut particeps; nihil ex summo Sapiente insipiens, ut aït Nyssenus in Orat. de ijs qui morte immaturâ subtrahuntur.

2. Impiè nihilominùs ex ea mirabili Providentia, quæ in prima creatione rebus eas proprietates concessit, quibus vniversalis natura seipsam velut sapientissima conservat; Argumentum contra eandem Providentiam illi sumpserunt; quos futuros prænunciavit Petrus Apostolus, & illusores vocavit, dicentes; ***Vbi est Dei promissio, aut adventus ejus? ex quo enim Patres dormierunt omnia sic perseverant ab initio creaturæ.*** Nullam quippe in Deo existimantes mundi curationem esse, omnia ferri credebant solo naturæ suæ pondere; sicut aliqua videmus automata; quæ postquam semel machinali arte fuere perfecta, semet sponte absque ulla, quæ appareat, causa movent. Talia rotata experimur horologia motu cieri interiore, velut animata; & (quasi mentem habeant) temporis partes numerare momentaque describere.

3. Errorem habuere consimilem veteres multi Philosophi: qui Deum singulis rebus hisce inferioribus moderandis non putabant per seipsum esse præsentem; sed cœlestibus tantùm regendis corporibus incumbentem, hæc inferiora syderum efficientiæ permittere, quemadmodùm Neurospasta simulacra præstigiatores movent, cùm latenter funiculum (qui χασίρια vocatur à Græcis) intendunt, aut laxant; & juxtà illud Horatij

Ducitur in nervis alienis mobile lignum.

Quam similitudinem Aristoteles (libro de mundo ad Alexandrum cap. 6.) vsurpavit ad explicandum, quomodò hæc inferiora Deus in cœlorum latens vertice occultis moveat syderum affectionibus; ut quidam (inquit) artifices διὰ μιᾶς χασηρίας ἀποτελοῦσι πολλὰς ἐνεργείας, hoc est. *uno demisso aut adducto fune multiplices effectus edunt.*

4. Licèt verò Deus nulli rei, etiam vilissimæ, desit; quominùs cuilibet pro omni ejus exigentia & capacitate consulat; unde Cyrillus Thesau. 32. affirmat in natura Divina illud ἐξαίρετον sive eximium esse; quod dignetur ad abjectissima & infima quæque explicare atque extendere rationes suæ Providentiæ, προνοίας λόγους ἐξαπλοῦν μέχρι τῶν εὐτελεστάτων; Nihilominùs constat, cùm propter solos homines bruta ipsa quæ vivunt creata fuerint, non hæc nisi propter illos à Deo curari, neque bestias, nisi ex

occasione, colligere velut micas cadentes de mensa hominum. Quod Origenes quarto contra Celsum libro explicat appositâ similitudine sumptâ ex eo quod videmus lanios sive macellarios, qui propter solos cives annonam comparant, & venum carnes exponunt; licet canibus prodesse non curent: His tamen prosunt ex accidenti; cùm ex intestinis boum vel ovium superflua abijciunt, illisque objiciunt quæ rejectamenta, Græcè σκύβαλα dicuntur παρὰ τὸ κυσὶ βάλλεσθαι, hoc est, quòd Canibus projiciantur. Eoque nomine vsus est Apostolus ad Philip. cap. 3. πάντα ἡγοῦμαι σκύβαλα εἶναι. Quod noster interpres vertit, *omnia arbitror stercora ut Christum lucri faciam.* Sed audiamus quomodo Origenes, quam dixi similitudinem explicet: *Mea quidem sententia est*, inquit, *sicut in civitatibus qui annonæ & macelli curam habent nullius alterius causâ laborare, quàm hominum; ejus tamen providentiæ fructus ad canes pervenit*: παραπολαύουσιν ὅμως τῆς δαψιλείας οἱ κύνες; Ita Divina Providentia hominibus præcipuè prospicit; sed ex consequenti bruta animantia fruuntur iis, quæ hominum gratiâ sunt procreata. τὰ ἄλογα ἀπολαύουσι τῶν δι᾽ ἀνθρώπους γινομένων.

5. Quàm excellens ea sit Providentia, quâ Deus magis ac studiosiùs homines, quàm reliquas creaturas prosequitur, hinc maximè potest intelligi; quòd non tantùm ad naturalia, sed & ad supernaturalia procuranda bona pertinet. Quæ supra naturam non vnius est generis Providentia, ad æternæ procurationem Beatitudinis tota dirigitur: Et præmotione ad gratiam sanctificantem, ad merita, ad actiones Divinæque congruentes charitati continetur. Ad eam pertinent Divinissimum imprimis Incarnationis mysterium; tùm Ecclesiæ prima constitutio, tùm ejusdem publica deinceps administratio, tùm alia privatim infinita; quæ in se quisque pietatis colens observare potest.

LIBER VNDECIMUS

De Prædestinationis Mysterio & varijs ejus explicandi modis.

CVM duæ sint circa Prædestinationis Mysterium celebres, & inter se contrariæ Sententiæ. Quarum una contendit electionem salvandorum & omissionem reproborum fieri ante considerata horum & illorum diversa merita: Ex adverso autem altera nullam electorum censet ejectorumque discretionem fieri nisi cognitâ vtrorumque causâ. Mihi longè probabilior hæc secunda videtur. Quare statui duas illas sententias duobus sequentibus libris diligenter expendere, factâque earum hinc & inde comparatione atque contentione, vltimum tandem librum in stabilienda secunda insumere; postquàm priorem illam ponderatis eversisque ipsius fundamentis rejecerimus vndecimo isto libro.

CAPVT I.

De nomine & vera significatione Prædestinationis, ejusque definitione.

1. DESTINARE, inquit, D. Thomas quæst. 23. art. 1. est idem quod mittere. Vnde cùm electi non possint per se ipsos tendere ad vitam æternam, quæ in Divina visione consistit; atque ita necesse sit, ut ab extrinsecâ & supernaturali ope ad illam (quo modo sagittæ ad scopum solent) transmittantur; destinari ad summum illum finem rectè dicuntur. Sic per transmissionem Durandus & alij plures destinationem explicant, hocque conforme est ei quod ait Gennadius Constantinopolitanus Patriarcha in Epistola de Prædestinatione asserens hanc in tempore mandari executioni, τοῦ θεοῦ πέμποντος ἄνθρωπον ἐπὶ τὸν ὅρον τῆς μακαρίας ζωῆς ὡς τοῦ τοξότου τὸ βέλος πρὸς τὸν σκοπόν. Hoc est, *Deo mittente hominem ad destinatum beatæ vitæ terminum, quemadmodùm sagittarius ad scopum sagittam emittit.* Sed cum valdè item vsitata sit significatio verbi, destino, pro eo quod est constituo, definio, ordino, multi Theologi destinationem electorum esse idem dixerunt, ac illam constitutionem,

definitionem seu ordinationem, quâ Deus irrevocabiliter decrevit illis cùm finem vltimum, tùm ad hunc media. Cui acceptioni bene respondet verbum Græcum προορίζειν, quo Paulus vtitur ad Romanos cap. 8. & ad Ephesios cap. 1. Non dicitur autem simpliciter destinatio, sed *Prædestinatio*; ad significandam enim in hoc electionis Divinæ mysterio prioritatem, quâ executionem suam antecedit, apponitur particula, *præ*.

2. Notandum verò est sumi non rarò tùm προορίζειν tùm Prædestinare, in significatione latiore, pro decreto certo & æterno, quo Deus rem aliquam quocumque modo seu agere seu permittere statuit. Nam Actor. 4. asseritur Herodem & Pilatum contra Christum in ejus Passione fecisse quæcumque Deus Prædestinarat, ὅσα ἡ βουλή σου προώρισε γενέσθαι. In eodem sensu dici possunt reprobi prædestinari ad damnationem: quo sensu locutus est author hypognost. lib. 6. Augustinus lib. 5. civi. cap. 1. & lib. 21. cap. 24. Prosper in responsione 14. & 15. ad capitula Gallorum, Concilium Valentinum sub Lothario cap. 3. *Confitemur*, inquit, *Prædestinationem Electorum ad vitam & Prædestinationem impiorum ad mortem.* Frequentiùs tamen & ad Catholicæ doctrinæ explicationem accommodatiùs Prædestinatio strictiùs (ut semper apud Paulum) dicitur de Electis; & sic in eo nomine particula *præ* potest significare prioritatem etiam dignitatis electorum; nam damnandorum non tam propriè dicitur *Prædestinatio*, quàm *Reprobatio*.

3. Postquàm de ipso inquisivimus Prædestinationis nomine; & quæ sit vis ejus, cùm in Scriptura, tùm in communi Sanctorum Patrum atque Theologorum vsu, exposuimus; consentaneum est, ut ad exponendam ejus naturam veniamus. Vbi primò notandum est, quosdam Prædestinationem non secùs ac Providentiam (cujus ea præcipua pars est) in intellectu Divino; quosdam autem in voluntate posuisse. Verùm ex iis quæ præcedente libro de Providentia docuimus, constat illam in intellectu simul voluntateque Dei residere: Quare in Prædestinationis declarandâ naturâ non sufficit, si quis dicat illam esse rationem quandam Divinam; sed prætereà quippiam addendum est, quod voluntatis propositum declaret. Vnde intelligitur Prædestinationem in solo Deo reperiri; nihilque, ut Sanctus Thomas affirmat, in Prædestinatis ponere formaliter; licet multa in ijs effectivè ponat. Intelligitur etiam, ipsam non esse in Deo actum necessarium, sed merè liberum: Quamquàm fuerit convenientissimum, ut Deus creaturas intellectuales ad gloriam ordinaret.

4. Secundò notandum est Prædestinationem respicere juxta aliquos dumtaxat vltimum finem, & esse idem cum electione ad solam gloriam. Hæc est Sententia Okami, Gabrielis, Catharini & idem sentit Vasques explicans articulum tertium quæst. 23. vbi reprehendit eos recentiores qui electionem ad gloriam & Prædestinationem ad gratiam confundunt contra sensum Augustini, ut ipse putat. Denique sunt qui velint Prædestinationem circa vtrumque versari, & complecti gloriam ut vltimum terminum, gratiam autem ut viam: Ita Scotus in 3. dist. 7. & Suares lib. 1. de essentia Prædestinationis cap. 5. Atque idem reperitur in Patribus, & nominatim in Augustino, quemadmodùm pluribus testimonijs ostendit Petavius tomo primo Theologicorum dogmatum lib. 9. cap. 1.

5. Cum igitur habeamus Prædestinationem sumi promiscuè, tam pro electione ad gloriam quàm pro præparatione ad gratiam; duplex se nobis offert Prædestinationis consideratio. Quamvis enim voluntas dandi gloriam & dandi gratiam non sit in Deo nisi vnus simplex actus respectu electorum; quibus indivisibiliter simul & gratiam & gloriam, suppositâ per Scientiam Mediam prævisione, intendit; tamen illa duo separantur respectu electi vnius & alterius reprobi; cum in isto non sit nisi ad gratiam, in illo autem sit simul etiam ad gloriam Prædestinatio; imò & in illo simplici actu, quo Deus electis indivisibiliter gratiam & gloriam extendit, possumus per mentem distinguere quasi duos actus voluntatem dandi gratiam, & voluntatem dandi gloriam; atque ita duplex concipi potest Prædestinationis ratio seu definitio; itavt quatenùs respicit gloriam dicatur esse decretum efficax, quo Deus absolute statuit dare gloriam; quatenùs autem respicit gratiam dicatur esse Providentia, quâ absolutè & efficaciter media ad gloriam æternam necessaria præparantur.

CAPVT II.

Quam certum sit existere Prædestinationem bonorum & reprobationem malorum.

1. NON defuerunt quidam hæretici qui duos ordines tàm Angelorum quàm hominum esse dicerent, vnum quidem eorum, qui naturaliter boni ac salvandi essent; alterum eorum, qui naturaliter mali ac damnandi; quare negabant esse in nostra potestate ut salvemur, aut damnemur; sed naturas esse tales, ut nec bonæ in malas mutari possint, nec malæ in bonas. Id fuit Valentinianorum, Manichæorum, & quorumdam aliorum dogma. Eos qui congenitam & naturâ insitam bonitatem habeant nullo suæ voluntatis merito salutem consecuturi, vocabant (ut aït Clemens Alexand. lib. 5. stromatum) φύσει σωζομένους, φύσει πιστούς, καὶ ἐκλεκτούς hoc est *naturâ suâ salvandos, naturâ suâ fideles, & ad gloriam electos.* Qui ex adverso naturâ insitam perversitatem nacti sint, eos vocabant ὑλικοὺς καὶ χοϊκούς, concretos nempè ex materia, & terrestres. Quare cum hi hæretici in geminam illam massam sivè Angelos, sivè homines describerent, suâ naturâ felices, aut miseros futuros; nihil omnino de Divina gratia aut Prædestinatione cogitarunt. Omitto quosdam alios hæreticos, (de quibus Castrono, & Prateolus) Prædestinatos dictos, item Pelagianos, ac Semipelagianos malè de hoc mysterio sentientes, & veram qualem orthodoxa fides docet Prædestinationem negantes.

2. Notanda tamen est, Doctores inter Catholicos Catharini sententia existimantis quosdam eximiè dilectos, ita fuisse nullis prævisis meritis Prædestinatos (quales fuerunt cum Beatissimâ Virgine, Ioannes Baptista, Apostoli, &c.) ut excludi regno nequeant; cæteros tamen non Prædestinatos, sed ordinarijs gratijs adjutos, & in communi Providentiâ suique arbitrij potestate relictos esse, eorumque multos Divinis præceptis obtemperantes, & sibi oblatis cooperatos gratiis salutem fuisse consecutos. Faseturque ille se ita contra Sancti doctrinam Augus-

tini, cum bona ipsius venia sentire; quandiu Ecclesia contrarium non definierit. Sic prædictus author lib. de Prædestinatione.

3. Nihilominus indubitatum esse debet cùm Prædestinationem ad speciales efficacesque gratias, tùm absolutam electionem ad gloriam, extitisse ab æterno. Quâ electione Deus decrevit certum Angelorum hominumque numerum ad vitam æternam infallibiliter, salvâ eorum libertate, perducere; itavt omnes, qui ab beatitudinem admissi sunt, fuerint verè prædestinati, neque vllum sine Prædestinatione salvari. Et in modo loquendi peccavit Catharinus; dum quosdam beatorum dixit non fuisse Prædestinatos. Ea veritas Catholica sumitur primò ex Scripturâ in quâ Matthæi 25. Christus affirmat *Paratum esse electis regnum à constitutione mundi.* Idem Paulus ad Rom. 8. *Quos præscivit & Prædestinavit*, sicut & ad Ephesios 1. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum.* Alijs item locis traditur à Scriptoribus sacris *nomina quorundam esse scripta in Cœlis*; & sub vocibus electionis, propositi, præscientiæ, idem omnino sæpius affirmatur; quare meritò Prosper in primo capite ad objectiones Gallorum asserit, *Prædestinationis fidem multarum Scripturarum authoritate munitam esse.* Hanc fidem admittit & supponit Concilium Trident. sess. 6. cap. 12. cùm ait *Neminem in hac mortalitate vsque adeò de Mysterio Prædestinationis præsumere debere, vt certò statuat se omnino in numero esse Prædestinatorum.* Et Canone 15. damnat eos qui dixerint *Hominem justificatum teneri ex fide ad credendum se certò esse in numero Prædestinatorum.* Quòd attinet ad Patrum authoritatem, eam copiosissimam esse constabit infra; vbi disquiremus an Prædestinatio ad gloriam fiat independenter, aut potiùs dependenter ex prævisis meritis. Cùm enim id in vtramque partem disputatur, innumeri ferè sunt hinc & inde Sancti Patres qui omnes supponunt alterutro modo Prædestinationem.

4. Accedit ratio manifesta, non quidem naturalis, nam hoc objectum est supernaturale; sed instructa principijs fidei. Certè quandoquidem nemo inficiari potest, quin multi Divinæ gratiæ auxilio transmittantur in vitam æternam; inania esset dubitare, nùm id quod est effectuum Divinorum apex contingat ex voluntate, Præscientiâ, & Providentiâ Dei. *Quis dicere audebit*, inquit Augustinus de bono persever. cap. 14. *Deum non præscisse, quibus esset daturus, ut crederent; aut quos daturus esset filio suo, ut ex eis non perderet quemquam?* Optime D. Thomas quæst. 23. art. 1. ait duplicem considerari posse finem, ad quem res creatæ ordinantur; unum naturalem, in quem non est necessarius alius impetus, quàm qui rebus imprimitur per ipsam earum naturam, & vniversalem communemque mundi Providentiam; alterum, qui excedit facultatem naturæ creatæ, & consistit in visione beatifica. Cùm ergo creaturæ non possint per seipsas ad hunc supernaturalem finem suo impetu tendere, necessarium est, ut ad illum transmittantur per causam extrinsecam; & quidem non aliam quam increatam. Soli enim Deo, ut bene monet Durandus, convenire potest facultas (saltem primaria & independens) prædestinandi sanctos: Nam solus Deus potest ordinare creaturam ad beatificam visionem: Quia talis authoritas postulat infinitam sapientiam atque potentiam; postulat item eùm dominium summum in gloriam, & in gratias supernaturales, quas pro arbitrio conferat, vel neget; tùm in personas quas antecedenter discernat aliquo infra explicandò modo.

5. Circa Prædestinationem superiùs definitam duæ sunt maximi momenti quæstiones. Prior vtrum electio ad gloriam præcedat ordine naturæ Prædestinationem ad media; & consequenter prævisionem seu meritorum seu conditionum omnium ad ipsam gloriam necessariarum. Altera, an Prædestinatio ad media, quatenus efficacia, fiat per antecedentem Dei dilectionem & vsum scientiæ conditionalis; quæ dilectio electos à reprobis discernat absolutè, priusquam adulti se per inæqualitatem suæ operationis absolutè discreverint. Priorem quidem quæstionem hoc libro, posteriorem proximè sequenti prosequemur, ob varias quibus obseptæ sunt magni ponderis difficultates. Ad quarum difficultatum solidam exactamque discussionem descendo, adoratâ priùs tanti Divinâ luce mysterij.

CAPVT III.

De Gratiarum actualium varietate ac divisione; quibus electos Deus à reprobis discretos ad Gloriam perducit.

1. TRACTATUI de Gratia, qui pertinet ad primam secundæ, hæc de Prædestinatione disputatio subalterna est. Notandum verò triplicem esse Gratiæ Divinæ acceptionem ut habetur ex Sancto Thoma 1.2.q. 110. art. 1. Vel enim sumitur pro dilectione, quo modo quis dicitur habere gratiam Regis; vel pro gratuito dono, ut eum Rex alicui dicitur facere hanc illamve gratiam; vel denique pro compensatione accepti beneficij, vnde dicimur agere aut referre alicui gratiam. Omissâ quoad præsens primâ & tertiâ significatione, Gratiam secundo modo accipimus pro dono à Deo nobis liberaliter concesso; non tamen quocumque, quale est donum creationis & naturæ; in quo sensu Pelagius Gratiam sumebat; eum solam eam subdolè fatebatur esse nobis necessariam ad meritum. Sed de Gratia hic agimus actuali, & nos ad operandum seu excitante seu juvante supernaturaliter; qualem per Christum esse necessariam ad salutem, & negabat Pelagius, & contra illum asserebant Catholici. De cujus auxiliaris seu actualis gratiæ varietate & natura ideo aliquid præmittimus, quòd maximè per hujus Gratiæ genus Deus mysterium Prædestinationis exequatur. Dividitur verò prædicta Gratia in operantem (ut vulgo in Schola vocant) cooperantem, & subsequentem: Quæ tria membra nobis breviter exponenda sunt.

Explicatur ea Gratia quæ dicitur operans.

2. Gratia operans, sivè clariùs, ea quam Deus in nobis, ut ait Augustinus, sine nobis operatur, est eadem quæ præveniens, excitans, & velut pulsans. Vocaturque etiam infusio seu inspiratio. Hæc autem Gratia consistit tùm 1. in cogitatione à Deo immissa, tùm 2. in voluntatis subito motu ex ipsa cogitatione sancta orto, ac indeliberato; quo homo deterretur à malo, & ad bonum allicitur. Qui

duo actus sunt initium bonæ operationis, ac salutis nostræ. Quia verò præveniunt ac excitant arbitrium; ideò nobis cogitatio quidem seu illuminatio infundi; motus autem voluntatis, dicitur inspirari. Videndum autem est, quomodò intelligendum sit, quod ait Augustinus, Deum hanc gratiam in nobis operari sine nobis: Cujus aliquæ afferuntur minùs commodæ explicationes.

3. Prima quidem falsa est, & absurda; quam adducit Vega lib. 6. in Concil. Trident. cap. 8. Putat enim eam Gratiam in nobis sine nobis ita recipi, ut ad eam nos passivè tantum habeamus, nec vllo modo ad ejùs productionem concurramus; sed ea physicè à solo Deo producatur: Alioqui si nos physicè operaremur, hæc Gratia Dei, nobiscum concurrendo, esset non tantum operans, sed etiam cooperans. Qua in re Vega supponit Nominalium doctrinam existimantium actus vitales entitativè sumptos à Deo produci; & esse qualitates, quæ hoc ipso quod informent potentiam cognoscitivam seu appetitivam, dent formalem effectum cognoscentis seu appetentis: Quo modo putant visionem beatificam, si à Deo creata ponatur in intellectu beatorum eosque informet, posse eodem modo efficere illos videntes Deum, ut albedo informans subjectum reddit ipsum album. Sed ea doctrina est omnino improbabilis; nam videre, velle, & actus similes, sonant aliquam operationem; & quatenus verè præbent vitalitatis effectum formalem, debent ab eadem, à qua recipiuntur potentia produci.

4. Divus Thomas, Cajetanus, Durandus, Scotus, & plures alij aïunt Gratiam operantem, quæ est in nobis sine nobis, vocari actum eum liberum voluntatis nostræ, qui ante actus omnes alios liberos elicitur, qualis est actus quo liberè ferimur ad finem; aïuntque talem primum actum nostrum esse in nobis; sed sine nobis: Quoniam cum is primus sit & præcedat alios omnes, non potest habere liberum actum præcedentem per quem moveamus nos ipsos ad illum eliciendum. Non enim putant nos moveri à nobis ipsis ad operandum, nisi moveamur per priorem actum; qualis non potest esse ante illum, qui sit omnium primus. Contra illam interpretationem Gratiæ operantis, quæ sit in nobis sine nobis, opponitur manifestè, primum actum nostrum liberum non esse sine nobis operantibus liberè, nec sine Deo cooperante: Ergo Deus talem actum operatur in nobis cum nobis, nequaquam indigentibus alio præcedente actu per quem velimus nos ad operandum movere; cum voluntas per illum ipsum liberum actum sufficienter se determinet, Deo juvante ut operemur. *Quoties bonum operamur*, (inquit Concil. Arausic. 2. Canone 9. qui ex Augustino sumptus est) *Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur*.

5. Vt explicetur quo sensu hanc Gratiam dicat Augustinus esse in nobis sine nobis, & ratione cujus velit dictum esse ab Apostolo, *Non est currentis neque volentis, sed miserentis Dei*, advertendum est, illud ab hoc sancto Doctore asseri esse in nobis sine nobis, quod ita est in nobis ut non sit nobis imputabile, nec liberum; qui modus in eo sensu loquendi sumitur ex Divo Paulo; qui dixit de actibus malis subitis, nec liberis, improvisò animum ipsius occupantibus; *Quod odi malum, illud facio: Nunc autem jam ego non operor illud. sed quod habitat in me peccatum.* Vbi Apostolus qui sanctissimus erat, aït se & malum (nempè concupiscentiæ) odisse, nec velle; & tamen illud facere; solo putà influxu physico; qui sit actus hominis carnalis, ut aït, venundatique sub peccato; at non actus humanus, & liber, atque imputabilis: Itaque addit se non operari illud actu morali, sed pati necessariò ab habitante in se concupiscentia. Hinc vice versâ colligitur; ut malum quod physicè non autem liberè suboritur, dici debet juxta Apostolum esse in nobis sine nobis, & non posse nobis imputari; sic etiam dicendum esse, bonas illas sanctasque cogitationes, quæ nobis à Deo immittuntur, & physicè tantùm non autem liberè a nobis eliciuntur, esse bonum quod nostrum non est, & de quo proferri potest; *Nunc autem jam ego non operor illud, sed qui per suam Gratiam operatur in me Spiritus Sanctus.* Illæ autem bonæ sanctæque cogitationes & voluntatis motiones (quamvis in substantia supernaturales) nequeunt nos justificare, quandiu indeliberatæ ita sunt in nobis, ut non sint ex nobis: Sunt tamen ut supra dixi, initium bonæ operationis, & salutis nostræ; atque si liber voluntatis consensus accedat, sunt in homine quidem peccatore meritum de congruo infusionis primæ Gratiæ, in homine autem sancto sunt augmenti Gratiæ meritum de condigno.

6. Donec verò liber consensus accedat, nullum habent meritum; & sunt tantùm Gratiæ sufficientes, quas Deus (*Qui vult omnes homines salvos fieri*) nullis denegat, quantum opus est, ut salvi fieri possint. Ad quorum salutem hoc genus Gratiarum omnino & necessarium est, & sufficiens: Necessarium, quoniam salus non potest aliter acquiri nisi per has Gratias & supernaturales actus; homo autem per naturæ vires non potest supra naturam suam assurgere & se ipsum ad actus tam excelsos elevare: Sed & est sufficiens, quoniam Deus homini subueniens, ipsum nec opinantem extollit per hanc Gratiam ad superiores & saluti proportionatos actus; ita ut nihil ipsi desit, quominùs ad supercœlestem sublimitatem advolet, si Divinæ se velit auræ permittere, nec oblatum elevationis beneficium recuset. Quam Divinæ Gratiæ necessitatem & sufficientiam Divus Franciscus Salesius explicat commodâ similitudine, quam ex natura earum volucrum sumit, quæ cypseli ab Aristotele, à Plinio (quod usu pedum careant) apodes vocantur. Cùm igitur hæ volucres, quandiu quiescentes jacent, nequeant (ut cæteræ solent alites) cùm volunt cœlo liberiore frui, pulsâ, pressâque pedibus terrâ, se se alis elevare; necessarium habent venti subuenientis afflatum; quo tantillum sublevatæ, nec tale negligentes afflantis auræ beneficium, explicatis evolant alis. Ita quos homines natura mortalis nequit supra suas vires, & vltra suos fines evehere, dùm eorum sensum terrena inhabitatio deprimit vana perituraque cogitantem, Divinæ afflatus auræ ad æterna sublimiaque cogitanda expetendaque inducere suaviter nititur, sanctis antevertens eorum libertatem motibus primo primis; ut consensum eorum eblandiatur atque obtineat: Cum nihil facilius sit, quàm ut quis, dum absque animi attentione ad honestas, vtiles, jucundissimasque cogitationes incurrisse se advertit, eas suo consensu approbet.

7. Quo modo autem qui talibus sanctis cogitationibus primo primis atque indeliberatis implicatus est, possit suum iis accommodare deliberatum consensum, jam superest exponendum. Gregorius Ariminensis nobiscum quidem supponit Deum prævenire homines primâ cogitatione intellectus, & motu indeterminato voluntatis; qui actus sit virtutis & supernaturalis, & qui foret valde meritorius si

liber esset. Deinde autem ut is actus liber evadat, ait prædictus auctor, Deum impulsu quodam nos applicare ad illum volendum liberè; qui impulsus seu motus sit quid medium inter primum motum indeliberatum, & liberum deliberatumque consensum: Atque illo, inquit, impulsu seu applicatione Deus facit, ut libero consensu velimus. Verumtamen bene opponit Vasques disp. 88. cap. 5. nullam intelligi posse à solo productam Deo applicationem distinctam à prima intellectus illuminatione, & voluntatis motione: Atque si illa applicatio seu motus est aliquid in nobis, id non potest esse aliud, quàm vel in intellectu quædam intellectio, vel in voluntate quædam volitio, per quam consensus noster reddatur liber: Neutrum autem dici debet. Nam Deus nullam potest ponere intellectionem nec volitionem in nobis solus, & sine concursu nostro: Quod si poneret consensum liberum cum nostro concursu, jam id quod poneret non esset in nobis sine nobis & sine libertate nostra; quare Divina illa applicatio non esset merè operans, sed esset Gratia cooperans. Atqui agimus hic tantùm de eo quod ad Gratiam pertineat operantem & quod præcedat nostrum consensum; dicitque Ariminensis illum quem inducit motum, & illam applicationem esse priorem consensu, utpote mediam inter primo primam vocationem, & consensum ipsi vocationi deinde præstitum.

8. Respondere porrò non potest, illum motum seu applicationem esse qualitatem aliquam, quæ voluntatem vltimò determinet ad consensum, nam primò illa qualitas ficta est, neque necessaria; ut patebit ex mox dicendis num. sequenti; alioqui deberet item ea poni ad omnium actuum liberorum determinationem. Denique, quod caput est, per eam qualitatem à Deo solo positam, cui non esset homini liberum resistere, tolleretur ipsius hominis libertas ad volendum vel nolendum consentire cogitationi ac volitioni prius immissæ.

9. Dicendum igitur est hominem, postquam cogitatione volitioneque subitâ & indeliberatâ occupatus fuit per Gratiam operantem, non indigere vllo novo motu aut impulsu, quo Deus illum applicet ad liberum consensum. Satis enim est si ipse homo advertens prædictam cogitationem, & volitionem cum potestate illam reijciendi vel admittendi non reijciat, sed ei consentiat, non per novam volitionem quâ velit velle, sed per eandem intransitivè volitionem, in ea pergat liberè. Potest enim eadem physica volitio per solam mutationem moralem transire de necessaria in liberam. Requiritur quidem ad hoc aliqua nova physica intellectus actio, ut sit advertentia & consideratio hinc & inde motivi quod voluntatem libret, & reddat indifferentem. Tunc igitur si posita in æquilibrio voluntas consentire nolit, Gratia illa operans, quæ erat omnino sufficiens, est elusa, irrita, & inefficax. Si autem ex adverso accidat, ut consentiat, Gratia de operante & solum sufficiente fit efficax, & incipit dici cooperans eo sensu, quo mox declarabitur.

Quo sensu Gratia dicatur cooperans, & quo subsequens.

10. Hæc igitur Gratia dicitur cooperans, quam (ut aït Augustinus) in nobis & non sine nobis Deus operatur. Quia cùm antea sola Dei bonitas in homine sine ipso, id est sine ejus libertate, operaretur, jam dum homo incipit actu verè humano operari; cum illo eadem Divina bonitas operatur, & ei dicitur cooperari; non tantum quia homine sibi adjuncto Deus ut ante continuat suam operationem physicam, eoque modo illum adjuvat; sed etiam insuper quia est causa moralis, cur homo liberè operetur; quatenus hunc ad id volendum invitavit, & induxit per Gratiam prævenientem. Vnde fit ut ipse consensus hominis, & id quod liberè vult, sit imputabile ipsi etiam Deo; sicut id quod aliquis liberè committit imputandum est ejus suasori, & adjutori. Notandum verò est hanc Gratiam cooperantem, quemadmodùm & prædictam operantem reperiri quidem in omni hominum statu; & ante justificationem, cùm adhuc peccatores sunt; & post justificationem; sivè deinde sint relapsuri, & vltimo reprobandi, sivè in ipsa justificatione perseveraturi, ac tandem ad gloriam perventuri. Nullus enim est status, in quo non soleat Deus homines & per Gratiam operantem prævenire, & per cooperantem adjuvare atque comitare. Nihilominùs cùm operantis tùm cooperantis Gratiæ præcipua quædam est consideratio respectu ejus, quâ electi sic justificantur, ut in ea justificatione perseverent, & ad Gloriam tandem transmittantur. Eam enim Gratiam præcipuè intelligunt & attendunt Patres cùm de Gratia simpliciter & absolutè loquuntur. Ad eam pertinet specialiter Gratiam, illud Fulgentij libro primo ad Monimum cap. 11. *Deus prævenit*, inquit, *impium ut fiat justus; subsequitur justum, ne fiat impius; præveniat elisum ut surgat; subsequitur elevatum ne cadat.* In quo Augustinum magistrum suum sequitur sic dicentem; *Prævenit Gratia Dei, ut sanemur; & subsequitur, ut sanati vegetemur: Prævenit ut vocemur: Subsequitur ut glorificemur: Prævenit, ut piè vivamus: Subsequitur, ut cum illo semper vivamus.* Hæc regula notanda est ad mentem & sententiam Patrum, ac præsertim Augustini explicandam: Qui de Gratia sumpta simpliciter & absolutè sic loqui solent; quasi non nisi de ea loqui videantur, quæ prædestinatis salvandisque tribuitur.

11. Superest ut exponamus quid sit illa Gratia subsequens, de qua jam Augustinus loquebatur, & quæ tertium est membrum in Gratiæ divisione propositum à nobis num. 2. licet ut ipsa vis nominis indicat, Gratia omnis, quæ Gratiam aliam præsupponit, queat respectu illius vocari subsequens, quo modo cooperans operantem præsupponit & sequitur; atque in hoc sensu quidam loqui Theologi potuerint; tamen propriè juxta vim locutionis Augustinianæ Gratia nominatur subsequens respectu consensus nostri; quemadmodùm etiam duæ superiùs explicatæ Gratiæ præveniens & comitans nomen suum habent respectu consensus & justificationis nostræ. Præveniens enim seu operans, consensum & justificationem nostram prævenit; comitans seu cooperans comitatur; hoc eodem itaque sensu Gratia subsequens ea est, quæ sequitur voluntatis consensum, & quæ post justificationem hominis nequaquam hunc deserit; sed ab eo non discedens præbet ipsi opportunitatem boni operis, occasionemque exequendi quod inspirante Deo facere deinceps post justificationem apud se statuit. De qua Gratia intelligendum est illud Psalmi 22. *Et Misericordia ejus subsequetur me*: Et quod Ecclesia petit à Deo in hac oratione, *Tua nos Domine Gratia semper præveniat & sequatur*: Et bonis operibus jugiter præstet esse intentos. Hæc Gratia est, de qua in Enchiridio Augustinus cap. 32. *Deus nolen-*

tem pravenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustrà velit. Hoc est ut exequatur id quod vult, facereque proposuit. Sic & Gregorius lib. 2. Moral. *Deus qui praveniendo dedit hominibus velle, quod noluerant; subsequendo dedit bonum posse, quod volunt*. Breviter dilucidèque Fulgentius libro 1. ad Monimum cap. 11. *Pravenit Deus donans homini bonam voluntatem; subsequitur benevolentem, operando in illo operis facultatem*.

8. Sicut hoc capite antequam disputare profundiùs de Mysterio Prædestinationis aggrediamur, de triplicis Gratiæ operantis, cooperantis & subsequentis natura egimus; ita etiam consentaneum videretur de natura Gratiæ efficacis & sufficientis disserere. Sed quoniam id longioris disputationis est: His præsertim temporibus quibus ea de re, deque Prædeterminatione Physica Theologi acriùs controversantur; & quoniam propriè ad primam secundæ pertinet de vtroque illo Gratiarum genere tractare; totum id ad alium locum remittemus. Nonnihil tamen infra de Gratiarum sufficientium & efficacium differentia & antecedente per earum distributionem inter electos & reprobos discretione indicandum erit; atque semper supponendum Gratiam efficacem & merè sufficientem differre antecedenter ex parte Divinæ non solum præscientiæ, sed & voluntatis atque intentionis.

CAPVT IV.

Quid Calvinus & hujus temporis novatores de Prædestinatione Reprobationeque sentiant.

1. ANTEQUAM cum Theologis Catholicis de his mysterijs disseramus rejiciendi sunt, nec admittendi ad hujusmodi tractationem, sed solâ eorum doctrinæ expositione refutandi Calvinistæ, aliique hujus temporis hæretici: Quorum illud est palmare mendacium, ut insignes aliquos Patres & Doctores suis asserant patrocinatos esse mendacijs. Referam simpliciter & nullo disputationis aut superfluæ refutationis artificio ea dogmata, quæ Calvinistæ & similium hæreticorum greges de hoc in quo versamur argumento procuderunt; quæ vel solum qualia sunt retulisse, confutasse est. Volunt nempè, Deum nullo respectu antegressi operis, suâ solâ voluntate, sicut nonnullis vitam æternam, ita & alijs omnibus damnationem atque supplicia constituisse sempiterna; & vltrò in eum finem vtrosque procreasse; ut in illis quidem suam misericordiam, in his autem iræ severitatem ostenderet. *Si non possumus* (aït Calvinus lib. 3. inst. cap. 22.) *rationem assignare, cur suos misericordiâ dignetur, nisi quoniam illi ita placet; neque etiam in alijs reprobandis, aliud habemus, quàm ejus voluntatem*. Inter alia plurima disertum est & illud cap. 24. §. 12. *Quos in vita contumeliam & mortis exitium creavit, ut iræ suæ organa fierent; eos ut in finem suum perveniant, nunc audiendi verbi sui facultate privat, nunc ejus prædicatione magis excæcat, & obstupefacit*. Ac ne quis putet illam quidem fuisse mentem dementissimi hominis, non tamen idem sapere reformatas ab eo Ecclesias; ecce quid illarum omnium nomine Zanchius profiteatur lib. 5. de natura Dei cap. 2. *Parem facimus electionem & reprobationem in ipsarum causa. Nam sicut Deus Prædestinavit Iacob non ex operibus, sed ex Prædestinationis Gratia; sic & reprobavit Esau non ex operibus, sed ex liberâ odio prosequentis & reprobantis voluntate*.

2. Porrò quia decretum Dei tam efficax non potest non executioni mandari, propterea insuper dicunt Deum ejus exequendi sollicitum, circa electos quidem tria operari; nempè 1. Largiri illis fidem justificantem; quam semel acceptam nequeant amittere, licet gravissima peccata committant. (Calvinus lib. 3. insti. cap. 4. §. 6) 2. Dare illis Gratiam actualem, quæ nec sufficiat ad servanda Dei mandata, & humani libertatem tollat arbitrij (idem in Antid. ad sess. 6. cap. 12.) Denique 3. peccata illis nulla, quantacumque perpetrent imputare, & tamen ea non tollere, sed tegere; è contra verò justitiam Christi ipsis imputare; nullamque intrinsecam infundere: Sic passim idem Calvinus. Circa reprobos autem volunt Deum tria itidem præstare; scilicet 1. Negare illis fidem & omnem Gratiam (lib. 3. instit. cap. 18. §. 3. & 4. lib. 3. cap. 23. §. 9.) 2. Eis dare quasdam in speciem Gratias quæ tamen re Gratiæ non sunt, sed machinationes damnationis (lib. 3. instit. cap. 24. §. 13.) vbi sic habet: *Ecce vocem ad eos dirigit, sed ut magis obsurdescant; lumen accendit, sed ut reddantur cæciores; Doctrinam profert, sed quâ magis obstupescant; remedium adhibet, sed ne sanentur*. Addit. 3. paulò post; *quos Deus illuminatos non vult, illis eum Doctrinam suam ænigmatibus tradere, ne quid inde proficiant, nisi ut in majorem hebetudinem tradantur*.

3. Nec verò Deum censuit Calvinus rationem adjudicandi reprobos æternæ morti sumpsisse ex contemplatione peccati originalis, & status in quem Adami noxa genus humanum præcipitavit. Nam communem facit reproborum Angelorum sortem, qui expertes peccati originalis fuerunt; & hominum reproborum causam; nempè Dei voluntatem; per quam & ipsam etiam Adami defectionem censet contigisse. *Lapsus est primus homo*, (inquit lib. 3. instit. cap. 23. §. 8.) *quia Deus ita expedire censuerat*. De qua Dei voluntate sic antea loquitur; *Decretum quidem horribile fateor; inficiari tamen nemo poterit, quin Deus ita decreto suo ordinarit*. Infinitus sim, si omnia prosequi velim, quæ ijs similia nec minus tetra in ejus operibus reperiuntur.

CAPVT V.

An & quomodò voluntate antecedente Deus Angelos hominesque omnes ad gloriam æternam destinet.

1. OMISSA Hæreticorum phanaticâ Mathæologiâ & Calvinisticis rejectis circa electionem reprobationemque ludibrijs, ad veram conconversi Theologiam, disputationem cum Doctoribus Catholicis instituimus de modo, quo Deus sanctos ad æternam Beatitudinem prædestinaverit, ex prævisisne, an nondum prævisis meritis? Et quomodò facta fuerit horum à reprobis discretio? Sunt Catholicos inter Doctores, qui primam hujusmodi factam discretionem censeant in electione ad Gloriam nullâ meritorum prævisione suppositâ, sed solâ

solâ Dei erga quosdam εὐδοκίᾳ, seu bonâ voluntate, quæ hos cæteris prætulerit. Sunt qui ex adverso primam electorum discretionē à reprobis agnoscant in distributione Gratiarum; & post præsuppositum ipsarum bonum vsum secutam esse velint electionem ad gloriam. Qui electionem factam asserunt non prævisis meritis, bifariam distinguendi sunt; aliter enim opinionem illam defendunt qui Scientiam Mediam vel ignorant vel negant, ut Thomistæ: Aliter & aliter qui scientiam illam defendunt, ut Suares & alij. Quarum sententiarum modos omnes præsenti libro proponemus, & de ijs judicium feremus. Quia verò illam opinionem censemus esse verissimam, quæ electionem ad Gloriam pendere asserit à prævisione meritorum, ei sequentem librum destinamus; ut res tota circa veræ Prædestinationis mysterium, (quod non minoris disputationis difficultatisque est, quàm momenti) clariùs atque distinctiùs explicetur.

2. Ut cum ijs de hoc mysterio disceptemus, qui Prædestinationem sanctorum ad gloriam affirmant factam esse antecedente Dei voluntate, nondum singulorum perpensis meritis; & in eo ipso signo discretos illos sejunctosque volunt à reprobis dilectione simul electioneque concurrente. Notandum est voluntatem in Deo Prædestinante considerari posse duplicem: Quarum alteram Theologi antecedentem vocant, alteram consequentem; sive primariam illam & secundariam istam, ut loquitur Damascenus, à quo est hæc sumpta divisio. Antecedens seu primaria voluntas, cùm de Prædestinatione agitur, intelligi ea debet, quâ Deus vult aliquibus gloriam seu Gratiam ex se ipso & independenter ab omni creaturarum merito: Consequens autem, sivè secundaria est ea, quæ supponit merita; itaque in præsenti disputatione quæritur, núm & quomodò antecedente Dei voluntate detur quædam Prædestinatio ad gloriam.

3. Et quidem indubitatum est antecedentem in Deo esse voluntatem ut quantum est de se omnes homines, nullo dempto, salvi fiant; sicut simpliciter, & nihil adjungendo dicit Apostolus Epistolæ 1. ad Timot. cap. 2. *Deus vult*, inquit, *omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Ubi significatur ab Apostolo voluntas antecedens; quam nempè Deus habet ex sese, nondum perpensis meritis singulorum. Quare ut censendum est hanc voluntatem synceerissimam esse; atque adeò esse verè voluntatem beneplaciti, non verò (ut Sanctus Thomas, Cajetanus & alij censuerunt) voluntatem solum signi: Ita ex eventu, & multorum damnatione intelligitur; eam non esse voluntatem absolutam, atque efficacem. Quoniam verò Augustinus isto secundo modo voluntatem Dei hic intelligit; quasi Apostolus diceret Deum velle voluntate efficaci omnes homines salvos fieri, non est mirum si (ad salvandam in hoc sensu veritatem hujus dicti) limitationes ille quasdam in prædicto Apostoli loco explicando adhibuerit. Prima limitatio est, ut vox (*omnes*) sumatur non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum; quemadmodùm loquitur ipse in Enchiridio cap. 103. hoc est ut sumatur non pro singulis hominibus vniversim, sed pro aliquibus ex omni hominum genere; putà quasi Deus vellet salvari ex qualibet hominum natione, ex quolibet sexu, qualibet ætate, qualibet conditione aliquos, non autem omnes. Secundò ita limitat Augustinus dictum Apostoli, ut Deus velle intelligatur eos omnes salvos fieri, qui salvi re ipsâ fiunt: Sicut magister qui solus docet in aliqua vrbe, dicitur omnes vrbis pueros docere; illos nempè omnes, qui in illa vrbe docentur: Tertiò in lib. de correp. & Gratia ita explicat quasi velit Deus, hoc est, quasi faciat nos velle & optare, ut omnes salvi fiant, nec vllus sit reprobus.

4. Veruntamen eæ limitationes & explicationes Augustini necessariæ non sunt. Voluntas enim Divina (in sensu quo loquitur Apostolus) non est consequens, efficax, & absoluta: Sed est antecedens, nondum prævisis meritis, inefficax, & conditionata; hoc est, dummodò conditio meritorum pendentium ab hominum cooperatione non desit. Quod non sit consequens, efficax, & absoluta, nec de solis intelligatur qui reapsè salvantur, sed de reprobis etiam ipsis qui damnantur; patet ex ipso Pauli textu: Qui significat, Deum velle ut nos pro omnibus hominibus (etiam reprobis, illisque regibus, qui tunc erant infideles & Christianorum hostes) oremus. Et sane ex eo quod Deus velit, ut ibi testatur Paulus, nos orare pro omnium salute constat Deum velle omnium salutem. Ait enim, orare nos pro omnibus hominibus acceptum esse Deo; quia vult omnes homines salvos fieri. Patet etiam eadem veritas ex alijs Scripturæ locis, ut ex eo quod ait Christus Matth. 11. *Venite ad me omnes.* Et iterum, *Non veni vocare justos sed peccatores.* Nec non ex Petri Epist. 2. cap. 3. *Deus patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*, quod idem habetur Ezech. cap. 18. *Nùmquid voluntatis meæ est mors impij? Dicit Dominus Deus; & non magis ut convertatur à vijs suis, & vivat?* Ad hanc rem appositè Ambrosius Dei voluntatem, de qua hîc agimus, non esse absolutam, sed ad omnes spectantem, & conditionatam asserit his verbis: *Si Deus qui omnipotens dicitur omnes homines vult salvos fieri; cur non impletur ejus voluntas? Sed in locutione sensus est; conditio latet..... vult enim omnes salvos fieri; non ut nolentes salventur; sed vult illos salvari, si & ipsi velint.*

5. Probatur manifestâ etiam ratione Deum habere voluntatem ex se ipso, saltem inefficacem, salvandi reprobos. Nam nisi haberet saltem inefficacem; cùm efficacem habere non possit; nullam haberet: Quod si nullam; impossibilis antecedenter, & absolutè esset illorum salus, & omnis ad eam assequendam Gratia, seu vocatio: Deus enim sine aliqua voluntate non potest gloriam dare; aut habere præparatam Gratiam seu vocationem. Vnde etiam sequeretur, nullum qui non convertitur, posse converti: Quod asserere est hæreticum. Et constat Deum multis Iudam reprobum prævenisse Gratijs: Volebat ergo illum salvum fieri; eodem modo cùm constet Deum nolle, ut vlli homini baptismus recusetur; imo vniversos obligare, ut cùm de necessitate baptismi fuerint edocti, sacramentum illud recipiant; apparet illum velle omnes salvari antecedente aliquâ voluntate.

6. Dices, si Deus propterea dicitur habuisse antecedenter, & ex se ipso, voluntatem conditionatam salutis reproborum, quia voluit eam antecedenter & ex se ipso sub ea conditione, si decederent in Gratia; ergo quandoquidem voluit eodem modo electorum damnationem, si decederent in peccato mortali; debet dici habuisse antecedenter & ex se ipso voluntatem conditionatam damnationis electorum. Respondeo negari consequentiam. Duplex enim potest esse volitio conditionata & inefficax. Una quidem cùm objectum amatur dependenter à conditione, quæ ipsa placet ac optatur; & tunc dici potest objectum placere, ac desiderari anteceden-

ter volitione conditionatâ & inefficaci: Atque hoc modo Deus antecedenter atque ex se ipso velle dicitur, & optare inefficaciter seu conditionatè omnes homines, etiam reprobos, salvos fieri; quæ voluntas licet (quoniam ex parte objecti est conditionata, & non efficax) significetur per τὸ, *vellem*; est tamen formalis de præsenti, & absolutè existens. Altera volitio inefficax seu conditionata dicitur, cum objectum placet amaturque sub ea conditione, quæ ipsa non placet, nec vllo modo amatur: Atque tunc non potest dici objectum amari antecedenter volitione conditionatâ, & inefficaci: Nam contrarium tunc sub conditione contraria amatur. Quare cum Deus vult electorum damnationem sub ea conditione, quæ illi omnino displicet, si moriantur in peccato lethali; non potest dici velle ex se ipso conditionatè seu inefficaciter electorum suorum damnationem. Quemadmodùm mercator non dicitur velle antecedenter & ex se ipso volitione conditionatâ jacturam suarum mercium, quando statuit illas in mare proijcere sub conditione (quam horret) ingruentis tempestatis.

Proponuntur & soluuntur quædam objectiones circa id quod Deus velit omnes saluos fieri, & primò an omnes reprobos adultos.

7. Difficultas se hîc offert circa reprobos. Indubitatum quidem est ipsorum omnium optari à Deo, & procurari salutem. Eorum speciatim, qui postquàm aliquando fidem habuerint, & cùm justificati etiam fuerint, perpetuam non servant in eo statu constantiam; quemadmodùm Iudæ contigit, & alijs quotidie impœnitentibus evenit infinitis: Eorum item quibus fides annunciatur; quam tamen recipere nolint. Hos enim vtrosque reprobos constat Deum velle esse salvos: Cùm priores quidem ad amicitiam suam per justificationis donum admiserit; posteriores autem ad agnitionem veritatis per prædicationem fidei sollicitaverit. Sed difficultas non parva est de ijs adultis reprobis, ad quos veræ fidei prædicatio cognitioque nunquam pervenerit, & multò major de pueris infantibus quibus Baptismum & peccati originalis remissionem impossibile fuerit vllâ hominum diligentiâ pròvidentiâque conferri.

8. Quod ad vltimò jam dictos adultos attinet, dicendum est, ipsis omnibus (modo mente capti, & omni rationis vsu privati non essent) sufficienter Deum ita providisse, ut constet voluisse salvos eos fieri: Licèt non tam magno quàm cæteri mortales beneficio potiti fuerint. Negari siquidem non potest regiones quasdam integras, mirabili adorandoque Dei judicio, per plurima post Christum sæcula nullos Evangelij præcones habuisse, earumque omnes incolas, cùm nullus illuc veræ fidei radius penetrasset, Christianam penitus religionem & quidquid ipsa docet ad salutem esse necessarium, invincibiliter ignorasse; itavt (quod de Canadensibus & Brasilis narratur) ne quidem vllum quo Deus apud ipsos significaretur haberent nomen. Nihilominus certum est Deum, qui (ut habent acta Apostolorum cap. 14.) *In præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas, semetipsum apud eas sine testimonio non reliquisse.*

9. Naturali enim lumine, quod signatum est super omnes homines, possibile est bonum morale à malo discernere, nec deest vllis dictamen internum, quo iudicetur abstinendum esse à sceleribus præsertim magnis, à parricidio, à latrocinio, grassationibus, &c. Quod dictamen est veritas à Deo ut creatore naturaliter immissa: *Quam veritatem*, ut loquitur Paulus, *in injustitia omnes infideles vitijs excacati detinent* quoties atroci crimine se obstringunt. Neque puto illam aliquorum opinionem esse vel tolerabilem; qui possibile esse dixerunt, ut quis invincibiliter & nullâ suâ culpâ in omnimoda Divini numinis ignoratione versetur: Nec dubitarunt asserere posse aliquos peccare graviter contra rationem, parentes liberè occidendo, & nefarijs homines spoliando mactandoque grassationibus; & tamen in nullam ignorati invincibiliter Dei offensionem incurrere, nec æternam mereri damnationem. Nullus sanè est, cui dùm malè agit non saltem confusè in dictamine legis naturalis, tanquam in summæ cujusdam authoritatis præcone, Deus innotescat sufficienter, ut ejus offensi reus constituatur. *Hac est* (inquit Augustinus tractatu 106. in Ioann.) *vis vera Divinitatis, vt creatura rationali jam ratione vtenti non omnino ac penitus possit abscondi.* Erexit nempè Deus in humani cordis adyto sanctioris tribunal consilij, in quo juxta leges digito suo menti nostræ incisas, ratio tandem judex cogitationibus invicem inter se accusantibus aut etiam defendentibus judicium intùs profert decretorium. Quare si Canadenses & quicumque illorum similes ductum naturæ rationalis secuti à gravibus abstinuissent criminibus, nec Divinæ gratiæ obstitissent; adfuisset illis præstò haud dubiè Spiritus Sanctus; qui pro bonitate, quæ ipsi notionaliter propria est, & pro sua omnipotentia opem eis & salutem attulisset.

10. Veruntamen Deus non tantùm per internum conscientiæ dictamen eo quo jam dixi modo causam esse voluit singulorum privatim hominum saluti; sed & vniversis prospexit communi generalique Providentiâ; cupiens salutem earum integrarum procurare nationum, quæ videntur fuisse quasi derelictæ & omni pietatis culturâ destitutæ. Sic enim Divinum Numen ordinem temporum, seriemque rerum destinarat: Vt (nisi creati alicujus culpa intercessisset arbitrij, & destinata Prouidentiæ consilia intervertisset) certò futurum esset ut nulla mundi plaga, quamtumvis retrusa, Evangelij luce privaretur. Si nempè Reges, quantam ad suum, tantam curam ad Christi Regnum propagandum ut debebant adhibuissent; & Antistites Ecclesiæque Principes ad latiùs proferendos religionis fines pro suo munere incubuissent. Addo, si Sacerdotes cultuique Divino addicti multi, quos secreta vocatio ad id muneris invitabat, accenso quantum par erat zelo ad tanti facinoris gloriam aspirassent; ut posterioribus tandem sæculis fecere non pauci: Deum sanè constitisset, nullam orbis partem, quominùs omnes homines salvi fierent, neglexisse; vltimoque tandem post resurrectionem judicio constabit, quâ causâ fuerit alicubi Christianæ annunciatio fidei retardata: Vt nempè Deus justificetur in hoc sermone suo, quo velle se dixit *Omnes homines salvos fieri*; & vincat cum ea de re volet judicari. Hactenus ostensum est, nullos reprobos adultos fuisse relictos à Deo absque sufficienti remedio.

An Deus velit omnes infantes pueros morientes sine baptismo salvos fieri.

10. Non minor, sed aliquantò major est difficultas circa infantes pueros, quibus non potest applicari remedium baptismi ob impedimenta causarum naturalium, quæ à solo Deo pendentia nequeunt ab alio tolli aut superari, quàm ab illo. Atque ita videtur nequaquam fuisse talibus pueris sufficienter provisum. Non enim sufficit institutum fuisse baptismum, qui ex se vim habeat auferendi peccatum originale; nisi possit humanâ industriâ diligentiâque conferri. Itaque cùm ordo naturalium causarum, qui partum infantium impedivit, & qui extitit necessaria causa, cur ij in vtero morerentur, fuerit à Deo institutus prævisо tali eventu; videtur omnino illos à Deo fuisse penitus derelictos, nec ad ipsos pertinere quod Apostolus in secunda ad Timot. Epist. scripsit, *Deum velle omnes homines salvos fieri.* Atque idem est de his, qui jam nati nequiverunt aut defectu aquæ aut quocumque alio insuperabili casu baptizari. Propterea Vasques disp. *96.* cap. 2. parvulos illos fuisse relictos absque remedio, eosque Deum efficaci voluntate à cœlesti Beatitudine exclusisse asseruit; fultus, ut ipse sibi persuadet, quorundam authoritate Scholasticorum. Qui tamen (ut ait & ostendit Suares lib. 4. cap. 4.) ei non faverunt, præter Driedonem, & Gregorium quod etiam testatur, & ostendit Herice disp. 35.

11. Eam sententiam esse omnino falsam assero cum alijs nostræ Societatis authoribus Bellarmino lib. 2. de Gratia & lib. arb. Suare suprà, & lib. 5. cap. *6.* Lessio de prædest. & reprob. sect. *6.* &c. Certum atque firmissimum hujus assertionis fundamentum sumitur ex eo quod Deus post generalem totius humani generis in Adamo lapsum, & mutatum primum illum ordinem Providentiæ, quo nos omnes ad salutem destinaverat; voluit misericorditer ipsum Adamum ejusque posteros ad spem redintegratæ salutis erigere, filio suo in mundum per incarnationem misso; qui se ipsum daret redemptionem & pretium pro omnibus, nemine excluso; quod Apostolus addidit, ut probaret 1. ad Timotheum cap. 2. *Deum velle omnes homines salvos fieri.* Vbi dum omnes homines absolute dixit, non potuit hos ipsos, de quibus agimus, pueros infantes non includere; & eas non excludere limitationes atque exceptiones; quas sine probabilitate Vasquesius attulit. Hunc locum Apostoli tractans Augustinus lib. 4. contra Iulian. cap. 8. de his infantulis ait, *Numquid homines non sunt, ut non pertineant ad id quod dictum est; Deus vult omnes homines salvos fieri?* Confirmatur prædictus illius loci sensus. Paulus enim ex eo quod asseruit, *Acceptum esse coram Deo salvatore nostro, ut fiant orationes pro omnibus hominibus*; infert *velle Deum omnes homines salvos fieri.* Atqui nullus negare audeat acceptum esse coram Deo, ut pro pueris in periculo carendi baptismo, & in originali peccato moriendi constitutis orationes fundantur: Nec dubito, quin pro ijs Vasques, si occasio ferret, esset oraturus.

12. Ex alijs etiam multis non minùs claris certisque Scripturæ locis apparet, quàm improbabilis sit opinio Vasquesij asserentis Deum, postquam pueros quosdam noverit peccasse actualiter in Adamo, posse illos reprobare cum displicentia erga eorum gloriam antequam præviderit ipsos originale peccatum in se ipsis Physicè existentibus contraxisse, & in eo peccato mortuos esse. Ut autem ampliùs hæc summi Theologi sententia reijciatur. Adverto in hac quæstione triplicem considerari posse antecedentiam. Prima est absoluta, & nondum præviso Adami lapsu; in qua antecedentia Calvinistæ volunt Deum suâ voluntate pro dominio quod habet in creaturas potuisse destinare efficaciter homines & Angelos ad æterna ignis supplicia; quæ supplicia si per modum pœnæ infligenda intelligantur, impia est illa sententia & hæretica. Secundò intelligi potest quædam in nostro post Adami lapsum statu antecedentia; & quidem duplex in hac quæstione infantulorum. Prior est, si quemadmodùm ij peccaverunt actualiter in Adamo, & juxta moralem suam tunc existentiam contaminati sunt originali peccato actuali; sic & in ijs habituale peccatum sine physica existentia eorum resideat donec illud re ipsâ contraxerint in tempore, nacti physicam existentiam; atque in hoc signo antecedentiæ vult Vasques disp. *95.* cap. *6.* Deum habuisse displicentiam quandam inefficacem respectu gloriæ puerorum eorum, quibus nulla hominum diligentia baptismus conferri posset, sivè defectu aquæ, sivè quia ipsi morituri essent in matris vtero, &c. In secundo autem antecedentiæ signo existimat Deum permisisse ut physicam existentiam in conceptione nacti contraherent in seipsis peccatum originale, & simul efficaci reprobatione illos destinasse ad pœnam æternam, antequàm è vita excederent. Denique ipsum Deum censet in tertio tandem signo morientes illos damnasse actu. Hæc est Vasquesij doctrina quam nullomodò admitti posse affirmat merito Suares: Cùm Deus nullum absolutè damnare destinet, nec propter originale, nec propter actuale peccatum ante mortem.

13. Hactenus probatum est nullos infantes pueros ex Dei intentione excludi à salute aut relinqui sine remedio, quo purgari possint ab originali noxa; nec per ipsum Deum stare, quin baptismi aquis elui possint. Videndum restat, quo modo Providentia Divina huic rei prospiciat. Et quidem primò reijciendi sunt; qui fatentur, impossibilem quidem esse baptismum multis pueris antequam ab hac luce subducantur; sed ut Deum in hac re justificent asserunt illos posse justè propter peccatum originale puniri illâ impossibilitate & privatione baptismi; quia sunt in reatu digno eâ pœnâ. Verùm contra. Nam postquam Deus velle se significavit, non obstante Adami lapsu, omnes ejus posteros salvos fieri, & in spem salutis redintegrari, non potest eo modo culpam originalem punire; imò potiùs consequenter ad factam hominum redemptionem debet curare, ut quantùm est in se, remedium ad originis maculam abluendam institutum applicetur. Videamus igitur quo modo id præstet atque provideat. Mihi quidem non satisfaciunt, qui respondent, solâ vi causarum naturalium evenire, ut sine baptismo quidam infantes præcoci morte subtrahantur; quarum causarum seriem ab initio institutam consentaneum non sit inusitato miraculo interturbari: Quare id Deus permittit ægrè ferens propter infortunium puerulí quem nollet necessarij exortem esse remedij. Non placent, inquam, qui sic respondent. Idem enim est ac si dicerent; vult Deus huic puero conferri baptismum, sed vi causarum naturalium à se inductarum, & cum ejus prævisione eventus volitarum impeditur: Hoc est, vult quidem, sed à sua ipsius libera voluntate (cui semper & nunc etiam illæ causæ subsunt) impeditur.

14. Alia igitur ineunda est via; juxta quam sine dubitatione assero (suppositis ijs verissimis quæ retulimus numero 11. & 12. nunquam esse impossibile ut Baptismus ulli puero applicetur, nisi per alicujus creatæ stet voluntatis arbitrium; Deo scilicet omnia sufficienter suppeditante, quæ ad illius sacramenti collationem in omni casu necessaria sunt; quandiu parentes suo culpabiliter non desunt officio, nec illi quorum curæ Divina Providentia salutem committit horum parvulorum: Qui sicut non sua, sed aliena voluntate peccaverunt; ita cùm non possint suâ, debent alienâ voluntate justificationem recipere. Quare cùm aliquis vel extinguitur in vtero; vel somnolentiâ matris, nutricisvè suffocatur; vel inter gentiles Baptismi ignaros, aut in eo loco vbi non est aqua moritur: Dubium non est; quin illi, qui ex officio aut ex charitate poterant aliquid ad hoc negotium conferre, cogitationes & internas aliquando inspirationes à Deo pueris prospiciente immissas habuerint; quibus nisi respondere neglexissent, necessarij collatio sacramenti nequaquam defuisset. Quò spectat is Prosperi locus lib. 2. de vocatione gentium cap. 20. *Illi paucorum dierum homines ad illam pertinent gratiæ partem, quæ semper impensa est vniversis nationibus: quâ vtique si bene vterentur eorum parentes, & ipsi per eosdem juvarentur.* Quòd Prosper aït non tantum intelligi debet de ijs pueris quos manifestum est propter evidentem parentum, aut aliorum negligentiam caruisse baptismo; sed etiam de quibuscumque pueris, etiamsi non tam evidens sit parentum, aut aliorum in procurando ijs Baptismo negligentia.

15. Cùm enim tantam ex Scriptura certitudinem habeamus, quòd Deus *omnes homines velit salvos fieri*, non dubitare possumus, quin sufficienter salvandis illis provideat sivè proximè, sivè remotè; modis occultis & de se infallibilibus; qui licet non appareant nobis, non debent tamen in tanta Dei bonitate, ac potentia negari; cum nihil sit illi facilius & vsitatius, quàm cogitationes etiam impijs atque infidelibus inspirare ad infinitos vsus & ad occultissima sua promovenda consilia; præsertim vbi hominum salus agitur. Quare facillimè fieri potest ut matres quæ fœtum edere vivum nequeunt, internam aliquam cogitationem, admonitionemque conscientiæ neglexerint; cùm immoderatam, verbi causâ, agitationem, ciborum excessum, medicamenti vsum noxium nequaquam evitarunt, &c. Filijs item gentilium sufficienter Deus caverat; cum Patres eorum culpabiliter ad fidem vocationes & Gratias rejecerunt; quas ipse Deus haud dubiè futuræ eorum proli cautum esse volens, illis immiserat sufficientes. Denique cùm habeamus firmissima argumenta non cujuscumque Divini amoris, sed summi excessus in procuranda omnium hominum per Incarnationem & mortem crudelissimam salute, nullus consequenter post eum præcipuum nostræ fidei articulum tergiversari potest, quin admittat quæ hactenus de Baptismi in omni casu possibilitate diximus. Quæ si benè proponantur (ut me sufficienter explicuisse confido) non dubitabo pronunciare cum Arriaga disp. 39. num. 27. nec ipsum ea negaturum esse Vasquesium, nisi velit hanc quæstionem reducere ad meram controversiam de nomine.

16. Quod ad authoritatem spectat Augustini; eam immerito pro se adducit Vasquesius. Vult enim contra ipsum sanctus ille Doctor, peccatum originale non ut simpliciter contractum, sed ut durans atque perseverans vsque ad mortem & ut tale prævisum, causam esse absolutæ positivæque reprobationis; Sine qua conditione perseverantiæ vsque ad mortem nullum similiter peccatum mortale sufficiens est causa cur adulti reprobentur. Præterea loci, quos prædictus author profert ex hoc Sancto Patre, sunt ad excludenda merita in collatione Baptismi; qualia jactabant Pelagiani; eoque tendunt ut probetur parvulos, qui ex massa corruptionis per Prædestinationem extrahuntur id non habere ex vllis meritis, sivè suis (ut per se constat) sivè parentum.

CAPUT VI.

Proponitur, & reijcitur eorum opinio qui Scientiam Mediam non admittentes, Prædestinationem & Reprobationem asserunt fieri ante prævisa merita.

1. OSTENDIMUS cap. 4. superiùs quàm tetra sit & horrenda nostri temporis hæreticorum de Prædestinatione Reprobationeque doctrina. Sed licet nihil commune habeat mens Catholicorum cum hæreticorum dementia, nonnulli tamen Catholicorum reperti sunt; qui modo quodam duriore ante prævisionem mediorum atque meritorum posuerint tam electionem ad gloriam, quàm reprobationem. Atque Deum voluerint ex antecedente suo placito nullis adductum meritis, quosdam elegisse, alios autem positivè & per actuale decretum reprobasse absolutè; deinde verò post electionem atque reprobationem media illis efficacia, istis dumtaxat sufficientia providisse. In qua explicanda tuendaque doctrina, sunt qui vsum Scientiæ Mediæ intervenire necessariò velint; sunt & qui talem Scientiam Mediam, qualem nos intendimus, nullam admittant. Qui adhibito scientiæ illius vsu prælectionem ad gloriam nullis prævisis meritis fieri censuerunt, numerantur ex nostra Societate plurimi, quos infra referemus. At illorum præcipuè sensus videtur perdifficilis, qui Prædestinationem seu electionem ante prævisa merita sic adstruunt, ut Mediam Scientiam non admittant. De horum posteriorum opinione inquiremus cap. præsenti, contra priores alios postmodùm in hoc ipso libro disputationem instituri capite decimo.

2. Qui asserunt Deum antecedenter nulloque habito respectu meritorum discrevisse absolutè prædestinatos à reprobis, & simul Mediam conditionalium Scientiam reijciunt; ij sunt præsertim qui sanctos Augustinum & Thomam sequi se profitentur; sed vtrum jure, videbimus cap. sequenti. Vnum ex illis præcipuum instar omnium referam Didacum Alvarem; qui lib. 5. de auxilijs disp. 37. hanc habet tertiam conclusionem; *Non solum Prædestinationis ad Gratiam, sed etiam Prædestinationis ad Gloriam, nulla datur causa ex parte nostra; sed talis Prædestinatio facta est antecedenter in signo rationis ad prævisa merita. Itaque nullis prævisis meritis habuit Deus intentionem efficacem dandi gloriam omnibus electis.* Lib. autem 11. disp. 109. hæc est item tertia conclusio; *Actus positivus, quo Deus ab æterno voluit non admittere quosdam in suum regnum, fuit absolutus antecedens in signo rationis præscientiam mali*

vsus liberi arbitrij;deindeque subdit; *hac conclusio est expressa quam defendunt communiter Thomistæ.* Asserit verò paulò post pro ratione conclusionis; *Quia beatitudo supernaturalis non est debita alicui creaturæ secundùm sua naturalia considerata; ergo pro sua voluntate potuit Deus ab æterno absque alicujus injuria ante præscientiam boni vel mali vsus liberi arbitrij quosdam eligere ad vitam æternam, & velle actu positivo quosdam non admittere.* Sequenti disp. 110. totus est in illa doctrina multis & adhuc durioribus conclusionibus confirmanda. *In Angelis qui ceciderunt nulla datur causa reprobationis* (ait Conc. 2.) *ex parte ipsorum, quantùm ad integrum effectum illius, sed ante præscientiam peccati futuri Deus pro sua voluntate quosdam eorum reprobavit.* Denique, ut alia quæ habet plurima prætermittam, dicit in 4. Concl. 1. *Neque peccatum actuale, neque originale, neque vtrumque simul prævisum à Deo, fuisse de facto causam meritoriam vel motivam reprobationis alicujus, quantùm ad omnes illius effectus. Quam sententiam* (inquit paulò post) *defendunt multi gravissimi Thomistæ.* Illamque imputat Sancto Thomæ, ut *resolutoriam*, dicenti quæst. 23. a. 3. in c. *Sicut Prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam; ita reprobatio voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.*

3. Hanc ipsam sententiam, quæ vult absque Scientia Media factam esse à Deo antecedenter discretionem electorum à reprobis, docet Magister distinct. 41 quæst. 3. & præter Thomistas eandem sequitur Scotus in dist. 41. *§. potest aliter*, ob solemne suum argumentum, quòd omnis ordinatè volens prius intendat ea quæ sunt ad finem, quàm eligat media; sequitur & Gregorius Arimin, alijque non pauci. Antequam porrò ad horum authorum examinandas rationes accedamus, notandum 1. eorum plures discretionem prædictam hominum sic constituisse ante prævisionem meritorum; ut Augustinum imitati velint factam illam esse post prævisionem lapsus Adami; cùm vniversi homines in eadem massa perditionis homogeneitatem habuerunt omnimodam; itavt aliquem prædestinari, nihil sit secundum illos; quàm eum a massa hujusmodi extrahi; aliquem autem reprobari sit ipsum in ea massa & in sua perditione relinqui, & positivè à gloria excludi. Sed quid hac de re censendum sit apparebit, cum in explicatione nostræ de hoc toto mysterio sententiæ assignabimus instans rationis, modum, & ordinem, quo debeant intelligi electio atque reprobatio. Notandum 2. Licet ab iis omnibus authoribus discedamus, qui absolutam & antecedentem Prædestinationem citra meritorum examen solâ Dei voluntate factam esse contendunt. Longius tamen recedendum esse censemus ab ijs, qui in hoc negotio Scientiam Mediam repellunt, & coguntur cum extinctione libertatis ad Prædeterminationem physicam recurrere, ut infallibilitatem explicent in executione Divinæ Prædestinationis.

4. Argumenta pro eorum omnium opinione, qui volunt Deum antecedenter & nullis adductum meritis electos destinasse ad gloriam, hæc ferè proponi solent. Primò quidem sumpta ex Scriptura; in qua leguntur cap. 9. Epist. ad Romanos, multa huc spectantia: *Cùm nondum* (inquit Paulus) *nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali* (*ut secundùm electionem propositum Dei maneret*) *non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori; sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esaü autem odio habui*, & non ita multò post; *miserebor cujus misereor, & misericordiam præstabo cujus miserebor; igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, &c. Similia docet 2. Timot. cap. 2. *In magna domo*, inquit, *non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: Et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Affertur pro eadem opinione alius locus ex ejusdem Pauli Epist. ad Ephes. cap. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ.* Omitto quosdam alios Scripturæ locos, qui afferuntur & minùs vrgent; possuntque facilè solvi ex ijs quæ nunc ad horum explicationem afferemus.

5. Vt explicetur locus Epistolæ ad Romanos omnium qui ex scriptura objici possunt difficillimus: Respondetur non agi in eo de electione ad gloriam, aut ab hac reprobatione, sed de Divina Iudeorum repudiatione, & Gentilium ad Christi fidem vocatione. Quod ut intelligatur considerandum est Paulum differentem de Iudæorum reprobatione Gentiliumque vocatione, eò devenisse, ut difficultas se offerret; nùm Deus, qui Iudaïcum populum tot pollicitationibus, & beneficijs devinctum adoptarat; nunc, cùm illius pertæsus est, inconstans & sibi ipsi repugnans videatur. Is ut objectam difficultatem solvat, asserit nequaquàm Dei verbum excidisse, nec Abrahamo data promissa fuisse pro omnibus Israëlitis secundùm carnem genitis. Quòd primò ostendit ex eo quòd non in Ismaële, sed in Isaac vocatum est ei semen. Secundò similiter ex eo; quòd Deus abjecto Esaü elegisset sibi Iacob. Vbi duo notanda sunt primo Iacobum & Esaü (atque idem est de Isaaco & Ismaële) in hac electione Dei non sumendos esse solùm personaliter in se ipsis, sed præcipuè in suis posteris: Secundò electionem seu reprobationem (quam literaliter & secundùm historiam Deus fecisse dicitur) pertinuisse ad bona temporalia; ut nempè juxta Malachiam major serviret minori; & hujus posteri præferrentur temporaliter illius posteris. Quod & factum est. Videri potest in hunc Pauli locum Cornelius à lapide.

6. Ex ea historia literaliter præsupposita assurgit allegorico sensu Apostolus ad gentium vocationem; populi autem Iudaici, ut pote non verorum Israëlitarum reprobationem. Quâ in re Iacob fuit typus Gentilium fidem amplectentium: Esaü verò & Pharao, (cujus etiam meminit Paulus) Iudæorum quasi filiorum carnis, non verò filiorum promissionis, qui æstimentur in semine. Non potuit autem fieri, quin Apostolus eâ de re fusius disputans multa protulerit, quæ salutem aut perditionem æternam connotarent. Non quòd, ut Iacobum salvatum, sic supponat Esaü damnatum esse & ejus posteros. Cum & ipsum Esaü probabile sit esse salvatum; & certum multos ex ejus posteritate (in qua fuit Iob ipsius prognatus) extitisse sanctos.

7. Secundus locus ex Epist. 2. ad Timo. ut semetipse Paulus explicat, non pertinet ad Prædestinationem abstrahentem à meritis. Explicatur enim statim ibidem; cur aliqui in domo Dei fiant vasa vel aurea & sanctificata vel in contumeliam; totum pendere ab operibus eorum liberis, *Si quis emundaverit se*, inquit, *erit vas in honorem sanctificatum*, &c. Locus tertius, qui allatus est ex cap. 1. Epist. ad Ephes. non debet intelligi de Prædestinatione completa; sed de incompleta; id est, non eorum qui prædestinentur, ut in cœlo regnent, quia fuerint sancti; sed eorum,

qui prædestinentur, *ut sint sancti*: Quemadmodùm ait in hoc ipso loco Apostolus.

8. Post authoritatem Scripturæ, hi contra quos agimus, addunt etiam illam Augustini; qui sanè videtur habere multa, quæ illis omnino faveat; ut cum ait inter alia cap. 7. de corrept. & Gratia; *Hac operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos; qui & elegit eos in Filio ante constitutionem mundi per electionem Gratiæ, si autem Gratia, jam non ex operibus; alioqui Gratia jam non est Gratia, electi sunt per electionem non præcedentium meritorum suorum . . . . . electi sunt autem qui secundum propositum vocati sunt; propositum autem non suum sed Dei, de quo alibi dicit, ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante.* Habet alia multa eodem spectantia in illo ipso cap. & sequente, nec non 14. ejusdem libri, & in lib. de Prædestinatione sanctorum cap. 17. & seq. in tractatu 26. in Ioan. ad illa verba, *Nemo venire potest ad me nisi Pater meus traxerit eum*; in in Epist. 107. *Multi*, inquit, *salvi non fiunt, non quia ipsi nolunt, sed quia Deus non vult, quod absque vlla caligine monstratur in parvulis.* Ut respondeatur hujusmodi locis; & Sancti Patris illius mens perspiciatur, instituimus proximum sequens caput.

9. Afferuntur item pro ea sententia, quam impugnamus, argumenta quædam petita ex ratione. Scilicet quod in modo illo electionis, & positivæ reprobationis antecedentis non interveniat vlla injustitia. Deus enim est suorum Dominus donorum; & potest quibus voluerit ea vel concedere, vel non concedere. Deinde qui Prædestinationem supponunt factam, ut Augustinus, post Adami lapsum (quo nihil inter se discrepantes homines facti sunt massa una corruptionis) ajunt Deum ut misericordiam & Gratiam exhibet electis, quos baptizandos extrahit ex illa massa; sic non facere injuriam ijs reprobis, quos similiter non extrahit, sed relinquit in statu in quo naturaliter sunt damnationis; justum in illos exercens judicium. Denique sic argumentatur Alvares: Cum electionis & reprobationis mysterium sit incomprehensibile & investigabile, ut ait Apostolus Rom. 11. sequitur factum id esse antecedente Dei voluntate. Si enim factum esset consequenter, & ex prævisione meritorum, non haberet quicquam, cur exclamari deberet, *ò altitudo!* &c. Res enim tota, facilis esset; propterea hos salvari, & hos damnari, quia id fuere promeriti.

10. Sed hæc ex ratione argumenta non concludunt. Patet enim cùm ex se, tùm ex dictis repugnare talem modum electionis, ac præsertim sine usu Scientiæ Mediæ. Quamquàm enim Deus sit Dominus non modo suorum beneficiorum, sed etiam hominum; ut ijs vti quocumque modo non irrationabili nec indigno suâ bonitate sanctitateque voluerit. Tamen omnis bona ratio refugit, quod is, qui est æterna infiniteque perfecta ratio, constituat, hominum libertate remotâ, de summa eorum salutis, & talis damnationis, quæ supplicijs æternis adjudicet per modum pœnæ subeundis. Ad id quod allatum est de prædestinatione juxta Augustinum facta solùm post Adami lapsum; primò multi cum Suare volunt Prædestinationem ab æterno factam fuisse in signo rationis ante prævisum Adami peccatum: Secundò, quamvis daretur electorum reproborumque discretionem factam fuisse post primi parentis culpam, & post inductum peccatum originale; tamen cùm de fide sit Deum post ruinam humani generis statuisse Filium suum de cœlis mittere propter omnes homines & propter omnium salutem; nec per peccati originalis infectionem vniversis æqualiter communicem, retardatum fuisse quominus vellet omnes homines extrahi à massa perditionis salvosque fieri; non potest concipi quod solâ ipsius Dei voluntate baptismus cujuspiam fuerit impeditus, atque ita quod reprobatio vllius pueri fuerit privatio Baptismi seu derelictio illius in suo peccato originali. Ad id quod vltimo Alvares addebat dico, exclamationem Divi Pauli (ò altitudo! &c.) pertinere non ad electionem ac reprobationem singulorum hominum; sed ad occultum judicium quo Deus noluit Iudæorum gentem remedijs juvare efficacioribus, & eâ reprobatâ Gentilium Ecclesiam adoptavit. Habet insuper abyssum profundissimam, quòd antecedenter Prædestinatio facta fuerit sigillatim, aliquorum quidem hominum ad media efficacia, aliquorum autem ad media inefficacia; & quòd Deus hanc rerum seriem elegerit, in qua noverat hos salvandos, hos alios damnandos; idque fecerit ex amore speciali eorum, quos in ea salvandos prævidebat.

CAPUT VII.

An differat à præcedente opinione Augustini sententia,

1. Augustinus postquàm de Gratia & libero arbitrio contra Pelagianos & Semipelagianos disputans adeò feliciter eorum profligavit hæreses; ut quas tunc evicit veritates non solùm approbaverit Ecclesia Romana, sed eas etiam quasi ad fidem Catholicam pertinentes Concilia Carthaginiense, Milevitanum, & Arausicanum 2. in suos, ipsis illius verbis, canones redegerint. Summorum vero Pontificum plures mirificis illum, ut insignem Doctorem encomiis ornaverint; Innocentius scilicet primus, Leo Magnus, Bonifacius & inter illos præcipuè Cœlestinus Bonifacij successor in Epistola quam in talis Doctoris commendationem ad Episcopos Galliæ dedit; vbi *quid de scriptorum ejus oporteret authoritate sentire* (ut ait Prosper contra collat. cap. 42.) *sancto manifestavit eloquio.* Qui Cœlestinus in prædicta Epistola, prohibens libertatem de tanto Doctore ejusque scriptis malè loquendi, proponit capitula ex illius libris excerpta de Gratia & libero arbitrio à fidelibus amplectenda; in Epistolæ tamen clausula, nolle se ait vel adstruere vel damnare *profundiores eas subtilioresque difficultates quæ latius pertractanda inter disputandum cum hæreticis occurrerunt.*

2. Propter illam, quam suo merito Augustinus acquisivit authoritatem, factum est, ut in eo conflictu qui Doctores Catholicos à multis jam annis circa Prædestinationis Reprobationisque arcanum exercuit, alijs totum illud ad Dei Gratiam, alijs ad nostræ simul cooperationis meritum referentibus, magna fuerit vtriusque partis contentio ad sancti illius prærogativam Doctoris sibi vindicandam. quare illi quos capite superiore oppugnavimus haud omittunt illum prædicare ut suæ non modò fautorem, sed & authorem sententiæ; cùm in ipsius operibus plurima occurrant, unde manifestum videatur illum ponere primam electorum reproborumque discretionem in sola Dei voluntate absoluta; quâ nullis prævisis meritis aut demeritis aliqui positivo

decreto ad cœleste regnum admittantur, cæteri ab eo propter contractum peccatum solum originis reijciantur, ad inferos detrudendi. Non desunt tamen ex adverso inter graves Theologos multi, qui tantam opinionis severitatem abhorrentes, Augustinum ad eam adducant sententiam; quæ primam salvandorum damnandorumque discretionem constituat in Gratiarum distributione ex parte Dei; ex parte autem hominum in Gratiarum, tum liberâ acceptatione eisque obtemperatione, tum obstinata refutatione. Sed ne isti cum tanti nominis doctore certamen inire aut ejus patrocinio destitui videantur, non desinunt quædam pro se ex illius libris testimonia producere.

3. Testimonium quod Vasques, Lessius, Herice alijque plures præcipuum adducunt, est ex libro primo ad Simplicianum Ambrosij successorem quæstione 2. Vbi sic aït Augustinus: *Non ergo secundùm electionem propositum Dei manet; sed ex proposito electio.* Hoc est (ut prædicti authores explicant) propositum & voluntas congruè vocandi ac justificandi homines ut salventur, non oritur ex electione propter merita ipsorum; sed electio ad gloriam oritur ex ipso proposito dandi vocationem congruam, quæ meritoriorum operum fuerit causa. Qualem hujus loci explicationem videre potes apud prædictos authores, contra quos acriter insurgit Petavius libro 9. Theologicorum dogmatum cap. 10. Augustinum exponens in favorem sententiæ oppositæ. Sed quia nunc longiùs esset quam pro nostro instituto & otio mentem sancti illius Patris inquirere circa prædictum locum. Et quicquid sit de Petavij doctissimi viri sententia, quæ non facilior videtur quàm sit illorum expositio qui secùs sentiunt; non est opus, nec nostrâ refert eam in præsenti quantum ad hoc componere litem. Nunc id solum intendo, Augustinum cum Thomistis, quos capite præcedenti impugnavimus, non sentire, ut ostendunt quæ sequuntur.

Longè distare Sanctum illum Patrem ab opinione Thomistarum, & eorum qui sentiunt idem & eodem modo cum illis circa Prædestinationem & Reprobationem.

4. Id probatur ex triplici capite, nempè ex eo quòd Augustinus agnoscat in Deo Scientiam Mediam sine decreto ex parte objecti conditionato; deinde quod Prædeterminationem physicam non noverit, tertiò quod nullum à Deo reprobari posse putet, nisi promeritum, peccatique mortalis reum. Contra quæ tria in sua de Prædestinatione Doctrinâ sentit Alvares & sui. Quod ad primum attinet caput dubitari non potest quin Augustinus Scientiam Mediam sine vllo conditionato decreto supponeret esse in Deo, quando varijs locis asseruit Deum cognovisse peccata quæ futura essent, si poneretur certa quædam conditio. Vt cùm in libro 11. de Genesi respondet ad hanc quæstionem quam experimur, hodieque in India proponi ab infidelibus, quare Deus Angelum crearit, quem antequàm creare statueret sciebat, si crearetur, esse peccaturum: *Præsciens*, inquit, *eum propriâ voluntate malum futurum, fecit tamen non abstinens bonitatem suam in præbenda vita atque substantia futuræ etiam noxia voluntati.* Apparet hìc illum agnoscere in Deo Scientiam Mediam futuri Angeli peccati, si conditio creationis non deesset; quæ Scientia poterat Deum retardare ne talem crearet Angelum. Nec dici potest peccatum illud conditionaliter præcognitum fuisse, quia Deus fecerat efficax decretum, ut Angelus peccaret si crearetur. Præterea cum idem Augustinus sæpe aït Deum posse quemcumque voluerit eo modo vocare, quo scit infallibiliter eum liberè consensurum; quod non semel repetit in quæst. 2. libri primi ad Simplicianum; *Si Deus vellet*, inquit, *etiam eorum misereri qui vocationem reijciunt, posset ita vocare, ut moverentur, & intelligerent & sequerentur.* Ibidem posteà; *Eorum miseretur quos ita vocat, quo modo eis vocari aptum est, ut sequantur.* Deinde iterum; *cujus autem miseretur sic eum vocat quo modo scit* (per Scientiam vtique Mediam) *ei congruere, vt vocantem non respuat.* Apparet in his vocationibus conguis quas passim iste Pater celebrat, Deum habere Mediam Scientiam futuri eventus, & consensus liberi absque præsupposito decreto efficaci & antecedente; quod cum ipsius futuri consensus libertate incompossibile esset.

5. Secundò ex eo quòd Augustinus talem admittat Scientiam Mediam, necesse est illum abhorrere ab eo quod Thomistæ censent, Prædestinationem ad regnum cœlorum infallibiliter executioni mandari per solam Prædeterminationem physicam. Potest enim per Scientiam Mediam: Quare ad hoc non indiget Augustinus ad Prædeterminationem illam recurrere; quam si censuisset esse necessariam, haud dubiè illius aliquando meminisset; cùm tam sæpe celebret electionem certam ac infallibiliter exequendam. Imò talem Prædeterminationem ut peremptricem libertatis excludit satis disertè in libro de Ecclesiasticis dogmat. cap. 21. vbi aït; *Manet vtique arbitrij libertas, id est rationis voluntas, sed admonente prius Deo & invitante ad salutem*) non dicit prædeterminante) *ut vel eligat pro suo indifferente arbitrio, vel sequatur, vel ugat occasione salutis, hoc est inspiratione Dei* (quod ibidem posteà explicat.) *Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus: Vt acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est.* Admissâ igitur ab Augustino Scientiâ Media, & Prædeterminatione Physicâ rejectâ; evidens est eum non potuisse idem cum Thomistis de Prædeterminatione sentire.

6. Tertiò denique Augustinus censuit nullum à Deo posse reprobari nisi promeritum, & reum peccati mortalis. Vbi enim apud sanctum illum Patrem legit Alvares quartam hanc conclusionem suam disputationis 110: *Neque peccatum actuale, neque originale, neque vtrumque simul prævisum à Deo causa de facto fuit meritoria vel motiva reprobationis alicujus quantum ad omnes ejus effectus?* Legere quidem ille id potuit apud Thomistas: Subdit enim paulò post: *Hanc sententiam defendunt multi graves Thomistæ.* Illamque imputat Sancto Thomæ ut resolutoriam quæst. 23. art. 3. in corp.

7. Sed sanè immeritò: Cùm Sanctus Thomas in alijs ferè omnibus, & in ijs maximè tribus quæ in hoc capite exposita sunt, Augustinum sequatur. Nempè in eo primùm, quòd ut ille Scientiam Mediam admiserit: Deinde quòd cum illo Prædeterminationem physicam ignorarit, ut nos alibi clarè ostendimus: Ac tertiò quòd pariter censuerit nullum à Deo, nisi peccati mortalis sivè originalis sivè personalis actualis, sivè vtriusque reum damnari: Vt affirmat quæst. 6. de veritat., art. 1. ad ult. & alijs in locis. Quare ut ab Augustino sic à suo præceptore Alvares dissentit.

CAPVT VIII.

Doctrina Catharini, necnon Okami & Gabrielis circa mysterium Prædestinationis: Ac de illa judicium. Et quid sit confirmatio in gratia.

1. QVONIAM ex una parte Scriptura testatur Deum quosdam homines antequam quicquam boni egissent dilexisse specialiter; idque quod de Iacob & Esaü nominatim dicitur multi ad Prædestinationem omnium quoad salutem æternam electorum reproborumque pertinere interpretantur; & putant videri manifestum prædestinatos quosdam eximios extraordinarijs præventos esse Gratijs; Aliùndeque horrendum videtur eos omnes, qui non fuerint eo modo prædilecti exclusos esse antecedenter à Gloria, æternisque devotos incendijs. Idcirco Catharinus lib. 1. de Prædest. cap. vltimo, & lib. 3. cap. 1. & 2. eos qui re salvantur ponit in duplici differentia. Atque vnos quidem ob singularem excellentiam vocat Prædestinatos; itavt illa particula, (*præ*) in eo nomine prioritatem significet solius dignitatis: Ante illum idem docuerant Okam & Gabriel. Hos verò aiunt certissimè salvandos esse, non tantùm certitudine præscientiæ, sed etiam Providentiæ Divinæ; quatenus fieri non potest, ut tantis adjuti auxilijs pereant. Quibus illud accommodant, *Quos præscivit, & prædestinavit.* Rom. 8. Alios verò extra Prædestinatorum ordinem positos, & Gratijs tantùm ordinarijs suffultos asserunt salvari posse, utpote sufficientibus munitos adjumentis; illorumque multos reapse in cœlum admitti; quorum numerus Deo non sit aliter certus, quàm præscientiâ: Constanterque affirmat Catharinus, se numquam induci potuisse ad credendum solos prædestinatos consequi Gloriam.

2. Quo in loquendi modo valde reprehenditur, quòd dicat non eos omnes qui salvi fiunt esse Prædestinatos: In eoque cautiores fuerunt Okam & Gabriel; qui licet excellentiam prædictam in aliquibus, qui ad gloriam admittuntur, agnoscant; tamen eos omnes qui salvantur vocandos esse Prædestinatos existimant. Et quidem meritò. Nam modus quo Catharinus loquitur est contra omnes Theologos, & contra ipsam Scripturam sacram; quæ Prædestinatorum nomen omnibus tribuit, qui consequuntur gloriam. De ijs enim omnibus qui diligunt Deum, & qui secundum propositum vocati sunt sancti, loquitur Paulus Rom. 8. *Quos præscivit, & Prædestinavit.* Nec dubium est, quin ita intelligat Ecclesia, cùm in quadam oratione quadragesimali petit à Deo, *Vt omnium electorum nomina beatæ Prædestinationis liber adscripta retineat.* Idque ex ea sententia sequitur quam proximo libro statuemus, asserentes electionem ad gloriam præsupponere merita; & primam electorum à reprobis discretionem fieri per Gratiam non interrumpendam ad quam Deus cum præviso illius Gratiæ eventu & efficientia ipsos prædestinarit.

3. De reliquo licèt negari non debeat insignes aliquos sanctos & eximiè Prædestinatos reperiri, atque inter ac supra illos Beatissimam Virginem; cui nihil, quod ad excellentiam concedi possit, est denegandum. Non tamen ideo ad talem immediatè, respectu gloriæ, electionem recurrendum est, quæ non sit ex prævisis meritis. Nulla enim est tanta excellentia quæ non possit per electionem à prævisis meritis pendentem concedi. Immediata siquidem Prædestinatio ad Gratias efficacissimas, libertatem & indifferentiam voluntatis integram relinquentes, evehere creaturam potest per Scientiam Mediam infallibiliter ad quamcumque sublimitatem; idque eò gloriosiùs, quòd laudem non eripiat; quâ possit asseri de Prædestinato (exceptâ Christi Matre de cujus peculiari quoad hoc ratione mox dicam) *Qui potuit transgredi & non est transgressus; facere mala & non fecit.* Sanè, quod attinet ad omnimodam certitudinem eventus; non est opus vlla definitio antecedenter efficax. Omnimoda enim certitudo & infallibilitas in quibuscumque Gratijs efficacibus, etiam ordinarijs, absque prædefinitione reperitur.

4. Porro illos insigniter dilectos, quos Catharinus comminiscitur solos esse prædestinatos, notandum est illos ab eo in duplicem quasi ordinem distingui. Quosdam enim eorum vult in Gratia confirmatos esse, ita ut per peccatum eam perdere non possint: Prædestinatos autem alios vult non esse confirmatos in Gratia, sed ijs peculiaribus auxilijs gratiisque præventos, quæ lapsum quidem in lethales noxas quasi moraliter impossibilem eis reddant; salutem verò ita certam; ut vel non peccent mortaliter; vel, si forte corruant; erigantur infallibiliter, & tandem in Gratia decedant. Non apparet tamen quomodò hic (nisi mentio fiat Scientiæ Mediæ) libertas conservari possit, in ijs qui asseruntur in Gratia confirmati: Multi enim & veteres & moderni Theologi volunt, confirmationem in Gratia inferre necessitatem non peccandi. Sic Alensis, Antoninus, Gabriel, Okam, Bonaventura, Corduba, Sotus, &c. quos Herice recenset disputatione 24. cap. 2. Isti omnes eam non peccandi necessitatem agnoscunt præcipuè in Beatissima Virgine; agnoscit etiam in ea sola Concilium Trid. sess. 6. can. 23. dicens *Ecclesiam ita sentire.* Eam verò impossibilitatem peccandi esse antecedentem, & impedire libertatem ac meritum, ij negare non possunt, qui Scientiam Mediam non admittunt. At verò Suares, Bellarminus, & alij ab eodem Herice laudati, cùm Scientiam Mediam asserant, necessitatem solam consequentem absque fraude libertatis agnoscunt; licet antecedens decretum supponant de illorum impeccabilitate, qui confirmantur in Gratia.

5. Nihilominus Molina & Vasques negant posse consistere hominis libertatem, si tale admittatur in confirmatione ad Gratiam decretum antecedens, & efficax; quantumvis non aliter quam per vsum scientiæ conditionalis executioni mandetur. Mihi quidem etiam videtur cum istis, in confirmatione ad Gratiam nullo modo (excipio Beatissimam Virginem, de qua mox) presupponendum esse Divinum decretum efficax. Non moveor tamen ipsorum ratione; cum videatur manifestum nec Prædestinationem ad gloriam, si absolutè fieret ante prævisionem meritorum, nec vllum antecedens decretum quantumvis ratum & efficax obstare libertati, quando executioni per vsum Scientiæ Mediæ mandatur. Atque si me nihil aliud prohiberet, quàm consideratio servandæ libertatis, non dubitarem sententiam de Prædestinatione ad gloriam citra prævisionem meritorum eo modo defendere, quem tenet Suares & quem exponemus capite sequenti: Sed

Sed me aliæ rationes à Suare sejungunt; quas videbimus cap. 11. Nunc ut explicem in quonam consistat impossibilitas peccandi, quæ invenitur in ijs qui confirmantur in Gratia: Placet quod aït Suares libro 3. de Prædestinationis effectibus cap. vltimo, non omnes Prædestinatos, quibus Deus concedit donum perseverantiæ, dicendos esse confirmatos in Gratia. Sufficit enim ad ordinarium donum perseverantiæ, ut Deus Gratiam vltimam præparet alicui; & post eam non permittat eum in peccatum labi mortale.

Quid formaliter dicat confirmatio in Gratia: Et specialiter quid insignis illa, quæ fuit Beatissimæ Virginis.

6. At confirmatio in Gratia dicit ortam ex speciali ordine Divinæ Providentiæ præparationem diuturnam vocationum congruarum pro singulis occasionibus peccandi graviter; ut licet potestatem habeat homo excidendi à Gratia, nunquam tamen excidat, ob peculiaria dona & auxilia, quæ sint efficacissima; & non modò secundùm præscientiam certissima, sed etiam secundùm virtutem ipsorum auxiliorum. Quæ virtus non quidem physicam, sed alioqui certissimam inducat peccandi impossibilitatem moralem. Quod patet ex Paulo, qui erat in numero confirmatorum in Gratia, & tamen Corinth. 9. de se ipso dicebat; *Castigo corpus meum, ne forte reprobus efficiar*: Et videtur dicendum esse perinde idem de cæteris Apostolis in Gratia confirmatis die Pentecostes. Sunt qui putent præter efficacissima supra dicta auxilia requiri, ut qui confirmatur in Gratia revelationem suæ confirmationis acceperit; qualem sibi factam esse putant Paulum significare Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? Certus sum quia neque mors, &c.* Sed hujusmodi revelatio si addatur, valde est per accidens ad rationem confirmationis: Et Paulus moralem tantùm certitudinem indicat, cum aït, *certus sum*, πέπεισμαι, hoc est spem habeo, sivè confido; ut Ambrosius in hunc locum, & Hieronymus Epistolâ ad Algasiam quæst. 9. vertunt. Vide Cornelium à lapide. Sunt alij qui affirment rationem hujus confirmationis consistere in negatione Divini concursus ad peccandum, atque ita Gratiam omnis prædictæ confirmationis esse physicam peccandi impossibilitatem. Non apparet tamen id asserendi sufficiens fundatum præterquàm.

De Beatissimæ Virginis confirmatione in Gratia.

7. Quam post suum Filium habuisse certò crediderim omnimodam, absolutam, & antecedentem impossibilitatem peccandi; nec tamen caruisse sufficiente ad meritum libertate, quando voluntas ejus à peccando abstinebat: Quemadmodùm (cum aliquâ velut proportione) Christus post datum sibi à patre subeundæ mortis rigorosum præceptum non potuit, propter absolutam peccandi impossibilitatem, illud aut recusare, aut non exequi, sed ei tamen & liberè & meritoriè obtemperavit; ut bene Theologi probant & explicant, cum impeccabilitate libertatem ejus conciliantes: Quod nos in tractatu de Incarnatione facere conati sumus lib. 10. cap. 5. & sequentibus. Notandum verò est impeccabilitatem in Christo ex pluribus capitibus oriri potuisse. Primò quidem ex aliquo voluntati extrinseco, nec eam immediatè determinante; nimirùm ex vnione hypostaticâ; quæ, cùm non sit data ad operandum, non ponit formaliter per se ipsam ullum auxilium, vel quicquam intrinsecum in voluntate humanitatis assumptæ. Eamque relinquit eo modo se habentem, quo se haberet sine vnione ipsa. Secundò impeccabilitas oriebatur in Christo ex aliquo intrinseco voluntatem determinante; sivè illud esset in intellectu, quo modo Beatos visio Dei reddit impeccabiles; sive esset in ipsa voluntate, quo modo Divinus amor efficax, quamdiu est, non potest pati ut fiat peccatum. Itaque dubium esse non potest, quin Christus Beatificam habens cum vnione hypostatica visionem, & eum qui ex hac sequitur Divinum amorem, esset eatenus summè impeccabilis. Sed difficultas est illam impeccabilitatem conciliandi cum ejus libertate, pertinens ad prædictum de Incarnatione tractatum.

8. Sic, inquam, cum aliquali proportione (ob quam Dei Mater si non referre perfectè Filium, saltem cum quadam similitudine referri potest ad Filium) veram habuit ex duplici item capite impossibilitatem peccandi. Primò quidem ut hanc impossibilitatem habebat ejus Filius ex vnione hypostatica; sic & illa ex Divina maternitate, quæ quidem est voluntati extrinseca; nec eam intrinsecè afficere potest ac determinare: Sed tamen ex ea maternitatis dignitate ortum esse puto decretum, quo Deus Pater hanc suam sponsam (quæ communem secum habitura erat Filium) sicut voluit impeccabilem esse in Adamo; à cujus pacto (ut mihi certius est) illam exemerat; sic eandem in se ipsa impeccabilem esse voluit, non passus eam accipere ex Adamo fomitem peccati, seu concupiscentiam quæ parit peccatum. Secundò, quemadmodùm Christum (ut putà comprehensorem simul ac viatorem) beatifica visio & ex hac emanans summus ac Divinus amor ab omni essentialiter alienum culpa reddebat: Sic & hanc ejus parentem quædam velut evidentia latentis in Filio Divinitatis, & per lucidissimam fidei obscuritatem (ut cum Dionysio loquar) totius Trinitatis agnitio certissima atque ex tam sublimi sapientialique notitia maternus semper emicans erga talem Filium amor, reddebat omnis immunem peccati possibilis. Atque hinc fit Deum in aliquâ occurrente occasione peccandi, paratum ad id concursum nullum habuisse, quem Virgini offerret impeccabili & ejusdem cum ipso parenti pignoris. Quo modo efficitur illam omnino constitutam fuisse in absoluta & antecedente necessitate non peccandi; cum qua necessitate difficile videtur conciliare libertatem sufficientem ad meritum abstinendi à peccato.

9. Quamobrem recurrendum est ad eos ferè modos qui exponuntur in Tractatu de Incarnatione ad salvandam in Christo libertatem, & meritum in exequendo subeundæ crucis mandato; cujus expediendæ difficultatis modus ille non valet si quis asserat Deum sic excitare posse voluntatem aliquam, ut non habeat paratum duplicem concursum quem ei offerat, sed ut oblato concursu tantum vnico eam determinet ad obediendum. Is quidem modus sufficit ut peccatum certo evitetur; at non ut evitetur liberè atque meritoriè; potest enim peccatum impediri per meram spontaneitatem voluntatis, itaut

non sit facultas ad oppositum: Quo modo Beati voluntatem habent non peccandi, sed ea voluntatis spontaneïtas seu libertas opposita soli coactioni non sufficit ad meritum; licet eam solam in Christo fuisse ad exequendum subeundæ mortis imperium Nominales quidam opinentur. Hoc errore exploso nos hic jam quærimus modum, quo voluntas cui sit absolutè impossibile omittere quod jubetur, vel facere quod prohibetur, queat cum illa impossibilitate peccandi liberè ac meritoriè abstinere à peccato, obtemperateque mandato. Ad quod libertatis genus primò dubitari non potest quin sit necessarium ut duplex aliquis offeratur à Deo concursus; sicque inter duo hinc & inde possit fieri electio. Notandum verò est concursum illum duplicem non debere offerri ut voluntas quæ sit impeccabilis, possit eligere alterutrum aut velle peccare, aut velle non peccare; qualis concursus duplex non offerebatur Christo, ut absolute aut vellet mori, aut vellet non mori. Atque ita Beatam Virginem, quam dico fuisse absolutè impeccabilem, tales assero duos nunquam habuisse sibi paratos concursus, ut posset vel peccare vel non peccare. Sed longè aliter duo potuerunt oblati esse concursus, itavt quamvis in obediens esse non posset; tamen liberè ac meritoriè obediret. Quod sic explico, ut sequitur.

Quomodò Beata Virgo cum impossibilitate peccandi potuerit mereri non peccando.

10. Nam si id quod non potest omitti sine peccato non injunctum sit pro certo determinatoque tempore; quemadmodùm Christo mors injuncta sic erat, ut quocumque decurrentis vitæ suæ tempore obiri posset. In eo casu absque violatione præcepti quod à patre acceperat, poterat quando ad trigesimum quartum ætatis annum pervenit, mortem non admittere, sed ad trigesimum quintum vel quadragesimum, &c. eam differre; quemadmodùm & eam aliquot annis potuisset antevertere. Quando igitur illam tunc elegit, non mortuus est necessariò, sed liberè. Tunc enim potuit dicere, volo jam mori; potuit & dicere, non volo jam mori: Quomodò ea, quam re fecit, electio non cadebat propriè in tempus, sed in mortem; nec proprie dicere debebat volo hoc tempus; quid enim hoc significaret? Sed valdè propriè dicere potuit, volo hoc tempore, & eligo subire mortem. Hic modus conciliandæ libertatis cum impeccabilitate potest suo modo Virgini impeccabili applicari, quoties præceptum aliquod Divinum eo tempore implebat, quo tempore illud non vrgebat.

11. Sed quia ille modus per electionem temporis non valeret, si Deus præcisè determinasset tempus; exempli gratiâ, Christo mortem determinatè anno vitæ ejus trigesimo quarto obeundam præcepisset, aut si Christus expectasset vsque ad vltimum tempus sibi ad vivendum à Patre concessum, post quod executio præcepti differri non posset, propterea alius conciliandæ libertatis cum impeccabilitate modus quærendus est, relictis cæteris quibusdam modis minus probabilibus. Ille verò videtur idoneus ut nempè quo instanti vrget præceptum fiat electio diversarum virtutum ex quarum non jusso motivo id perficiatur quod jussum est. Ita potuit Christus mori non tantum ex motivo charitatis, erga Deum Patrem, sed etiam ex motivo obedientiæ, misericordiæ, justitiæ, itavt mors ei libera esset ob liberum in illa subeunda motivum. Qua de re tota nos egimus prædicto libro 10. de Incarnatione cap. 8. & 9. Id autem omne quod de Christi libertate impeccabilitateque dicitur, applicari ferè potest Beatissimæ illius parenti. Quæ cùm fuerit Prædestinata Mater Dei in eodem signo, in quo Christus juxta probabiliorem sententiam decretus est ante prævisionem peccati Adæ; consentaneum est, ut destinata tunc fuerit ad peccandi summam & metaphysicam impossibilitatem. Aio igitur, cùm illi necessarium erat occasione vrgente aliquod non omittere præceptum, potuisse ipsam id implere ex motivo seu solius charitatis, seu etiam obedientiæ, religionis, &c. In quo casu dum ea injunctum à Deo opus (verbi causâ, misericordiæ) ob summam impeccabilitatem vitare non poterat, nihilominus (quod est ænigmati simile) quam necessariò actionem eandem exequebatur liberè; libertasque ab electo sivè religionis sivè obedientiæ motivo ad jussum misericordiæ derivari poterat opus.

12. In nostram doctrinam, quâ in Beatissima Virgine libertatem cum impossibilitate peccandi eodem modo quo in Christo ut homine conciliavimus, incidit omnino Herice disp. 24. nu. 30. & 31. dum ipsi Virgini cum proportione idem tribuit quod ipsi in æternitate Deo. Qui licèt quoties operatur necessitetur ad honestum actum: Potest tamen cùm destinat aliquid operari, unam præter cæteras virtutem eligere (putà Misericordiam, Iustitiam, &c.) ex cujus operetur motivo. Ita ut si haberet superiorem, à quo præmium posset expectare dignus eo foret propter liberam talem honestatem. Affert idem author num. 31. illud ipsum quod nos attulimus exemplum Christi ut hominis libere morientis. Atque per hæc duo exempla intendit ille ostendere quod nos hic asserimus, voluntatem Virginis Deiparæ potuisse habere absolutam impossibilitatem peccandi, & in non peccando libertatem ac meritum.

13. Non tamen approbo quòd illam in Virgine impossibilitatem peccandi prædictus Herice sola definit necessitate ad non peccandum saltem mortaliter, quemadmodùm antiquorum aliqui etiam locuti sunt, ut videre est apud ipsum disp. 24. cap. 2. & 3. Certum puto eam ne quidem venialiter potuisse peccare. Quin & addo consentaneum fuisse ut vi suæ ad Maternitatem Divinam Prædestinationis debuerit nasci confirmata in Gratia cum exemptione ab omni etiam imperfectione morali positiva, & cum privilegio peculiaris ad id præservationis Divinæ, neque illius Gratiæ privilegium differendum fuisse vsque ad conceptionem Verbi Divini. Sed concessum esse jam inde ab initio suæ productionis & in totum vitæ progressum. Id enim non repugnat, & illa Maternitas ad quam præelecta erat non minùs id requirit, quàm exemptionem à peccato originali, & exclusionem à pacto cum Adamo, quam exclusionem in Tractatu de Incarnatione satis me probasse confido. Libro quarto cap. 5. 6. 7.

14. Bene annotat Herice non satis esse ad significandam impeccabilitatem prædictam quod aliqui ex veteribus Theologis dixerunt, illam consistere in eo quod fomes peccati ligatus aut sublatus in Virgine fuerit. Aliud enim est hominem habere impotentiam peccandi & aliud habere ligatum fomitem aut sublatum. Nam Adamus, qui fomitem, vel omnino non habebat vel habebat ligatum, non fuit confirmatus in Gratia, nec impeccabilis. Apostoli verò è contra fuere confirmati in Gratia, & fomitem ha-

bebant (ut ex Pauli de se ipso confessione constat) non ligatum. Itaque cùm ad ostendendam Beatissimæ Virginis excellentiam, cui nulla alia potest esse comparabilis, asseruimus ei perfectam & antecedentem necessitatem nullo modo peccandi; voluimus illam non tantum caruisse fomite, & Gratias in omni occasione peccandi habuisse efficacissimas ne peccaret; sed nec habuisse oblatum sibi concursum ad peccandum.

CAPUT X.

Proponitur eorum Sententia qui supponentes Scientiam Mediam volunt electionem ad Gloriam antecedere meritorum prævisionem. Et præcipuè Suaris doctrina exponitur.

1. CUM videatur manifestum antecedentem electionem ad Gloriam non posse salvâ creaturarum libertate ab ijs explicari authoribus, qui Scientiam Mediam in Deo negant, nobis nulla deinceps cum talibus necessaria est disputatio. Supersunt igitur ij, qui Scientiæ Mediæ usum huic Prædestinationis mysterio admiscentes electionem ante præparationem mediorum, & per consequens ante prævisionem meritorum absolutam, non sine specie veritatis, nec sine aliqua probabilitate constituunt. Quam doctrinam omnium optimè ac distinctissimè Suares explicuit libro 1. de Prædestinatione cap. 8. & seqq. item opusc. 8. lib. 3. cap. 16. & seqq. ex quibus locis habetur eum sic totum hujus negotij in mente Divina progressum ordinare; ut quædam rationis instantia seu signa distinguat. Et quidem post constitutos in primo signo essentiales actus cum intellectus, tum voluntatis; quibus Deus novit & amat suorum attributorum essentiam, & creaturarum possibilitatem; asserit illum in secundo instanti habere conditionatam rerum contingentium notitiam; quæ nec essentialis sit, nec libera, sed media inter essentiales actus in præcedenti signo constitutos, & inter liberos seu contingentes qui immediatè in signis sequentibus collocantur.

2. Post hæc duo prima signa, quæ nos eodem quo Suares modo admittimus; & quæ nullus non videt esse specialiter eidem Suari necessaria ad stabiliendam eam de Prædestinatione sententiam, quam intendit. Nisi enim Deus possibilitatem & hominum & eorum gloriæ præintelligeret, non posset illos ad gloriam destinare; nisi verò Scientiâ Mediâ instructus esset, non posset eos destinare per eorumdem merita absolutè & efficaciter, antequam signum & instans rationis, quod mox quarto loco ponetur præterijsset: Quemadmodùm ille ipse author doctè & graviter explicat lib. 1. de Prædest. cap. 7. Post prædicta ergo duo signa, ponit hic author immediatè in tertio signo electionem omnium eorum Angelorum & hominum, qui de facto salvabuntur; quâ Deus illos absoluto & efficaci decreto destinet ad gloriam; non quocumque confuso modo sumptam, sed ut determinatam in tali vel tali gradu. Ita ut ingens quædam sit vi illius decreti futura Beatorum varietas, quoad illorum ordines. & velut Hierarchias: Et tota eorum multitudo tùm in suo determinato numero, tùm in singularum partium distributione atque collocatione, proportionem divinissimam habeat instar theatri cujusdam celeberrimi, optimèque per sedium discrimina ordinati; seu instar convivij, Senatus, aut consessus politici; in quo, dùm non æqualis est omnium conditio, per singulas personas ascendat, cùm meritorum dignitas, tùm gloriæ gradata majestas.

3. Interim dum in hoc tertio rationis signo Deus unicuique nominatim suorum electorum parat honoris gradum, prædefiniens eorum singulis actus meritorios; per quos ad gloriam destinatam perveniant; omnes alios & Angelos & homines prætermittit; & quamvis à suo decreto non positivè excludat, in illud tamen non introducit; nec enim eos operis illius velut politici proportio necessarios habet, sed ipsis carere potest; imo eorum velut abortivorum & supernumerariorum accessu totus ille cœlestis apparatus atque consessus aliquo videretur modo perturbari, formamque mutare. Hos ergo qui sic prætermissi fuerunt, fatetur prædictus author in isto tertio instanti reprobatos negativè fuisse; quatenus absolutum illud & efficax salvationis decretum non ingrediuntur. Ne tamen illis spes salutis per antecedentem impossibilitatem præscindatur, vult Deum erga ipsos in hoc rationis instanti eatenus esse bene affectum; ut eos posse admitti ad salutem velit, si ipsi non recusent ingredi. Unde vides posse juxta hanc doctrinam aliquo sensu dici istos non esse in hoc priori omnino reprobatos & penitus contemptos, solique desperationi relictos: Cum possint antecedenter salvari æque ac ipsi electi; & sint positivè, (quamquam sub conditione, si velint) admissi in aliorum consortium; & sit paratus Deus illam exactam proportionem, quam in Beatorum Hierarchijs antecedenter destinarat, eatenus variare, ordinesque ipsorum Beatorum augere.

4. Deinde in quarto rationis instanti venit Deus vi præcedentis intentionis ad destinationem mediorum, quæ respectu electorum sint infallibilia & efficacia, (quod sine ulla creatæ libertatis fraude potest per usum Scientiæ Mediæ) ita ut quæ per talem scientiam prævidet (si dentur) effectum sortitura, seligat studiosè cum absolutâ intentione ut sortiantur effectum; paratus alia seligere, si hæc irrita fore prævideret; unde dicuntur esse antecedenter efficacia media ex parte Dei; quatenùs nempè dantur, ut prædictæ subjacentia, quà prævisioni quà efficaci intentioni. Quæ autem reprobis destinantur, sunt quidem illa sufficientia & antecedenter possunt effectum sortiri, eadem, imo nonnumquam majori facilitate, quam illa quæ dantur electis. Carent tamen ex parte Dei efficacitate quâ subjaceant præscientiæ intentionique peculiari prædictæ: Cum igitur Deus providet electis ac reprobis suâ his & illis media secundum exigentiam & mensuram præsuppositæ circa utrosque intentionis; hanc eligit præsentem rerum seriem inter alias omnes possibiles; in qua præintelligit omnes suos electos nacturos Gratias efficaces; alios autem omnes (qui simul cum electis, velut cum fructibus folia nascentur) sortituros Gratias sufficientes, quibus possint, nisi per ipsos stet, ad salutem pervenire; esto, non sint perventuri.

5. In quinto demum instanti postquàm Deus absolutâ prævisione advertit quorsum tandem hoc totum negotium evaserit; ac electos quidem Gratijs bene usos, talemque gloriæ gradum promeritos esse; reliquos autem omnes Gratijs abusos oblatis;

& talem per peccata gradum damnationis meritos: Suo postremo decreto absoluto, & efficaci examinatis singulorum causis, hos quidem ad tantam Gloriam, illos verò ad tantam damnationem destinavit & irrevocabiliter ordinavit. Diligenter advertendum est in hoc toto progressu, Suarem (quod ipse expresse admonet sibi summèpero placere) duo ponere Dei efficacia decreta circa electos: Vnum quidem, ut supra vidimus, in tertio instanti, ante mediorum præparationem ac meritorum absolutam prævisionem; alterum autem in hoc quinto (ut jam dicebam) instanti post prævisionem meritorum. Pro hac sententia plurimi Theologi adducuntur, ex antiquis, Magister, Divus Thomas, Scotus, Durandus, &c. Sed cum hi nec Scientiæ Mediæ fecerint mentionem expressam, nec rem ita enuclatè, ut Suares, exposuerint, non possunt dici ejus apprimè sententiam docuisse: Quamquam cum ipso eatenus conveniant, ut ante meritorum prævisionem constituant electionem ad Gloriam; ac velint media efficacia, quâ talia, præparari electis ex intentione absoluta eos perducendi ad gradum Beatitudinis prædefinitum.

6. Inter illos, qui Scientiam conditionalem admittunt, secuti sunt opinionem de factâ Prædestinatione ad Gloriam ante prævisionem meritorum Bellarminus lib. 2. de Gratia & lib.arb. cap. 15. qui vult suam sententiam esse de fide, Toletus in cap. 8. Epist. ad Romanos annotat. 31. Salmeron to. 4. 3. parte, tract. 14. Enriques de fine hominis cap. 11. Pererius in cap. 8. ad Rom. disp. 24. Ruis, Ariaga, Granado, alijque multi: Quorum nonnulli contra Suaris sensum addiderunt eo ferè modo, quo Bellarminus, opinionem hanc certam esse in summo gradu; conformiter ei quod aït Divus Thomas quæst. 6. de veritate art. 3. *esse contra Scripturam, & Sanctos Patres, si quis afferat non electione, sed solâ præscientiâ discerni prædestinatum à non prædestinato.* Sed quomodò sit, ut puto, verissimum quod ibi aït Sanctus Thomas, dicam infrà suo loco. Fundamenta prædictæ sententiæ peti possunt ex Scriptura & ex Patribus ac præsertim ex Augustino, nec non ex ratione. Eademque ferè sunt quæ superius allata fuerunt cap. 6. Sed ab authoribus nostris longe plausibiliùs per vsum conditionatæ scientiæ absque libertatis creatæ detrimento proponuntur. Vnde formari potest hoc argumentum: Nam cum in Scriptura electio ante merita, secundum Augustini aliorumque Patrum explicationem, tam frequenter & tam clarè significetur; atque id ad perfectionem Divinæ Providentiæ multùm faciat; aliunde verò possimus [illegible] eam salvâ libertate facile explicare; præferenda videtur ista sententia ei quæ censet meritorum prævisionem antecedere absolutam electionem ad gloriam. Ut hanc, quomodò Suares explicavit, sententiam validius posteà oppugnare possimus, juverit quasdam leves infirmasque rationes priùs exponere atque coarguendo dissolvere, quibus eam incassùm aliqui evertere tentaverunt.

CAPUT XI.

Non bene ab aliquibus impugnatur superior doctrina Suaris.

1. AB hac Suaris aliorumque prædictorum opinione multi abhorrent non tam ratione, quàm rationis quadam perturbatione: Quia nimirùm de electione ante prævisum vsum creati arbitrij factâ cogitare non possunt; quin se ad desperationem impelli sentiant. Quod melius ad sui imbecillitatem ingenij, quàm ad Theologicæ opinionis invidiam referrent: Quasi verò ex humana infirmitate, firmum hac in re, nisi aliud sit, erui queat argumentum. Non sunt quibuslibet apta mortalium cogitationibus Divina mysteria; præsertim autem illa imbecillos animos terrent quæ in æternitatis Divinæque Providentiæ apice consistunt; & in quibus de summa nostrarum rerum cum tanto eventus momento atque periculo agi intelligitur.

2. Quare miror, quod Lessius tam gravis eximiusque Theologus tantùm humanæ quorundam tribuat infirmitati; qui passim dicunt, si ita est ut Suares opinatur, nihil prodest nobis studium & cura operandi salutem nostram: Si Deus me prælegit, non est quod metuam: Si omisit, non est quod sperem. Non bene ab istis attenditur vis conditionatæ Scientiæ, quâ Suares & cum eo alij volunt, Deum vti velut instrumento totius circa electos executionis; quod autem ad reprobos attinet, non item satis attenditur, quomodò illos Deus vi antecedentis voluntatis, quâ vult omnes homines salvos fieri, in eo relinquat statu, in quo perinde salvari possint, & per inde se intrinsecè habeant; ac si hanc ipsam seriem, absque vlla prius facta electorum discretione, sed eodem ipso modo quo asserit Lessius, sortiti essent. Quod Suares in Lessij opinione mutat, solos ad Beatos pertinet; circa reprobos nihil immutat; sed in eodem ipsos, quo Lessius, relinquit statu.

3. Ex his intelligitur quàm item invalidum sit argumentum illud præcipuum, quo Vasques disp. 89. cap. 10. & Valentinus Herice tract. 3. disp. 23. cap. 9. alijque vtuntur contra electionem antecedentem merita: Nempè quia non relinquitur à Suare libertas electis consequendi aut amittendi Beatitudinem; sed imponitur eis necessitas antecedens, ut salventur. Nam in eo signo (inquiunt) imponitur necessitas, in quo ponitur efficax, & absolutum Dei decretum: At in Suaris doctrina tale decretum ponitur in signo antecedente prævisionem consensus, quo electi se determinent: Ergo, &c. Confirmatur hoc argumento clare ita proposito. Vt illud absolutum decretum in Deo sit aut non sit, nequaquam est in potestate electorum: Sed nec, ut eo posito gloriam ipsimet consequantur, vel non consequantur; ergo illud decretum pugnat cum libertate in ordine ad assecutionem gloriæ, non minus quam Physica Prædeterminatio. Non enim propter aliud Prædeterminatio Physica evertit libertatem, quàm quia non pendet à creaturis ut ea ponatur, vel non ponatur; supposito autem quod posita sit, non potest cum illa conjungi dissensus creaturæ. Ad hæc argumentum & ejus confirmationem respondetur: nihil afferri, quod valere possit, si attendatur vis

Scientiæ Mediæ, de qua non est hîc fusè disputandi locus. Quod de Prædeterminatione Physica adducitur non est ad rem. Nec enim eodem modo, quo per illam, necessitas antecedens dispendiumque libertatis inducitur per usum Scientiæ Mediæ. Vt alibi ostenditur, cum de natura Scientiæ Mediæ ex professo tractatur.

4. Non minùs invalidum est istud aliud argumentum, quo maximè idem Vasques illo capite decimo, & alij fundantur: Si Deus, inquiunt, ab æterno non habita ratione meritorum, sed merè gratis decrevit Petrum tali tempore beare; sequitur, quòd etiam si ipse Petrus posteà merita habeat, non tamen ei retribuet Deus gloriam intuitu talium meritorum. Alioqui decreto non responderet executio: & Deus vi alterius propositi supponentis merita, operaretur. Primum autem consequens adversatur Scripturæ, quæ testatur meritorum nostrorum efficaciam; & asserit gloriam reddi electis, ut mercedem & præmium. Respondetur Vasquem sibi malè persuadere, istud à se factum argumentum torquere malè adversarios, ut ipse loquitur. Nam id argumentum, ut optimè Suares explicat cap. 8. nu. 26. nihil aliud in se continet quàm æquivocationem in applicatione illius termini, *gratis*. Cum enim asseritur Deum ab æterno decrevisse *gratis* dare Petro gloriam; adverbium *gratis* cadere potest vel in ipsum actum decernendi, qui sit gratuitus; vel in objectum decreti, hoc est in gloriæ dationem, quæ nimirùm decernatur, ut gratuita. Procedit argumentum Vasquesij, quasi opinio, contra quam agit, loqueretur non in primo sed in secundo sensu; cùm tamen contrarium accidat.

5. Nam vult Suares Deum ab æterno in priori, quàm prævideret absolutè merita, elicuisse gratis decretum dandi Petro non gratis gloriam; hoc est illam dandi ut antidotalem, ut mercedem, ut coronam, & præmium. Non enim repugnant illa duo, quod Deus in æternitate gratis eligat ad gloriam secundum ordinem intentionis, & tamen quod exequendo illam ipsam intentionem non conferat gloriam gratis, sed ex justitia. Ita potest aliquis habere gratuitam, & quæ ex mera amicitia procedat, voluntatem tibi vendendi (hoc est tribuendi non gratis, sed sub conditione justi pretij) rem quam, utpote sibi commodam, vendere alijs recuset. Gratuitum ergo poterit esse, quòd Deus (cùm æquè potuisset Iudæ) voluerit specialiter Petro gloriam ut meritis acquirendam. Ex superiùs dictis apparet nec valere, quæ velut argumenta à priori idem Vasques affert cap. 9. §. secunda ratio, & §. tertia ratio. Ea enim solvuntur facilè ab illo, qui usum Scientiæ Mediæ ut par est attenderit. Nisi ergo aliæ rationes præter supradictas obstarent, non dubitarem in Suaris ire sententiam; Attamen omnibus perpensis ea mihi videtur improbanda esse sententia ob rationes quas cap. sequenti proponemus.

CAPVT XII.

Refutatur Electio ad Gloriam ut explicatur & defenditur à Suare.

1. CONTRA istam Suaris de absoluta & efficaci Prædestinatione doctrinam solent quidem multa è Scripturis sacris & sanctis Patribus asseri, quorum selectiora nos quædam infrà proponemus, quandò sententiam nostram de electione ad gloriam prævisis tantùm meritis faciendа stabiliemus cap. 2. & 3. libri sequentis. Sed nunc placet primò directiùs ac immediatiùs, quasi ad hominem, ratione argumentari, & suis patrem Suarem vestigijs insequi; eo ipso quo ille procedit ordine, singula considerando, quæ in hujus mysterij Divino progressu distinguit rationis instantia, sive signa; ut ostendam quam ea signa videantur ἀσύςατα atque secum pugnantia, & parùm cum synceritate amoris quo Deus vult omnes homines salvos fieri, connexa. Excellens itaque hic Theologus duo præsupponit signa in quibus primò quidem Deus per scientiam essentialem cùm attributa sua, tùm omnium possibilitatem creaturarum novit; ac secundò per Scientiam Mediam conditionatos omnes rerum eventus intelligit. Quæ nos duo rationis signa inficiari non possumus. Deinde ponit in tertio instanti Electionem, quâ Deus ex omnibus & Angelis & hominibus existentiam habituris (quos omnes nullo excepto vult syncerè salvos fieri) quosdam sibi præ cæteris specialiter complacitos, nullis eorum attentis meritis, sed ex solo suæ bonitatis motivo destinet ad gloriam efficaci absolutoque decreto; cæteros verò infinitis ferè partibus plures prætereat; & non quidem positivè, sed quasi negativè excludat, instruendos tamen sufficientibus auxilijs, quibus licèt uti possint, infallibiliter tamen non sint usuri neque salutem obtenturi.

Difficultas circa tertium instans positum à Suare.

2. Circa hoc quod in tertio rationis instanti esse asseritur, Divinum decretum absolutum, quo Electi discernuntur, occurrit primò id admirabile: quòd ex se ipso Deus, cùm de fide sit ipsum velle omnes homines (& idem erat de Angelis in statu viæ) salvos fieri, tam paucos tamen, homines non alio ductus motivo, quàm suæ voluntatis, elegerit ad gloriam; & reliquos omnes infinitè plures in eo statu deseruerit, in quo per Scientiam Mediam sciebat infallibiliter æternis devovendos esse supplicijs. Nec valet, si dicatur illos Gratiarum adjumenta sufficientia habuisse. Id enim eorum auget miseriam, & nostram admirationem; quod ipsis Deus (infinitas habens in manu sua efficaces, quas dare poterat) eas tantùm Gratias inefficaces reliquerit, quibus caruisse meliùs illis esset; cùm si eas non habuissent minùs graviter peccavissent. Quis verò concipere potest, id genus derelictionis, & negativæ (ut Suares loquitur) reprobationis compatibile esse cum syncero Dei erga illos amore? Dices. Quandoquidem experientia ostendit rem ita evenisse, ut præ salvatis infiniti ferè damnati sint, talis euentus nullam debet habere admirationem. Quocumque enim modo in omni opinione supponere velimus factam esse à Deo Prædestinationem, eundem inveniemus nec alium hujus negotij exitum; eundem nempe salvatorum, eundem damnatorum numerum. Respondetur. Si Prædestinatio absolutè non fuisset primùm facta sine cōsideratione meritorum; tota ratio ejus eventus qui extitit, illiusque tantæ inæqualitatis quæ est in numero electorum & reproborum, ad ipsorummet bonorum

merita demeritaque referretur; non autem odiosè ad antecedentem Dei voluntatem; qui in eo casu primam horum illorumque discretionem quoad gloriam non fecisset absolutè & efficaciter, antequam de eorumdem operationibus judicasset. Quid verò mysterij & admirationis contingat vere in distributione efficacium & inefficacium gratiarum, & in discretione Electorum à Reprobis, exponetur posteà suo loco.

3. Notandum porrò in tertij hujus instantis Divino Prædestinationis decreto absoluto & efficaci; cùm non factum fuerit ex motivo meritorum; debuisse quodpiam aliud esse tunc motivum; solam nempe cùm personarum acceptione bonitatem, misericordiam, & puram Dei voluntatem; vi cujus efficacis voluntatis & decreti debuerint salvari absolutâ necessitate omnes illi, qui electi fuerint. Dices. Sed in executione secundum novumque accessit decretum cum novo motivo; nempe meritorum, quæ necessariò Deus voluit posteà procurare. Atque ita duo quoad Electos fuerunt prædestinandi decreta; unum gratuitum omninò,& puræ liberalitatis; alterum antidorale atque justitiæ. Verùm contra id occurrit objiciendum; Si ita est, vt necessariò debuerit novum accedere justitiæ motivum, & fieri decretum alterum absolutum & efficax; quid attinebat præcedens fieri liberalitatis decretum; cùm ad totum mysterium Prædestinationis, & ejus executionis sufficientissimum fuerit secundum ex motivo meritorum efficax absolutumque decretum? Præterea non ita facile est (imò Vasquesij nec non Herice aliorumque judicio est impossibile) conciliare simul ea duo motiva liberalitatis, atque justitiæ; ut verbi causâ, ex pura liberalitate donem tibi meum equum justo ejus accepto pretio.

Difficultas circa quartum instans Suaris.

4. Deinde quoniam ad secundum in executione decretum prædictum necessaria fuerunt merita, quæ nisi datis à Deo gratijs obtineri non possunt; ponit Suares in sequenti quarto rationis instanti distributionem Gratiarum. Vbi maxima difficultas apparet contra factam in tertio instanti discretionem Electorum Reproborumque ante respectum ad merita. Nam cùm in præcedente Prædestinationis decreto appareant duæ hominum quasi classes; una prædilectorum seu prælectorum; & altera illorum quos Deus omissos non ad id dilectionis electionisque vocavit privilegium; omnem superare videtur admirationem; quomodò priori illi hominum divisioni per decretum efficax ex pura Dei voluntate factæ, respondere potuerit in distributione Gratiarum talis eventus; ut vniversi qui erant in ordine Electorum, Gratias efficaces acceperint, peculiari scilicet studio Dei per vsum Scientiæ Mediæ: Qui autem infiniti in ordine prætermissorum nec specialiter Electorum erant; ijs Gratiæ nullæ nisi irritæ, & quas per Scientiam Mediam ab ipsis refutandas esse infallibiliter Deus prævidebat, evenerint. Quod in tanta multitudine hominum, & tanta Gratiarum, quas æquè in manu sua Deus habebat, diversitate non videtur fieri potuisse, nisi reprobis istis Deus inutiles & inertes Gratias de industriâ elegerit & ab efficacibus dandis sciens ac volens caverit. Auget eam suspicionem id quod ait Suares, Deum magnâ quâdam & pulcherrimâ proportione apud se descripsisse consessum cœlestem; ad cujus apparatum nullo modo alij necessarij sunt aut admitti queunt præter specialiter Electos; nisi tollatur ea proportio, in quâ omnia prædefinita sunt.

5. Nec verò audiendi sunt nonnulli, qui volunt Deum Gratias reprobis distribuisse, quasi cæco modo & perinde ac si non prævideret earum eventum. Nam contra primo. Non poterat Deus Scientiam Mediam, quæ veritatem conditionati eventus illi proponebat à se abigere; certumque est Deum quicquid facit non nisi attentissimè facere. Et secundo ea suppositâ absurditate, ut Deus cæco modo & quasi ignoranter, Gratias inutiles his à speciali suo amore exclusis distribuat; non apparet quonam casu prædictus eventus fortuitò contingere queat. Nam cùm ea quæ casu eveniunt non nisi raro eveniant; quomodò fieri posset ut sine aliquo Dei consilio & attentione speciali tam sæpe omnibusque temporibus homines antecedenter reprobati ad triginta circiter millia millionum, Gratias inutiles acciperent? Objicies: Sed experientia ostendit, hoc ita casu accidisse ut nullus ex tanto numero reprobus alias Gratias, quàm eas cum quibus perijt, acceperit. Respondetur. Id quod re accidit non videri factum esse mero casu; cum præcessisse supponatur efficax Dei decretum, ad quod eventus qui extitit talem habeat relationem, proportionemque tam exactam.

6. Quod ut intelligatur, advertendum est, quando res aliqua consideratur absque vlla præsuppositione, sed ex solo eventu, neminem mirari debere, cur nihil eorum quæ certo aliquo modo evenerunt alio modo evenerit. Exempli Gratia, si ex toto quodam exercitu nocente ac majestatis reo educendi forte essent quingenti morte plectendi; eductis re ipsâ quingentis, nemo posset mirari sortitione simpliciter factâ, cur hi educti essent, & non horum loco alij. At si accidisset ut illi præcisè quingenti anteà fuissent inimici ejus qui sortes distribuisset; justa foret suspicio, hunc datâ operâ occultè fecisse, ut sortes hæ funestæ super illos omnes & solos præcisè caderent. Sic inquam, quòd infinitus numerus hominum re ipsa mortuus sit absque Gratia finali & damnatus, mirum non est; cum non appareat alia causa, quàm illorum ad id sufficientissima libertas. At si illi ipsi merâ Dei voluntate (ut fert Suaris opinio) fuissent anteà per omissionem exclusi à numero specialiter Electorum ac Prædestinatorum; mirum esset id quod tandem fuit contigisse absque Dei consilio, nec nisi consequenter ad præcedentem quasi factam ab ipso designationem.

7. Occurrit etiam hic attendendum, quod promiscuè tam Electi quam reprobi magnam vitæ suæ partem, multi quidem in statu peccati mortalis, multi autem in statu Gratiæ trāsigant;& interim omnes subjaceant efficientiæ causarum naturalium, quæ quantum est de se non sunt Electis quam reprobis æquiores, magisque propitiæ. Incredibile ergo est, ut ordo naturæ nesciens discrimen quod Electi & reprobi in æterno Dei decreto habuerunt, nunquam eos quos decretum ad gloriam elegerat tollat è vita quandiu sunt in malo statu; reliquos autem, quos decretum non elegerat, nunquam auferat quandiu sunt in statu Gratiæ: sed præstoletur donec sint in statu damnationis & in eo statu semper illos obruat. Quis non videat necessariam ad id esse directionem & Providentiam Dei; ut procuret eos eventus qui respondeant exactè suo primo decreto discretionis?

Difficultas circa quintum instans.

8. Veniendum jam nobis est ad quintum & vltimum instans, quod Suares in hoc mysterio proponit. Hoc instanti novum apparet Dei motivum, nouumque ex consideratione meritorum decretum; quod (ut supra monui) solum sufficere potuisset; cùm in eo decreto hujus omnis negotij πιεζπίτεια consistat: Quare superfluum est quod prius fuit initio decretum, imo nec quoad Electos, nec quoad reprobos illa duo decreta bene inter se convenire possunt. Non quoad Electos. Quia in hoc novo faciendo decreto examinatur inutiliter & inquiritur, nùm hi conditionèm (*sine qua non*) omnino necessariam impleverint, ut inscribi possint cœlesti Regno: Cùm tamen jam inde ab initio & à primo decreto ipsis Electis absolute independenterque à meritis & ex mera liberalitate Divina Regnum cœleste adscriptum esset, nec posset eis jam denegari, nisi primo contradiceretur absoluto efficacique decreto, imo cum illius vi decreti non possent deesse merita. Non etiam quoad reprobos istud secundum decretum necessarium fuit. Nam cum illos Deus vi prioris decreti non admittebat in specialem amicitiam suam, & illos cum Gratijs relinquebat, quas nolebat efficaces dare; hoc ipso videbat conditionem damnationis certissimam, nempè defectum meritorum, quare jam judicati erant: Et cum per Scientiam Mediam in Dei cognitione conditio damnationis purificata sufficienter esset; damnationis voluntas conditionata transiverat in absolutam.

CAPVT XIII.

Circa Prædestinationem à Dei simul gratuita liberalitate, ac nostrorum meritorum adjunctione pendente.

MORALIS CONSIDERATIO.

1. SI apud orthodoxos ea valere posset opinio quæ assereret totum Prædestinationis mysterium ex solo Dei pendere beneplacito, non requisitis nostrorum meritorum suffragijs; quæ propter innatam creatæ libertati fragilitatem absque certo nequeunt esse damnationis periculo. Nostra sanè omnium salus indubitata esset, ut pote non alio nixa fundamento, quàm syncerâ immutabilique Dei charitate *volentis omnes homines salvos fieri:* Neque ab illorum penderet voluntate, qui osores animæ suæ recusant salvi fieri. Verumtamen præjudicatum illud, antecedensque merita Prædestinationis genus, non foret Divinæ gloriæ conveniens, nec hominum laudi vtilitatique accommodatum. Quam enim anticiparæ illius Electionis beneficium laudem conferre posset hominibus, quibus merâ Dei gratuitâque liberalitate collatum fuisset immeritis? Quomodò glorianda foret sanctis ea gloriæ destinatio; quæ ipsis nihil ad eam juvantibus, nec quidem cogitantibus, fortuitò sortitòque solùm accidisset? Sed neque etiam Deo antecedens illud Prædestinationis genus in quo sola liberalitatis virtus exerceretur tam honorificum esset, ac illud aliud; in quo, vniuscujusque meritorum antegressâ consideratione, duarum simul virtutum Divinarum, liberalitatis scilicet atque justitiæ exercitium reperitur; imo præter justitiæ accessionem ipsamet Divinæ charitatis liberalitas duplicatur: Cum non ad solam gloriæ capacitatem atque spem elevata fuit gratis humana natura; sed præterea ejusdem fit liberaliter destinatio ad gratiam, quâ prius acceptâ, gloriam ipsam promereri possit.

2. Propterea cùm Sanctorum Prædestinatio firmum quidem habeat fundamentum in æterna illa immotaque charitate, quâ Deus vult omnes homines salvos fieri: Tamen illa ipsa voluntas (licet syncera firmaque sit) non est absoluta; sed illi qui gloriam consequi volunt adstringuntur conditione Gratiam vtiliter, (quæ nulli deest) suscipiendi; & per ipsam bonis operibus incumbendi. Quemadmodùm Apostolus Epist. 2. ad Timot. cap. 2. indicat cùm ait; *Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc; cognovit Dominus qui sint ejus; &, discedat ab iniquitate omnisqui invocat Nomen Domini.* Hoc nempè fundamentum Divinæ charitatis adjunctam requirens cooperationem eorum, quos ad Gratiam gloriamque vocat, duplici obsignatur muniturque signaculo. Prius signaculum est, *cognovit Dominus qui sint ejus*; quod est charitatis voluntatisque Divinæ. Alterum, quod ad hominum attinet cooperationem; *& discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini.* Prius verò signaculum, quod conditionatæ Divinæ voluntatis est, perficitur, & velut absolutum redditur; quando ea, ex qua pendet impletur secundi signaculi conditio; sine quâ prioris signaculi vis suspensa manet, ac sine vllo, qui nobis ad spem Prædestinationis prosit, effectu.

3. Cujus vtriusque mysterium signaculi, Scriptura etiam alibi confirmat. Nempè cum ille idem Apostolus Deum asserit per suæ misericordiam voluntatis *velle omnes homines salvos fieri*; dummodò scilicet ipsi salvos se fieri velint per adjunctionem suorum operum: Quomodò cum Dei misericordia simul judicij veritas justitiaque conjungitur. Misericordia quidem in eo elucet; quòd excluso nemine Deus omnes homines nullo eorum merito supra naturæ fastigium elevatos ad gloriam promerendam invitet. Veritas autem sivè judicium; quòd vniuscujusque opera bona quidem præmio, mala autem supplicio afficiat. *Semel locutus est Deus* (inquit David Psal. 61.) *duo hæc audivi: Tibi Domine misericordia; & quia tu reddes vnicuique juxta opera sua.* Hæc duo, sunt quasi vnicum semel loquentis Domini Verbum: Quia nobis vnum sine altero nec prodest, nec proponitur ab eo, cui misericordia & veritas vnum sunt, & tamen duo sonant. *Misericordia*, inquit Augustinus, *quia Deus placabilis est: Et veritas quia incorruptus est. Quorum vnum præbuit donando* (electis) *peccata: Alterum merita* (in rebrobis) *vindicando.*

4. Illud idem signaculum duplex, quod Paulus supra indicavit, nimirùm Dei misericordiam & humanæ cooperationis meritum, agnoverunt in Prædestinationis mysterio Sancti Patres tàm Latini, quàm Græci: Cum Divinæ liberalitati jungendos libertatis humanæ actus censuerunt. Sic in Ambrosij Commentario asseritur, non eandem rationem esse figuli sua vasa lutea fingentis, & Dei sua spiritualia vasa in honorem & gloriam destinantis. Verba in ejus Commentarij cap. 3. hæc habentur; *In figulo sola voluntas est; in Deo autem voluntas cum justitia; scit enim cujus debeat misereri.* Idem habet Hierony-

mus ad Hedibiam; & iterum Commentarius Ambrosij. *Poterant Hymenaus, & Philetus mundare sensum suum, si voluissent; vt fierent vas sanctificatum praparatum in honorem.* Et ipse Augustinus quantumvis electionem ad Gloriam velit antecedere præsensionem meritorum; vult tamen Gloriam non ita gratis dari, quin reddatur propter merita ut merces, ut præmium, ut corona. Atque ita illud duplex negare non potest, quod supra ex Paulo asseruimus, signaculum; nempè misericordiæ (*cognovit Dominus qui sunt ejus*) & operationis vitæque bonæ humanæ (*discedat ab iniquitate omnis qui invocat Nomen Domini.*)

5. Quare Sanctus idem Doctor in libro de Gratia & lib. arb. cap. 8. movet hanc, quam difficilem aït esse, quæstionem: *Si vita aterna bonis operibus redditur, sicut apertissimè dicit Scriptura; quomodò Gratia est vita aterna, gratisque datur?* Cui dubio non aliter se fatetur posse respondere; quàm quòd, *Si vita bona nostra nihil aliud est, nisi Dei Gratia; sine dubio vita aterna qua bona vita redditur, Dei Gratia est. Et ipsa enim gratis datur; quia gratis data est illa cui datur, sed illa cui datur, tantummodò Gratia est; hac autem, qua illi datur, Gratia est pro Gratia, tanquam merces pro justitia.* Vnde manifestè sequitur gloriæ concessionem per se & in se formaliter sumptam, non dari nec decerni purè ob Gratiam, sed rationem Gratiæ reperiri in sola bonæ vitæ meritorumque concessione; & denominationem Gratiæ convenire gloriæ, ut innixæ meritis per Gratiam concessis. Itaque ponit Augustinus in Prædestinatione duo decreta absoluta: Prius ante, & alterum post prævisa merita: Quo modo & Suares, post decretum antegressum cognitionem meritorum aït sibi valde placere, ut addatur secundum absolutum item decretum ex prævisis meritis. Vnde nascitur contra eum difficultas; quomodò prius & antegressum decretum huic secundo innixum, possit esse absolutè gratuitum.

6. Quod attinet ad Patres Græcos, dubium non est, quin electionem ad gloriam & merito libertatis humanæ, & simul Divinæ Gratiæ adscribant. Chrysostomus Homiliâ 16. in Epist. ad Rom. aït Apostolum comparatione vasorum (quæ sunt sivè in honorem, sivè in contumeliam) non ideò esse vsum; ut liberum nostrum arbitrium à mysterio Prædestinationis ableget, ὐ τὸ αὐτεξούσιον ἀναιρῶν τοῦτο λέγει. Et aliquantò pòst; Pharaonem aït suâ se ipsum voluntate fecisse vas in perditionem, Deo interim exhibente patientiam diuturnam, ut mutatus se faceret vas misericordiæ, si vellet. Et tandem quærens, vnde alij quidem sint vasa iræ, alij verò vasa misericordiæ? Respondet; *ex propria voluntate.* Vbi vides in Electis illum & misericordiam Dei, & meritum humanæ libertatis (quæ sunt duo ab Apostolo assignata Prædestinationis signacula) conjungere. Eodem modo Theodoretus ad cap. 2. Epist. 2. ad Timot. dicit vasa inanimata inter se distingui, naturâ prætiosæ vilisve materiæ; in hominibus autem vasa prætiosa discerni à vilibus solo voluntati discrimine ἐκεῖνα μὲν ἡ φύσις ἀπέχειν. ταῦτα δὲ ἡ γνώμη. Idem sentiunt cœteri omnes Patres: Inter quos fusè Origenes, Homilia 4. in libros Numerorum.

LIBER DUODECIMUS

De Electione ad Gloriam ex prævisis meritis.

QVANDOQVIDEM præcedente libro consideratis varijs modis, quibus Doctores aliqui censuerunt factam esse non prævisis à Deo meritis electionem ad Gloriam; illorum omnium opinionem rejecimus. Sequitur ut repudiemus itidem ex contrario quosdam erroneos modos, quibus nonnulli per excessum à prædictorum Doctorum sententia longiùs quàm oporteret discesserunt; & exponamus legitimum modum, quo post absolutam meritorum cognitionem, censemus Deum efficaci decreto aliquos in distributione Gratiarum à reprobis discretos, bonisque perfunctos operibus ad Gloriam destinasse. Quare 1. cap. illos procul amandabimus; qui non sine hæresi electionem ad Beatitudinem dependenter à meritis (sed independenter à Gratia) fieri voluerunt. Deinde 2. cap. probabimus ex Scriptura Electionem præsupponere meritorum examen. 3. Posteà cap. idem ex Sanctis Patribus adstruemus; & nominatìm Augustini expendetur opinio. 4. Exponetur quomodò Catholici Doctores abhorrentes à Semipelagiano errore variè censuerunt; nonnulli

nonnulli quidem cum Lessio Electos, ante præsuppositum aliquod ex parte Dei Decretum, seipsos à reprobis distinxisse, adjutos Divinâ Gratiâ: Alij verò Deum existimarunt illos discrevisse per Electionem ad Gratiam priusquàm ipsi quicquam operarentur. 5. *Explicabitur, quomodò facta fuerit illa discretio: Et qualis sit Gratiarum in hoc toto mysterio processus.* 6. *Quæ sit natura Gratiæ prædiscernentis Electos ab ejectis.* 7. *Differemus de confirmatis in Gratia; & quantùm inter illos excellat Beatissima Virgo.* 8. *Agetur de causis Prædestinationis.* 9. *De ejusdem effectibus.* 10. *De Reprobationis natura, & causis.* 11. *De Reprobationis effectibus.* 12. *De Libro vitæ & mortis. Vltimum caput erit pia meditatio circa Prædestinationis, reprobationisque mysterium. Hujusque totius clausula operis.*

CAPVT I.

Reijciuntur qui hæretico modo senserunt Prædestinationem ad Gloriam fieri post considerationem meritorum, naturalisve personarum conditionis.

1. POSTQUAM Prædestinationem hominum superiore libro fieri negavimus solâ Dei voluntate absque prævia discussione meritorum; superest, ut ostendere debeamus, quonam modo genus hoc Prædestinationis intelligendum sit, cùm illud ex hominum merito faciendum esse adstruimus. Sed priùs quorundam hæreticorum circa hoc repellendus est error. Et quidem primùm inter illos occurrunt Valentiniani; qui (ut Clemens Alexand. lib. 5. strom. refert) aiebant quosdam homines πνευματικὰς seu spirituales adipisci salutem, non Gratiâ & Electione Dei, sed naturâ suâ φύσει σωζομένας: Quemadmodùm è contra dicebant quosdam ὑλικὰς καὶ χοϊκὰς, hoc est ex materia terraque concretos, juxta suam reprobari naturam; itaque isti sicut Basilidiani atque Manichæi censebant, tantùm abesse, ut Deus ad Gloriam destinaret pro suo libito eos, quorum merita conditionemque nondum prænovisset; ut ex adverso crederent non alios salvari posse, nisi quorum naturali merito Beatitudo denegari non posset: Eosque omnes & solos reprobandos; quos naturaliter & essentialiter malos Deus prænovisset.

2. Illis adjungi debet Origenes; qui licèt in libro 3. περὶ ἀρχῶν & libro 1. in Epist. ad Rom. explicans prædictorum Hæreticorum errorem illos confutet. Nihilominus putavit omnium animas hominum fuisse simul ab initio creatas, ac pro diversitate bonorum aut malorum operum quæ in alia vita egerint, varios status fuisse sortitas in corporibus; & illarum aliquas intuitu talium operum fuisse ad Gloriam admissas; aliquas autem reprobatas; ut refert D. Thomas quæst. 23. art. 6. & Leo primus Epist. 11. vbi damnans Eutychetem qui videbatur asserere Verbum adduxisse de cœlo animam Christi: *Quod in Origene damnatum est* (ait is Pontifex) *qui animarum antequam corporibus insererentur actiones fuisse diversas asseruit; necesse est, ut etiam in isto* (Eutychete) *nisi maluerit sententiam abdicare, plectatur.* Eum Origenis errorem Priscilliano adscribit Synodus Bracharensis Canone sexto. Itaque isti cum magno excessu & longo nimis interstitio ab illa opinione, quæ electionem ante prævisa merita constituit; recedebant; cum vellent eam fieri non tantùm ex prævisis futuris, sed etiam ex præmissis multò ante hanc vitam meritis, vel in ipsâ personarum essentiâ fundatis.

3. Alij fuerunt posteriores hæretici Prædestinationem affirmantes nequaquàm esse gratuitam, sed vel pendentem ex ijs meritis, quæ absque Dei Gratia supernaturali solis naturæ viribus quisque in hac vita acquisiverit, ut Pelagiani volebant; vel sicut Semipelagiani, ex ijs meritis pendentem, ad quorum acquisitionem Gratia quidem supernaturalis fuerit necessaria; sed talis, quam naturæ viribus possimus obtinere. Pelagiani tamen fatebantur vtilem, quamvis alioqui non necessariam, Gratiam esse, ut faciliùs & merita acquirere, & Gloriam consequi possimus. At Semipelagiani sive Massilienses (viri alioquin valde studiosi virtutis, & in re subtilissima errantes) Gratiam quidem asserebant esse omnino necessariam ad servanda Divina præcepta & ad augmentum fidei acquirendum; sed non ad initium fidei: Volebant enim hominem solis naturæ viribus posse velle sanari, & ad id Gratiam Divinam implorare atque obtinere; juxta illud; *petite, & accipietis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis.* Quod ita interpretabantur; quasi Gratia priusquàm postuletur non soleat ordinariè petitionem ipsam præcedere, nec priusquàm quæratur inveniri; & ut pulsanti Deus aperiat, debeat prius audiri pulsatio.

4. Atque isti Semipelagiani manifestè in mysterio Prædestinationis fallebantur. Quod ut potuerit initio aliquandiu in his viris religiosis, & magnos in spiritu processus habentibus excusari, in hac præsertim quæstionis difficilis, necdum agitatæ subtilitate. Nihilominùs post Augustini exactam ejus rei disquisitionem, & subsequentem Ecclesiæ definitionem non potuit absque notâ hæreseos sustineri. Hunc errorem, quo ex meritorum anticipata cognitione ita pendere Prædestinationem censebant, ut non omninò gratuita, aut ex puro Dei solius proposito esset; declarat apertè Hilarius ille, qui hac de re ad Augustinum scribit his verbis; *Ipsi Massilienses aiunt, si dicatur voluntatem naturalem credendi omnibus remansisse post Adæ peccatum, quâ vel contemnere valeat quis vel obedire; de compendio putant rationem reddi electorum vel ejectorum, in eo quòd unicuique meritum propria voluntatis* (vi scilicet naturali) *adjungatur.*

CAPVT II.

Probatur ex Scriptura Electionem ad Gloriam non nisi ex praevisis meritis fieri.

1. DVPLEX in Scripturis sacris invenimus à Deo beneficium hominibus destinari, quo vltima eorum salus continetur; Gratiam scilicet vocationis, & Gloriam beatitudinis. Quæ ambo quoniam ab æterno parantur, non tam destinari dicuntur, quàm Prædestinari ob antegressionem temporis infiniti. Quia verò necesse etiam est earum alterutram destinationem prioritate rationis alteri præsupponi, quæstio nunc est hujus loci; vtra destinatio præcedat, Gloriæne, an Gratiæ. Et quia non omnes ad Beatitudinem eliguntur, quærendum item est, nùm in Gloriæ vel potiùs in Gratiæ Prædestinatione fiat prima Electorum ejectorumque discretio. Cavendum verò in primis videtur, ne quæ libri sacri asserunt de gratuita sine meritis ad Gratiam Prædestinatione, transferamus ad Gloriam. Quod ijs contigit omnibus, qui arbitrantes fulciri se authoritate Scripturæ affirmant factam esse primò, nulla præcognitione meritorum, Prædestinationem ad ipsam Gloriam.

2. Ita suam Augustinus de antecedente Prædestinatione sententiam protulit, illo præcipuè nixus Epistolæ ad Rom. loco; vbi putavit Apostolum duorum exemplo germanorum Iacob & Esaü significare cap. 9. dilectos & ad Beatitudinem electos à Deo quosdam, per Iacob fuisse designatos; infinitos autem alios, quos Esaü adumbrarit, reprobatos. Ad quem locum cætera ejusdem capitis non accommodavit. In quibus de duplici agitur vasorum genere, ex eâdem ficto massâ. Ex eoque loco, tanquam ex arce sua, Pelagianos impugnat quoties de Prædestinatione disserit. Quamvis caput illud integraque Pauli Epistola nihil ad hoc Augustinum juvat: Cum non ad æternæ gloriæ, sed ad Gratiæ fideique Evangelicæ Prædestinationem pertineat, & ad componendam Iudæos inter Gentilesque exortam contentionem; cùm illi debitam sibi, ut pote Abrahami prognatis verique Dei cultoribus, vocationem Christi præ Ethnicis Idolorum cultoribus contenderent; isti è contra se præferendos Ingratæ Nationi, quæ Christum peremisset, affirmarent. Ita solet idem Augustinus, vbicumquè nomen Electionis Divinæ in Scriptura sonat, Electionem interpretari, quæ fit ad æternum regnum. Sic alij plerumque defensores antecedentis & gratuitæ ad Gloriam electiónis, loca Scripturæ proferunt, in quibus locis intelligi debet non ad Gloriam, sed solùm ad Gratiam, vel ad fidem Electio seu Prædestinatio.

3. Neque potest vllum satis apertum ex Scriptura testimonium afferri pro illa electione ad Gloriam gratuita; cum tamen in contrarium, pro ea quæ fiat post considerationem meritorum, infinita occurrant; non secus ac pro reprobatione quæ fiat ex malorum præscientia facinorum. Quid enim sibi volunt illæ similitudines seu parabolæ; quibus non verbis tantum nudis res explicando, sed velut exemplis exhibendo Christus significat Matth. 20. promissos denarios non dari merè gratis à Patre familias, sed pro labore ut justam mercedem operarijs reddi? Et Matth. 25. adhibitam pro fideli post accepta talenta negotiatione diligentiam curamque servorum largissimè compensari? Ne autem putemus aliò quam ad Prædestinationis negotium pertinere adductam hanc à Christo parabolam de compensata cura & fide, quam fideles servi in exercendâ sui Domini pecuniâ adhibuerunt, & de illius punita negligentia, qui talentum acceptum servarat otiosum; ipse Christus continenter deinde explicat instituendum esse vltimum post resurrectionem judicium, ad formam hujus ipsius parabolæ; *Cum* (inquit) *veneris Filius hominis in majestate sua; tunc dicet his qui à dextris ejus erunt, venite benedicti Patris; possidete paratum nobis regnum: Esurivi enim & dedistis mihi manducare, &c. Tunc dicet his qui & à sinistris ejus erunt, discedite à me maledicti in ignem æternum; esurivi enim & non dedistis mihi manducare, &c. & ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam.*

4. Inter alia loca quæ in Sacris Biblijs occurrunt innumera, tantùm hæc pauca proferam. Docet Paulus 2. Corint. c. 9. regnum cœlorum tribuendum esse ut coronam, nec nisi victoribus, & qui legitimè in vitæ hujus agone cucurrerint. Sicut non solet brabium & corona dari cuipiam ad futuram prælecto victoriam, sed ei qui cursu reliquos superarit: Eodem modo cœlestis regni coronam vult Apostolus non prælectione, sed solius eventu virtutis acquiri. Deinde qui defendunt Prædestinationem sine meritorum exploratione prævia fieri absoluto decreto, impugnantur à Scriptura manifestè per hanc ratiocinationem. Debent enim illi asserere, nullum, qui tali decreto electus fuerit, posse reprobum fieri: Atqui constat ex pluribus Scripturæ locis, neminem esse Prædestinatum (Beatissimam Virginem hac in re semper excipio) & quantumvis sanctum, qui mutari non possit in reprobum. Monentur enim electi ipsi ut certam suam electionem faciant per bona opera: *Satagite* (inquit omnibus, nullum excipiens, Petrus Epist. 2. c. 1.) *ut per bona opera certam vestram Electionem faciatis.* Igitur Electos supponit posse transire in reproborum numerum. *Vide* (ait alter Apostolus ad Rom. 11.) *in te bonitatem Dei si permanseris in bonitate; alioquin & tu excideris.* Quare idem Paulus omnes quamtumvis Sanctos Philippenses (quorum multos dubitare non poterat Prædestinatos esse ad Gloriam) sic hortatur cap. 2. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Qualem & ipse metum (haud dubiè inter electos præcipuus) metuebat 1. Corint. c. 9. cum dixit; *Ne, cum alijs prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Et certè nisi vana sit elusoriaque illa Ioannis cap. 3. Apocal. vniversim facta comminatio (*Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*) ad omnes pertinet; cum & coronam Apostolicam Mathias præripuerit Iudæ.

5. Tandem circa reprobos non ejectos antecedenter, ne longiùs oratio provehatur, vel eo solo confici res hæc tota potest; quod ut Christianæ religionis fundamentum profertur Epist. 1. ad Timot. cap. 2. *Salvatorem nostrum Deum velle omnes homines salvos fieri.* Quæ voluntas Divina ut syncerissima, sic etiam (dummodò homines non renuant) efficacissima est. Ea voluntas plena dilectionis & misericordiæ magnâ, verborum vi significatur lib. Sapientiæ cap. 11. *Misereris omnium, quia potes, & dissimulas peccata propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* Peto autem, si vera sunt quæ per Apostolum, & quæ per Sapientem Spiritus Sapientiæ prædicat tantâ emphasi de amore suo; quâ

ratione verum esse potest, quod aït Aluares lib. 11. disp. 109. concl. 3. *Actus positivus, quo Deus ab æterno voluit non admittere quosdam in suum regnum, absolutus fuit, antecedens in signo rationis præscientiam malt usus liberi arbitrij.* Deinde subdit: *Hæc conclusio est expressa, quam defendunt communiter Thomistæ.* Quomodo, inquam, fieri potest, ut Deus eadem voluntate; quâ vult omnes homines salvos fieri, velit actu positivo quosdam nominatim; hos & illos, nullâ eorum prævisâ peccati aut demeriti occasione excludere à regno cœlesti?

6. Sed nec eo penitus vacat incommodo, quæ moderatior est, Suaris opinio. Quamvis enim Scientiam in Deo Mediam agnoscens queat per Gratias efficaces executionem prædestinationis integrâ servatâ hominum libertate explicare; non potest tamen servatâ Dei synceritate. Nam primò si verum est Deum syncerè testari velle se omnes homines salvos fieri: Quid est cur antecedenter, tam paucos velit ad æternam Gloriam Electos, & tam multos ad æterna inferorum supplicia ejectos? Nec obest quod illud temperamentum præ Alvare admittat; nempè, Deum non actu positivo velle ullos reprobare, sed tantùm negativâ reprobatione omittere; non inscribendo omissos illos in libro vitæ pro priore instanti rationis; inscribendos tamen pro posteriore, si fortè ipsi nomina sua benè & sanctè operando detulerint; quod non facient. Nam primò odiosa est illa tanta Electorum exiguitas, & tanta multitudo prætermissorum, ac in mortis infallibilis certissimo periculo relictorum ab illo, qui juratus protulerint; *vivo ego, nolo mortem peccatoris; sed ut convertatur & vivat*; & aliunde certus sit nullum re salutem assecuturum, nisi à se fuerit grâtis & antecedenter albo salvandorum inscriptus.

CAPVT III.

Probatur ex Sanctis Patribus Electionem ad Gloriam non fieri ante meritorum prævisionem.

1. DVo sunt hic distinguenda tempora. Vnum quod prius, alterum quòd posterius fuit Augustino. Nam tota Prædestinationis ratio juxta sententiam quam (prout mihi superna lux aderit) inferiùs exponam, duabus partibus continetur. Primò quòd Deus ex beneplacito suo præpararit (v. c. Petro) Gratias & media, quibus prævidebat illum bene usurum. Secundò quòd Petrus per usum bonum liberi arbitrij Divinis Gratijs cooperetur; & ideò Gloriam sit adepturus. Porrò ante Augustini cum Pelagio conflictum Sancti Patres de hoc mysterio disputantes, in hujus ferè secundæ partis consideratione; & in explicanda sola humanorum meritorum ad Gloriam necessitate hærebant. Postquàm verò Pelagius eò vesaniæ prorupit, ut omnia bono arbitrij usui & meritis naturaliter acquisitis tribueret; Augustinus Gratiæ patrocinium ita suscepit; ut ad ipsam Gratiam tribuendæ consecutionem Gloriæ referret. At cæteri ferè Patres ad ea vsque tempora decretum Divinum absolutum tribuendæ gloriæ, quod præsensionem meritorum antecederet, visi sunt ignorare.

2. Et ut primùm innotuit Augustini de tali decreto Divino sententia, quosdam perfectionis colentes viros, in Episcopali etiam dignitate constitutos, tanquam priscis incognita Patribus offendit. Vt constat ex ijs quæ Prosper ad ipsum Augustinum scripsit: *Illud qualiter diluatur quæsumus* (inquit) *patienter nostram insipientiam ferendo demonstres: Quòd retractatis priorum de hac re opinionibus, penè omnium par invenitur una sententia; quâ propositum & Prædestinationem Dei receperunt secundùm præscientiam; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios vasa contumeliæ fecerit, quia finem vniuscujusque præviderit; & sub ipso Gratiæ adjutorio, in qua futurus erat voluntate præsciverit.* Hilarius Arelatensis (tunc, ut illum Prosper vocat) Episcopus eidem item Augustino scribit quæ proponerentur à Massiliensibus viris eruditis contra ejus doctrinam objectiones his verbis: *Quid opus fuit* (inquiunt illi) *hujusmodi disputationis incerto minus intelligentium corda turbari? Neque enim minus utiliter sine hac definitione tot annis à tot tractatoribus, tot præcedentibus libris Catholica fides fuit defensa.* Cum Augustinus post prius illud decretum absolutè (quod ipse ponit) ante prævisionem meritorum; alterum agnoscit in Deo decretum postquàm reapsè merita hominis subsecuta sunt, quo decreto ex intuitione meritorum Gloriam iterum absolutè ut in executione jam dandam destinat. Suares meritò hac in re consentiens, hoc etiam decretum admittit. Verùm Sancti Patres non tantum qui Augustinum præcesserunt, sed & etiam eorum plurimi qui ipsum subsecuti sunt, illud quidem quod secundum Augustinus in Deo post intuitionem meritorum ponit agnoverunt; at illud antecedens decretum, quo Deus primam electorum reproborumque discretionem fecerit antequam illi suis se operibus discreverint, ignorarunt; sicut ex eorum quos hic refero testimonijs constat.

3. Imprimis enim evidens est Patres Græcos decretum Prædestinationis ad gloriam in Deo absolutum quidem admittere, sed non antecedens prævisionem meritorum. Sic Theodoretus in illa verba epistolæ 2. ad Timot. *In magna domo non solum sunt vasa aurea &c.* Dicit vasa quæ sunt aurea, quæ lignea vel fictilia, discernenda esse & æstimanda ex conditione materiæ; at non ita esse in hominibus, quos tantùm bona vel mala voluntas facit vasa in honorem, vel in contumeliam: Idem ait Oecumenius & Theophilactus. Idque sumptum est ex Origene qui homilia 14. in Numerorum librum; *Vasa*, inquit, *hæc rationabilia sunt & liberi arbitrij: Et quisquis se talem præbuerit ut Electus esse mereatur, vas electionis efficitur: qui verò deterioribus sensibus vivit, is formatur vas contumeliæ, causis contumeliæ ab ipsomet datis.*

4. Id ipsum habet Basilius in homilia, *quod Deus non sit author mali.* Chrysostomus passim ubi se dat occasio, Prædestinationem ad prævisa hominum merita refert. Quomodò speciatim homila 16. in epist. ad Rom. cùm interrogasset πόθεν οἱ μὲν σκεύη ὀργῆς, οἱ δὲ ἐλέους. *Vnde fit ut alij quidem sint vasa iræ, alij misericordiæ?* Respondet, ἀπὸ προαιρέσεως οἰκείας, *à propria voluntate.* Post hos Ioannes Damascenus vasa rationalia fieri quidem aït à Deo qui est omnium artifex: sed non ipse honorata vel inhonora facit; verùm cujusque propria voluntas. Ille idem in libro contra Manichæos aït Deum prævidentem bona quæ sunt in nostra potestate, prædefinire præmia quæ sunt in sua. Eodem modo constat cæteros Patres Græcos electionem ad gloriam explicare per prænotionem meritorum.

5 Inter Latinos Hieronymus epistolæ ad Hebi-

diam quæst. 10. *Vasa*, inquit, *misericordiæ, quæ præparavit in gloriam suam, non irrationabiliter salvat, & absque veritate; sed causis præcedentibus: quia alij non susceperunt Filium Dei; alij autem recipere suâ sponte voluerunt. Ex quo ostenditur non gentes eligi, sed hominum voluntates.* Addi potest item Ambrosius varijs locis quos refert Vasques. Potest & inter hos addi Fulgentius qui in libro ad Menimum de duplici Prædestinatione loquens ait *Deum illos ad supplicium destinasse, quos præscivit voluntatis mala vitio à se discessuros; & prædestinavit ad Regnum, quos ad se præscivit misericordia prævenientis auxilio redituros, & in se misericordia subsequentis auxilio mansuros.* Idem non minùs clarè infrà iterat: *Quia misericors*, inquit, *est Dominus & justus, prædestinavit justos ad gloriam, iniquos ad pœnam.*

6. Quod verò pertinet ad Augustini hac de re sententiam: præcipuum locum illius ad Simplicianum scribentis (ex quo Vasques, Lessius alijque contendunt eum ejusdem cum ipsis fuisse sententiæ) nos præcedente libro cap. 7. explicuimus sufficienter in vtramque partem. Quare circa illius examen loci non videtur quicquam vlteriùs addendum. Prætereà quædam à Lessio sect. 2. libri de Prædest. & Reprob. afferuntur indicia, quò videatur Augustinus non alioquin agnovisse electionem ad Gloriam, nisi ex meritis. Inter illas quas affert conjecturas, seu rationes, minùs exile est, nec aliquâ veri specie caret; Quòd nunquam fuit illi Sancto cum Pelagianis, aut Semipelagianis conflictus seu quæstio de electione ad gloriam ex operibus per Gratiam factis; sed de Electione & præparatione ad Gratiam: utrùm nempe viribus naturæ possimus aut gloriam, ut volebat Pelagius, promereri; aut saltem Gratiam & vocationem ad fidem nostris ad Deum precibus prævenire, & infallibiliter obtinere; ut Semipelagiani volebant. Quare cùm ei satis esset contra merita quæ ex solis naturæ viribus essent, disputare; non aliud ipsius interfuit, quàm demonstrare, nulla sufficere ad electionem ad gloriam merita naturalia. Quid enim attinebat ipsa etiam supernaturalia ad gloriam merita excludere?

7. Sed quæcumque tandem fuerit tanti Patris doctrina; cujus certum est authoritatem magnum habere pondus in ijs præsertim quæstionibus in quibus de Gratia disputatur. Nihilominùs non quæcumque ille contendens cum Hæreticis in ipso conflictu protulit: habenda sunt pro inconcussis fidei Catholicæ dictatis. Et in eo Cælestini Papæ servandum est decretum in hæc verba conceptum: *Profundiores difficilioresque partes occurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt qui Hæreticis restiterunt; sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere*: Quapropter hæc de Prædestinatione quæstio liberis relicta est Doctorum in Schola disputationibus.

CAPUT IV.

Varij modi quibus exponitur à diversis Electio ad gloriam post prævisa merita.

1. QUEMADMODUM in superiori libro ostendimus cap. 6. & seqq. quanta sit diversitas inter eos Theologos qui censent nos eligi ad Gloriam absque præmisso meritorum examine; ita considerandum hic est, aliquam esse differentiam inter illos alios qui electionem & reprobationem non aliter fieri volunt, quam ex justitia, & acquisitis expensisque singulorum seu bonis seu malis operibus. Non est autem necesse nos ea repetere quæ supra dictis locis protulimus ad eos reijciendos, qui Scientiam Mediam improbantes ita propugnant absolutam ante prævisa merita electionem, ut eam executioni mandari velint per Prædeterminationem physicam. Non etiam opus est nos hîc iterare quæ simul adducta sunt ad convellendam eorum opinionem, qui electionem ponentes ante prævisa merita, per Scientiæ Mediæ vsum libertati quidem nostræ consulunt, at non synceritati Divinæ in Gratiarum deinde facienda electis reprobisque distributione. Quæ omnia ex dicendis infrà clariùs intelligentur. Nunc tantùm exponemus in hoc capite quibus modis varij censuerint electionem præsupponere merita.

2. Primò ut prætermittam Semipelagianos & alios hæreticos, qui meritis electionem præcedentibus nimium tribuebant. Fuere quidam Catholici Doctores, qui bonum vsum liberi arbitrij putarunt (sicut refert Molina in quæst. 23. disp. 1. membro 4.) esse causam vel conditionem, cur Deus illum ab æterno prævidens voluerit quibusdam ex congruitate primam Gratiam tribuere. Censuerunt item illum bonum usum naturalem arbitrij, qui sequitur Gratiam justificantem esse conditionem, sine qua non, cur Deus voluerit dare incrementum Gratiæ & vitam æternam, quam re ipsâ tandem confert; & cur potiùs hos quàm illos elegerit. Cùm autem omnis ille vsus liberi arbitrij sit simul à Gratia vel preveniente vel justificante; aiunt tamen illum omnem collectivè sumptum, prout pendet præcisè ab arbitrio creato cooperante, esse causam aut conditionem congruam ex parte adultorum cur aliqui præ alijs sint Prædestinati. Sed horum Authorum sententia; ut constat, & bene monet Molina, non potest eximi ab errore; atque habet quamdam auram Semipelagianismi.

3. Secundò potest eo modo concipi Prædestinatio ad Gloriam fieri ex meritis supponentibus primam Gratiam puro Dei beneplacito collatam: Si asseratur vnumquemque Prædestinatum suâ Divinæ obtemperatione vocationi semetipsum à reprobis discernere. Ita ut ex parte Divinæ voluntatis nulla præcedat vnorum ab alijs discretio; licèt ex parte intellectus Divini existat præscientia, quæ ad favorem beneficiumque non censeatur pertinere. Sic Lessius opusc. de Prædest. & Reprob. sect. 5. ad secundum argumentum, nullas Gratias ex antecedente efficacique Dei decreto operaturas agnoscens; sed illas tantum asserens efficaces, quas in eventu liberi cooperatio arbitrij efficientes reddiderit. Ante Lessium idem ferè Molina in concordia ad quæst. 23. disp. 1. membro 10. censuerat.

4. Qui Molina Deum omnia quæ futura sunt prævidentem existimavit vnico simplici voluntatis actu integrum hunc (& simul totum) ordinem rerum, qui vsque à prima mundi constitutione ad consummationem sæculorum decurret, elegisse ac prædestinasse perinde ac si non habens præscientiam de rebus per arbitrium creatum futuris eundem per partes successivi temporis elegisset; deinde verò post eam totius ordinis electionem constituisse quemlibet in manu consilij sui, ut ad quod vellet porrigeret manum; atque adeo vel Beatus vel miser prout mal-

let evaderet, perinde ac si nulla foret in Deo Præscientia, nulla Prædestinatio, sed sola Providentia. Quomodo sequitur non minus nunc liberos manere adultos post hujus ordinis Prædestinationem, quàm si nulla ejus Prædestinatio antecessisset; sed cujuscumque salus tam incerta foret in Deo, quàm ipsa secundùm se incerta existit. Hæc ille totidem propemodùm verbis hinc inde excerptis. Quod autem spectat puerorum infantium salutem ac baptismi susceptionem, vult eam consequenter esse commissam plenæ illorum adultorum libertati; qui ad ipsam curandam stricto tenentur præcepto.

5. Vult igitur vterque ille Theologus certitudinem salutis Electorum nullam esse antecedentem ex parte Divinæ Gratiæ,sed tantùm ex meritis creati arbitrij: Quatenùs Divinæ Gratiæ auxilio adjutus bona opera liberè operans Gratiam sibi priùs oblatam reddit efficacem,& in ipso eventu efficientem. Id autem propriũ habet Molina,quòd sentiat nec gloriam ante Gratiam seu merita; nec Gratiam seu merita ante Gloriam hominibus destinari putet; sed simul vtramque uno simplici actu decerni; Gloriam tamen ex meritis per Gratiam ut ex prædicta disputatione prima concordiæ manifestum est. Porro licèt eximij Doctores isti, cùm volunt modo jam dicto merita liberi arbitrj adjuti Gratia Divina præsupponi ad Electionem Gloriæ, & illa hujus esse fundamentum, nihil dicant quod habeat cum Semipelagianis commune, ut quidam non satis rem attendentes ausi sunt objicere: Atque illa eorum sententia amplectenda foret, si necessaria esset ad vitandam Gratiæ physicam Prædeterminationem. Nihilominùs aliundè illorum sententiam eo nomine reijciendam existimo; quòd & Augustino adversetur, & non satis conformis sit Paulo: Secundùm quos opportet admittere ex parte Dei antecedentem Prædestinatorum à reprobis sejunctionem; atque illos magis à Deo absque meritis fuisse dilectos.

6. Tertiò attendendum est posse sic intelligi Electionem post prævisa merita; ut omnes effectus, qui in hoc Prædestinationis negotio post primam vocationem, justificationem, &c. seriatim uni post alios reperiuntur, considerari possint dupliciter ut explicat Sanctus Thomas quæst. 23. art. 5. sub finem corporis. Primò ut sumantur non singuli effectus, sed vniversi, ita ut faciant unum indivisibiliter totum. Secundò in particulari provt uni alijs succedunt, & inter se comparantur. Et quidem si omnes effectus in communi, ut ipse loquitur, considerentur, & sumantur simul omnes quasi vnum quid totale comprehendens etiam ipsam primam Gratiam, seu justificationem, & omnia ad hanc auxilia: *Impossibile est*, inquit, *quòd totus Prædestinationis effectus habeat aliquam causam ex parte nostra. Quia quicquid est in homine ordinans ipsum in salutem, comprehenditur totum sub effectu Prædestinationis; etiam ipsa præparatio ad Gratiam. Neque enim hoc fit, nisi per auxilium Divinum, secundùm illud Threnorum vltimo; converte nos Domine ad te, & convertemur.* Sic optimè Angelicus Doctor. Vnde patet, quod aït sæpè Augustinus, totum Prædestinationis processum ita pendere à Gratia; ut quando Deus coronat nostra merita, id faciat ex Gratia; quia id totum innititur primæ Gratiæ. Nihilominus id non impedit; quin,si secundo modo consideremus in particulari quoslibet effectus, eorum unus sit causa alterius; itaque vocatio Dei est causa justificationis, & hæc meritorum, &c.

7. Quartò considerari potest Electio ad Gloriam ex meritis,ut supponens Prædestinatorum à Reprobis discretionem factam in priori per Gratiam. Quare videndum est quomodo discretio illa facta sit. Et quidem habemus ex Paulo atque Augustino factam non esse primò ab ipsis electis hominibus quasi semet ipsi discreverint. Quod enim Apostolus aït ad Rom. 4. *Quis te discernit?* Hoc Augustinus, Prosper, Fulgentius, &c. transferunt ad discretionem per donum Dei, & Gratiæ prævenientis. Atque in hoc speciali puncto discretionis à Deo factæ magna reperitur difficultas. Quæ quia subtilioris est altissimæque disputationis; illam ad sequens caput reijciemus, Divino ad hoc indigentes auxilio.

CAPVT V.

Quomodò Deus Electos primò discernat? Et quis sit Gratiæ in hoc mysterio processus.

1. NVLLUS in hoc de Prædestinatione Tractatu locus æquè difficilis & anceps occurrit, ubi de Divina quorumdam Electione, & aliorum ejectione sic agendum est; ut Dei non Sapientia tantum, sed vtrinque Bonitas, & omnes salvandi voluntas appareat. Ac primò quocumque se Theologorum subtilitas in præsenti vertat, manet vbique incomprehensa altitudo divitiarum Sapientiæ Dei. Ita ut nullus sit, qui jure non possit in hæc Prophetæ verba erumpere: *Mirabilis facta est scientia tua ex me* (supra me, *mimmemni*) *confortata est*, *& non potero ad eam. Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: Et* (dum non) *in libro tuo omnes scribentur* (rejectis nempè reprobis) *nimis honorati sunt amici tui* (scripti in libro vitæ) *nimis confortatus est principatus eorum.* Augustinus quæst. 2. ad Simplicianum explicans illud Pauli ad Rom. 11. *Reliquiæ per electionem Gratiæ factæ sunt*. Ita scribit: *Certe ita oculta est hæc electio, ut in eadem conspersione nobis prorsus apparere non possit: Aut si apparet quibusdam, ego in hac re meam infirmitatem fateor.* Atque quocumque modo explicemus Prædestinationem & Electorum discretionem à reprobis; non aliud habemus, quàm cum eodem Augustino in Epist 105. respondere: *Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli judicare si non vis errare.*

2. Vt totum Dei processum in hoc negotio explicarent Scotus & Suares, quædam rationis instantia, (suo quilibet diverso modo) assignarunt. Sed ille quem ipsi assignant, instantium processus nihil potest ad nos pertinere; qui non, ut ipsi, primam Electorum discretionem in Electione ad Gloriam, sed in Prædestinatione ad Gratiam ponimus. Quare alius nobis secundùm nostra principia Divinus in in hoc mysterio progressus assignandus est. Quem ut exponamus, sumemus, exempli gratiâ,Prædestinatum aliquem; provt consideratur, adhuc existens in infidelitate; & provt vocandus ad fidem, promovendusque ordine per quosdam gradus ad acquisitionem Beatitudinis. Ille autem sit Augustinus, vir inter electos eximius. Et ei ἀντίστροφως opponamus Pelagium reprobum.

3. Itaque dico. Postquàm Deus illos ambos ex mera possibilitate in actualem eduxit existentiam per creationem; ordinando ipsos, indiscretos adhuc

adhuc & in omnibus pares, ad finem supernaturalem, habuit circa eos bonum æqualiter affectum; quo vellet eosdem salvos conditionatè fieri. Quare in hoc nulla cœpit adhuc inter vtrumque discretio. Deinde per Scientiam Mediam cognovit Deus, si Gratias has & illas, in his & illis circunstantijs daret Augustino, fore ut hic post longam operum seriem perveniret ad vitam æternam. Si verò in quibusdam alijs circumstantijs Gratias entitativè, seu diversas, seu easdem illi offerret, fore ex adverso ut illis, vel semper, vel tandem elusis à Gloria excideret. Pari modo novit, si Pelagius sic vel sic continuâ Gratiarum serie in his vel illis circunstantijs vocaretur, fore ut evaderet vltimò sanctus: Si verò mutatis circunstantijs Gratias ei concederet vel easdem vel diversas, periret impius. Nondum absolutè vlla Pelagium inter, Augustinumque distinctio.

4. At considerans Deus Gratias, quas vtrinque, sive Augustino, sive Pelagio largiri poterat: Circa illas quæ destinari poterant Augustino & felices futuræ erant, habuit complacentiam; illæ autem quas ei poterat destinare funestas, displicuerunt. Secus autem se habuit in Gratijs, quæ offerri poterant Pelagio. Circa eas quæ eventum fuissent habituræ felicem minùs fuit affectus; non propterea quòd ei efficacitas illarum aut Pelagij salus displiceret, sed propter quasdam altas occultissimasque Providentiæ rationes. Alio autem modo se habuit, propter rationes item inscrutabiles, circa Gratias quæ vitio ipsius Pelagij fore inutiles prævidebantur; illasque ut sufficientissimas destinavit ipsi; nullatenùs complacitum habens funestum earum successum. Atque in hac tam diversa Dei erga Sanctum Augustinum & impium Pelagium antecedente voluntate, & in destinandis Gratijs diversitate cœpit, primaque fuit Augustinum inter Pelagiumque discretio ex solo Dei placito, absque vllo eorum merito, aut demerito.

5. Ejus autem antecedentis voluntatis diversa progressio sic se habuit. Infidelis erat, delususque Manichæorum delirijs Augustinus. Ad fidem itaque fuit convertendus. Idcirco primùm varijs Deus incœpit pulsare, lacessereque hominem cogitationibus; quæ forsan initiò minùs acres, posteà valescerent, seque pedetentim corroborarent. Cum quibus cogitationibus suas ipse Augustinus luctationes in Confessionum libris describit. Externa etiam, Deo id procurante, oportuit adhiberi præsidia: Matris nimirùm piæ admodùm fœminæ curam, & Ambrosij sapientissimi Præsulis. Qui ambo illum velut mortuum excitare conjunctis viribus fategerunt. Is interim oculos aperire, sensimque vivescere; Ambrosij gravitatem, dicendique facultatem suspicere; vim demùm rationum ab ipso, cur Catholica fides amplectenda esset, allatarum sentire; apertæ succumbere veritati; Divinam inspiratæ credulitatis Gratiam suscipere; ac tandem in potestate totus Ambrosij expetere, suscipereque baptismum.

6. Ex contrario Pelagius primùm quidem Gratiam vocationemque Dei syncerè volentis eum salvum fieri expertus est; at non illam, quâ Prædestinati potentissimè ad finem vsque liberantur. Eam enim vocationem non vltra professionem monachi, nec vsque ad consummatam sanctitatis perseverantiam secutus est; sed naturalibus humani arbitrij confisus viribus, internaque Spiritus Sancti monita perpetuis contemnens obstinationibus; novæ se ducem hæreseos contra supernam Gratiam pugnantis exhibuit. Et qui fidem orthodoxam, sine qua Deo placere non poterat, recusavit, spem habere Gloriæ non potuit. Augustinum audivisset, ut prius ipse Augustinus Ambrosium! Si præliantì contra se Augustino, sui victor, manus dedisset; eandem cum hoc beatam, non cum reprobis miseram æternæ damnationis sortem fuisset expertus.

CAPVT VI.

Exponitur natura Gratiæ discernentis Electos à Reprobis.

1. HABEMUS ex supradictis primam discretionem, quâ Prædestinati à cæteris segregantur, consistere in prima Gratia excitante; cujus efficacitas vsque ad finem vitæ, & acquisitionem Gloriæ perseveret. Vt exponamus, quænam & qualis ea Gratia sit. Notandum est omnem quidem Dei Gratiam habere sufficientiam (& quantùm est de se) efficaciam ad operandum; nisi perversi cooperatio desit arbitrij. Veruntamen solent in Schola Theologi sufficientiam, efficaciamque ita distinguere suo loquendi modo, ut Gratia sufficiens ea sit, quæ frustretur effectu, quem habere posset; efficax autem ea dicatur, quæ vim suam reipsà exerat, non ipsi reluctante creatâ libertate; atque ita idem sit quod efficiens. Hæc porrò Gratia quando confertur, efficacis nomen concipi potest tripliciter obtinere. Vel primò ex solo eventu, si re sortiatur effectum: Vel secundò ex Dei antecedente circa ejus effectum cognitione absoluta, & plusquam conditionata præscientiâ: Vel tertiò ex peculiari affectu inclinationeque Divinæ voluntatis ipsam concedentis Gratiam, sivè cum infallibili futuræ operationis decreto antea præmisso; sive etiam absque vllo tali decreto, quod antè fuerit factum.

2. Dicendum primò non posse sufficienter à reprobis distingui Prædestinatos per Gratiam quæ dicatur efficax tantùm consequenter ex eventu post creati arbitrij determinationem. Hæc conclusio est contra Lessium, & quosdam alios opinantes, nullam esse in hoc mysterio discretionem, nisi per liberæ cooperationis eventum. Ea verò probatur. Nam alioquin ipsi Prædestinati se soli à reprobis discernerent. Quandoquidem Deus antecedenter æquè volens hos & illos salvos fieri, vtrisque concederet eodem modo Gratias; totum ab illorum voluntate, si quod futurum est, discrimen expectans. Quod manifestè adversatur Augustino, & juxta probabiliorem explicationem ipsi etiam Paulo. Debet ergo quippiam antecedens reperiri ex parte Dei: Quale explicabitur infrà. Nec valet quod Lessius videtur contra hoc supponere; Si ante Gratiarum eventum actualem fiat ex parte Dei discretio, reprobationem esse antecedenter factam. Non est ita. Neque enim vllius fit reprobatio in antecedente distributione Gratiarum ante actualem earum elusionem & contemptum; cùm nullus sit qui Gratiam non accipiat, quâ salvari queat, si sibi ipse non desit. Porro licèt opinionem Lessij non approbem; nihil tamen habet ea quod non optimè juxta orthodoxam de Gratiæ necessitate Doctrinam sustineri possit. Estque potiùs amplectenda, quàm explicatio antecedentis Prædestinationis per Prædeterminationem physicam.

3. Dicendum secundò Electorum à reprobis se-

gregationem non fieri per Gratias quæ non habeant aliam infallibilitatem quam Præscientiæ absolutæ: Nec per Gratias eas efficaces quæ præsupponant factum esse decretum absolutum circa futuram infallibiliter ipsorum Electorum salutem; omissis interim per negativam reprobationem cæteris. Quod primò hic dicitur de Gratia data cum absoluta præscientia futuri consensus, clarum est ex præcedenti conclusione. Cùm enim per eam præscientiam futurus absolutè hominis consensus prioritate rationis præsupponatur; non per talem Dei præscientiam, sed per ipsum præsuppositum consensum homo prædestinatus se ipse à reprobis discerneret: Quod dici non posse jam probatum est superius contra Lessium. Secundò addit ista conclusio, Electos non discerni per Gratias efficaces presupponentes factum jam anteà decretum absolutum circa ipsorum Electorum salutem; omissis interim cæteris per negativam Reprobationem. Id verò satis clarum est in nostris principijs. Nam alioqui sequeretur factam esse Electionem ed Gloriam ante prævisa merita, contra id quod hoc toto libro & præcedente asserüimus.

Quonam modo & quali Gratia Deus Prædestinatos Reprobosque discernat.

4. Dicendum tertiò discretionem primam Electorum à Reprobis consistere in speciali Gratia, quam Deus tribuit Electis non tantùm cum præscientia conditionata, sed etiam cum speciali desiderio futuri infallibiliter & vsque ad mortem perseveraturi effectus. Quod beneficium magnum est, nec Reprobis concessum. Non tamen hi frustrantur ullo sufficiente auxilio, quominùs possint æquè facile aut etiam sæpe faciliùs quàm ipsi Electi ad Regnum æternum pervenire; si sibi voluntate suâ non desint. Hæc conclusio plures habet partes: Illiusque veritas earum explicatione constabit. Primò notandum est Gratiam istam quam esse discretivam ait conclusio, non intelligi talem (quantumvis entitativè perfecta sit)qualem sæpe ipsi Electi postquàm justificati fuerunt per mortale peccatum amittunt; & quæ interrupta non ad finem vsque vitæ perseverat. Nam ipsi etiam Reprobi sæpe justificantur & ad sublimem nonnumquam sanctitatem ascendunt; sed in ipso patiuntur portu naufragium, nec ante mortem resurgunt; ut per pœnitentiam solent Electi postquàm à prima justificatione exciderunt.

5. Asserit autem conclusio Gratiam quæ propria est Electorum & hos à Reprobis dividit, debere primo quidem tribui cum præscientia conditionali futuri eventus, & futuræ tandem perseverantiæ finalis. Nam si per impossibile Deus talis Gratiæ prætium eventumque ignoraret; quamvis Electi deinde per illam regnum obtinerent; non tamen eos per ipsam Deus censeretur discrevisse, aut beneficentiâ formaliter affecisse. Quemadmodùm si quis tibi daret gemmam cujus valorem ignoraret, non conferret beneficium æstimabile ipsius gemmæ prætio.

6. Verùm supradicta præscientia non sufficeret ad Electos à Reprobis secernendos, nisi secundò affectus aliquis Divinæ voluntatis accederet. Qui affectus non debet esse nuda complacentia circa Gratiæ collatæ pretiosum eventum. Alioqui enim Deus non aliter quàm permissivè se haberet erga Prædestinati salutem. Debet igitur tertiò ea salus non tantùm placere seu probari, sed etiam optari; & insuper oportet ut id quod optatur intendatur ex syncero amore erga personam, cui talis Gratia conceditur. Porrò neque suprà dicta sivè præscentia, sivè complacentia, desideriumque voluntatis sufficit ad discernendum Electum à Reprobo; manifestum enim est Deum præscire vim quam secundùm se continet ea Gratia quæ Reprobo datur; & habere syncerum desiderium ut Reprobus vim oblatæ sibi Gratiæ experiatur, & ad vitam perveniat æternam.

7. Quare ut omnino discernantur Electi ab ejectis, necessarium est quartò, ut illis Deus gratiam tribuat cum absoluta & efficaci (non solum inefficaci ut vult Hericè disp. 23. num. 173. & 181.) voluntate illos infaillibiliter salvandi. Quæ tamen voluntas non sit, quale censet Suares decretum, & causa cur per Scientiam Mediam eligatur studiosè Gratia quam certum sit non carituram effectu. Non enim ad talem curiosè deligendam Gratiam obligavit se Deus Prædestinatione quæ antecesserit. Sed cùm ad destinandas Gratias descendit vi voluntatis quam habet ut omnes homines salvi fiant, directè intendit designare sufficientes; has verò & illas eligit Gratias præ alijs Gratijs ut ipsi placet; ob profundissimas quas ipse novit rationes. Cùm autem omnes quas daturus est sufficientes præparavit; earum invenit multas efficaces & infallibilem habituras hominis consensum, inefficaces etiam plurimas?

8. Ad illarum deinde venit actualem distributionē cum syncero & absoluto studio totum id tribuendi; quod videt in earum qualibet bonum contineri; duplex nempè bonum in qualibet efficaci quatenùs non tantùm habere consensum potest, sed reipsà infallibiliter eum habebit; salutemque conferet; bonum autem vnicum simplex in qualibet inefficaci; quatenùs ea potest quidem hominis obtinere consensum & salutem; sed non obtinebit reipsà. Quare in ipso Gratiarum distributionis articulo dum efficaces Petro, Paulo cæterisque concedit Electis; hos manifeste majori afficit beneficio; quam eos quos tunc reprobans donat Gratijs infelicem ipsorum culpa exitum habituris. Etenim ut explicat benè Vasques disp. 98. cap. 6. beneficium seu donum dicitur relativè ad subjectum cui confertur; atque ita majus est donum quod vtilius est ipsi subjecto. Fierique potest, ut res minoris alioquin pretij, majus sit donum quàm alia majoris valoris. Sic panem dare famelico in extrema necessitate majus beneficium est; quàm si daretur inutilis ei futura pretiosa gemma. Quapropter minima quoad entitatem Gratia Electo facta cum prævisione fausti eventus beneficium est majus; quàm fuit vocatio Apostolica illi, quem Christo teste melius fuisset non nasci. Quis non asserat inferiorum Hierarchiarum Angelum in sua Gratia quam entitative minorem, sed efficacem accepit, majore beneficio fuisse affectum, quam Luciferum in suæ inutilis Gratiæ copiosissima sublimissimaque entitate?

9. Neque verò probandum est quod ait Lessius lib. de Prædest. sect. 5. num. 52. beneficia Divina non esse æstimanda ex eventu futuro qui pendet à nobis; sed ex ipsa rei præstantia & magnitudine boni ad quod secundùm se perducunt, si velimus cooperari. Peccat in eo hæc sententia, quòd non attendat hic agi de magnitudine boni non materialiter sumpti, sed ut collati cum prævisione Divina eventus infallibili. Quâ prævisione supposita mirum est, quòd eximius ille Doctor neget majorem & benevolentiorem id circò esse affectum; erga Sanctum Petrum quàm si Deus aliam ei Gratiam concederet entativè perfectiorem cum præscientia contrarij

eventus, & cum quadam immisericordia negativa, permissioneque damnationis quam talis personæ certissimè secuturam esse cognosceret. Hac de re nos egimus lib. 5. de Trinitate cap. 8. num. 12. vbi evidenter ostendimus non posse negari (supposità Scientià Medià) Electos magis antecedenter amari à Deo quàm reprobos. Post cujus amoris specialis actum discernentem vltimò Electos à Reprobis sequitur tandem formalis & absoluta Prædestinatio ad Gloriam.

CAPVT VII.

De quibusdam eximiè Prædestinatis, & in Gratia confirmatis.

1. CUM ex ijs quæ jàm dicebamus constet omnes qui salvantur fuisse in Gratiarum distributione secretos antecedenter à Reprobis; Quæri potest cur illi, quos (vtpote Prædestinatos) repugnat finali tandem Gratià destitui, non dicantur esse in Gratia confirmati: Et videndum.

Quid addat suprà simplicem Prædestinationem confirmatio in Gratia.

2. Ad hoc primò considerandum est eos qui communi Gratiarum vià cœlestem ad Gloriam perducuntur, non fuisse ante mortem expertes periculi, varias per tentationum occasiones lethalibus contaminandi se peccatis; à quibus eos emergere tandem oporteat. Sunt verò qui putent illos, quos dicimus in Gratia confirmatos, longa Divinitùs præparatione ita esse roboratos ut ex quo tempore beneficium illud confirmationis acceperunt, sit omninò & antecedenter impossibile ipsos mortiferè peccare; sivè id acceperint beneficium jam inde à nativitate ut Ioannes Baptista, sive jam ætate provectà ut Apostoli. Hæc est quorundam veterum sententia Theologorum quos refert Herice disp. 24. cap. 2. num. 11.

3. Sed contra. Quid enim opus est ad id requiri necessitatem non peccandi absolutam & antecedentem? Consequens enim necessitas sufficit quæ per Scientiam Mediam fundetur in prævisione Dei, & fit ex certa suppositione futuri eventus. Itaque censeo cum Molina, Suare, Vasquesio, Bellarmino &c. puros homines adultos (exceptâ Dei Matre) possibilitatem habuisse graviter peccandi antecedentem. Contra quod si quis objiciat, inde sequi non esse differentiam inter confirmatos in Gratia & eos qui per commune auxilium in Gratia diu persistunt: Inter quos aliqui reperiri possunt Reprobi. Nec ex ijs defuerunt qui postquàm insigni sanctitate floruissent, postmodùm in grandi ætate non à solo pietatis vsu, sed à fide etiam orthodoxa desciverunt. Respondetur quoad eos qui tandem Reprobi vitæ innocentiam abjecerunt; ipsis quidem Gratiam datam esse magnam per longinquum tempus; sed non qualem confirmatis in ea Gratia de qua loquitur passim Augustinus quæ datur secundùm Dei speciale propositum. Quare maxima inter hos & illos apparet differentia.

4. Quod autem ad illos attinet qui post longævam sanctitatem ab ea non non defecerunt: Istos paulò difficilius est distinguere à confirmatis in Gratia. Quapropter censuit Molina & cum eo Vasques, ad hoc ut distingui aliquo modo possint; præter Gratiarum congruarum præparationem quæ communis est nonnullis quos absque confirmatione in Gratia Deus insuetatis prævenit benedictionibus; necessariam insuper esse revelationem per quam illi qui confirmantur in Gratia noverint datum esse sibi tale beneficium, ita ut de sua salute dubitare non possint. Quâ deficiente revelatione nullus dici potest confirmatus in Gratia, quantiscumque alioqui præveniatur benedictionibus.

5. Verùm hujusmodi revelationis nulla potest ratio afferri sufficiens. Quæ enim est major necessitas ut confirmatus in Gratia se talem esse noverit; quàm ut Prædestinatus ad Gloriam suæ sit conscius electionis? Illaque sententia vel ipso Pauli refutatur exemplo: Qui cùm esset inter præcipuos confirmatos in Gratia, tamen plusquàm semel quendam timorem ostendit, ne Reprobus efficiatur. Quare videtur dicendum confirmationem hujusmodi consistere in eo quod Deus habeat voluntatem impediendi ne talis Apostolus, verbi causâ, in peccatum grave vnquàm incidat, ipsumque Gratijs firmandi semper congruis & efficacibus: Quæ licèt impossibilitatem peccandi non afferant antecedentem, afferunt tamen consequentem. Posse tamen confirmatos in Gratia, venialiter peccare Bellarminus alijque censent.

Explicatur Beatissimæ Virginis confirmatio singularis in Gratia & in omnimoda perfectione sanctitatis.

6. Sed quod spectat Virginem Dei Matrem, longè diversæ rationis est illius in Gratia confirmatio. Quare non videntur quidam Theologi omni eâ quâ par est dignitate opinati esse hac de re. Primò non pauci sunt qui confirmationem ipsius in Gratia & impeccabilitatem limitare videantur quoad tempus, eamque differant vsque ad Verbi Divini Conceptionem. *In Beata Virgine* (inquit Divus Thomas in 3. dist. 3. quæst. 1.) *quando concepit Dei Filium ablata est potentia peccandi.* Sic & Alensis tertià parte, quæst. nona, membro tertio, affirmat, *fuisse impositam eidem Virgini necessitatem non peccandi, per Gratiam vltimæ sanctificationis.* Hoc est Conceptionis Verbi. Paludanus & Henriques idem sentiunt. Quos omnes refert Valentinus Herice disput. 24. cap. 2. Aliqui secundò confirmationem ejusdem Virginis in Gratia sic explicant, ut ei tribuant impeccabilitatem non absolutè ac simpliciter, sed cum hoc addito, *saltem mortaliter*: Quasi de peccatis venialibus dubitarent. Sic Antoninus & quidam alij, quorum idem Herice meminit loco suprà citato. Deniquè tertiò pauci vix à præcedentibus differentes de alia Virginis hujus confirmatione disputant quàm de illà quæ consistit in impeccabilitate, & illibata conservatione justificantis Gratiæ. Cùm tamen in alijs infinitis perfectionibus quibus illa omnes Angelos superat confirmata fuerit ab initio suæ ad Maternitatem Divinam destinationis.

7. Vt intelligi possit ejusdem Virginis dignitas, ob quam in tot tantisque privilegijs confirmata fuerit jam inde ab illo æternitatis instanti in quo Deus juxta probabiliorem opinionem antequam de vllo alio suo

suo ad extra opere cogitaret; Incarnationem filij sui & simul inextricabiliter eodem decreto hujus maternitatem Virginis destinavit: Redeat Lector in memoriam ejus quod Sanctus Thomas affirmavit, Christi humanitatem, & Mariæ simul personam, (licèt in physica entitate finitam) moralis tamen dignitatis infinitatem contraxisse; illam quidem ex hypostatica vnione, istam vero (etsi cum summæ inæqualitatis proportione) ex Divinæ sibi facta maternitatis destinatione. Vnde fit, ut si quis in mente sibi proponat omnes possibiles creaturas eminenter contentas intra Omnipotentiæ Divinæ quasi amplissimam ædem, intuiturus sit cæteras omnes intellectuales creaturas, & quantùmvis perfectos Spiritus nihil esse aliud quàm servos & ministros in eâ Dei domo: Cùm tamen hæc Virgo tanquam Domina, & illius Mater, ad quem ea Omnipotentiæ regia pertinet, honore hyperduliæ ab omni possibili ente velut famulo colenda sit.

7. Ex dictis constat in quo Gratiarum genere confirmari Mater à Filio suo debuerit. Si quis illam dicat à sola peccati lethalis commissione fuisse liberatam; is non sufficienter ejus fastigij tantæ Virginis meritum sit insinuat. Nam ad liberationem à tali peccato sufficeret jugè per Gratias cum usu conditionalis præscientiæ concessum auxilium, eo modo quo Prædestinati omnes sic in manu Dei sunt, ut eos nullus inde possit eruere, juxta id quod Christus testatur Ioannis decimo; ***Non peribunt***, inquit, ***in æternum & non rapiet eos quisquam de manu mea; & nemo poterit rapere de manu Patris mei.*** Verùm peccandi impossibilitas in Deiparâ longe major fuit & omnino antecedens negato scilicet ei concursu ad peccandum necessario.

8. Ideo æquum fuit, ut simul in eodem signo in quo Christus Prædestinatus est Filius Dei ex semine David, & ex purissima virgineaque Matris carne; huic ejus Matri non solum omnis venialiter peccandi potestas singulari decreto eriperetur, sed & in ullam incidendi moralem imperfectionem positivam: Idque privilegium non differretur vsque ad Conceptionem Verbi æterni. Sub quam tamen Conceptionem factum est, ut quæ jam erat Gratiâ plena, novâ superimpleretur Gratiâ, cùm ex opere operantis, tùm (ut piè credi potest) ex opere operato propter Verbi corporati in sua viscera receptionem: Sicut nos ex opere operato augemur Gratiâ cum illud ipsum, Verbi corpus suppari quodam Sacramento intra nostrum stomachum admittimus comedendo. Consideret tandem Lector, quantum illud fuerit mysterium; quo Virgineus Mariæ sanguis mirabili conversione transierit à creata hypostasi ad hypostasin increatam; & sic à pura creatura fuerit conversus in Deum.

9. Contra Doctrinam, quam hic & superioris libri cap. 9. tradidimus, assignantes Beatæ Virgini antecedentem impossibilitatem peccandi cum negatione concursus necessarij. Objicies, non opus esse ut ei concedatur impossibilitas antecedens cum negatione Divini concursus. Videtur enim sufficere consequens impossibilitas per Gratias congruas jugiter concessas per usum Scientiæ Mediæ. Respondeo. Necessarium est huic tribuere Virgini antecedentem omnino impossibilitatem peccandi. Quia nunquam potuit Deus offerre illi geminum concursum ad peccandum & ad non peccandum. Nam implicat offerri concursum ad peccandum ei voluntati quæ versatur & quandiu versatur in actu perfectissimo charitatis & summi erga Deum amoris. Ille enim concursus oblatus esset ad impossibile. Atqui Mater Christi nunquam & vix etiam dormiendo, ut Ambrosius ait cessabat ab actuali amore, cum nec ad hunc illam excitare cessabat efficax Gratia.

CAPVT VIII.

Quam causam habeat Prædestinatio: Et num aliquam habere possit ex parte creaturarum.

1. QVAMVIS Divinus Prædestinationis actus nullam intra Deum physicam habeat causam; potest tamen aliquam moralem ex parte creaturarum habere, quæ Deum ad certas præ cæteris personas eligendas moveat. Omissis quos alibi retulimus veterum hæreticorum erroribus jam antiquatis, de quibus nulla est his temporibus disputatio; de ijs tantum nonnihil præmittemus de quibus licèt ab Ecclesia damnatis aliquod solet examen institui. Prædestinationis enim mysterium (utpote primum salutis nostræ fontem) Dæmon conatur sparso per duo Hæresum extrema veneno virulentæ Doctrinæ inficere. Liberum scilicet nostrum hinc per Lutheranos & Calvinistas deprimendo; inde verò per Pelagianos & Semipelagianos extollendo nimis arbitrium. De Lutheranis & alijs nostri temporis Novatoribus omne liberi meritum arbitrij à Prædestinationis mysterio & ejus executione secludentibus actum est à nobis sufficienter capite quarto libri præcedentis: Nec est quicquam necesse contra illos addere. Solùm operæ prætium est ut de ijs agamus qui nimis extollunt nostrum in Prædestinatione arbitrium.

2. Ad id primò juvat advertere; quàm severum fuerit Ecclesiæ judicium de illis etiam qui inter ipsos Semipelagianos proximè ab orthodoxa fide abesse visi sunt; & qui ad ipsam eo usque accesserunt, ut tantam errori suo addiderint moderationem, quanta reperitur adhibita in Cassiani decima tertia collatione. Vbi nempè Cheremon Abbas Semipelagianus fatetur ne quidem posse nos de congruo primam Gratiam, quæ fidei ac Prædestinationis sit initium, promereri: Sed duntaxat asserit dare nos posse viribus naturæ simplicem occasionem Deo; ut pro sua summa bonitate facientibus quod in se est non deneget Gratiam. *Deus est* (inquit in prædicta Cassiani collatione ille Abbas) ***occasiones quærens ut segnitiei nostræ torpore discusso, irrationabilis esse illius munificentiæ largitas non videatur.*** Quæ tamen verba Prosper capite 6. contra collatorem his acriter Verbis reprehendit: ***Vels, nolis convinceris dicere, Gratiam Dei secundum merita dari, cùm aliquid ex hominibus præcedere affirmas propter quod Gratia consequatur. Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides.***

3. Illa nimirum (quàmvis eo usque moderatâ imminutaque) sentiendi perversitas damnata est; quia (ob Christi verba quæ habentur cap. 7. Matthæi) pulsatione, petitione, quæsitione per naturæ vires antecedente, affirmabat venientem posteà, & quasi pedisequam ipsam Gratiam concessum iri non quomodocumque sed *infallibiliter*; quo in adverbio certum eventum significante virus hæreticum later; quasi nempè Gratia & Prædestinatio per liberi effi-

eaciam arbitrij evocata deesse nequeat; itaque sit in manu pulsantis, & voluntate petentis, atque potestate quærentis. Non desunt qui putent satis, recedi à Semipelagianis, dummodò negetur omne, (etiam de congruo) ad primam Gratiam meritum; licèt concedatur quædam remota ad illam Gratiam dispositio viribus inducta liberi arbitrij; non destituti eo Providentiæ auxilio; quod etsi naturale est secundùm substantiam (utpote naturæ rationali quodammodò debitum) tamen, subest Divinæ directioni, & puram eatenùs naturam secundùm modum superat. Hujusmodi verò auxilium intelligitur tùm interna Dei motio, tùm externa institutio parentum, & doctrina magistrorum, monita concionatorum, Angelorum custodia, virtutis diabolicæ compressio, &c. Quæ substantiam supernaturalem non habent, nec excedunt naturalem creatoris erga homines Providentiam. In eo sensu multos Catholicos gravesque Doctores locutos esse de naturalibus arbitrij humani viribus, asserit Lessius, quando censuerunt *facienti quod in se est per vires naturæ Deum non denegare Gratiam.* Tales ille non paucos adducit & explicat; ut videre potes in disputatione apologetica de Gratia efficaci & libertate arbitrij, cap. 10. de *faciente quod in se est.* Vbi cum illis ipse sentit, habetque consentientem Molinam pluribus locis, & nominatim in concordia quæst. 14. art. 13. disp. 7. & disp. 10. in principio.

4. Veruntamen, quidquid sit de illorum primæ classis Theologorum sententia, quam constat, ut ipsi eam explicant, nullum habere cum Semipelagianorum errore consortium; longe aliter hujus rei decisionem explicandam esse arbitror. Primò quidem, non videtur satis magnum (in modo loquendi) à Semipelagianis discrimen in eo, quod hi authores ad emolliendam suam opinionem volunt, cum naturalibus simul arbitrij humani viribus addi quædam Divinæ Providentiæ auxilia, quæ (cum nullatenus supernaturalia sint secundùm substantiam, sint supernaturalia secundùm modum. Id primò, inquam, non sufficit. Nam illa Providentiæ communis auxilia, non sunt secundùm se superioris ordinis, quàm ipsæ puræ ac nudæ vires humani arbitrij, quales Semipelagiani considerabant: Atque ita non magis quam illæ proportionem habent ad Gratiam. Et secundò, inde per se patet non posse humanas arbitrij vires, sivè nudas, sivè junctas purè naturalibus auxilijs, allicere infallibiliter Deum ad concedendam supernaturalem ullam Gratiam. Quare longe subtiliùs & ad orthodoxam doctrinam accommodatiùs res ista expediri potest, attendendo quod aït Angelicus Doctor lib. 3. contra gentes cap. 159. his verbis: *Deus, quantùm est in se, paratus est omnibus Gratiam dare. Vult enim omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Sed illi soli Gratiâ privantur, qui in seipsis Gratiæ impedimentum præstant.*

5. Igitur quemadmodùm in nullius est potestate, ut solaris astri exortum provocet; quostquàm tamen astrum illud ad multam diem latè lustrans omnia, clausas suâ luce velut pulsat fenestras; in cujusvis potestate est apertis fenestris, & luminis impedimento sublato, aulam suam splendore complere. Sic cùm Deus paratus est *illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, & stat ad ostium pulsans*; potest vnusquisque impedire sufficienter id illuminationis beneficium, potest & vi naturalis rationis ab iis, quæ contra legem naturalem committit, peccatis abstinere; atque ita impedimentum, quo Cœlestibus obsistebat luminibus, amovere. Illoque sensu verum est, *facienti quod in se est Deum non denegaturum Gratiam.* Videri potest pro ea Sententia Suarez lib. 3. de auxilijs cap. 2. & lib. 2. de causis Prædestinationis cap. 7. cum jam dicta satis convincat nullam Prædestinationis causam ex puris sumi posse naturæ viribus, quærendum est nùm & quomodò sumi aliunde possit.

6. Dico 1. nullum genus causæ, quæ Deum moveat ex parte creaturarum dari omnium effectuum Prædestinationis: Sed primam causam esse solum Dei beneplacitum. Vt hæc explicetur probeturque conclusio, advertendum est, causam motivam seu moralem hic intelligi quadruplicem posse. Nimirum meritoriam (sive ea sit de condigno, sivè de congruo inducens Dei aliquam obligationem) Item satisfactoriam; prætereà impetratoriam (quæ petendo seu orando movet:) Et tandem dispositivam (quatenus apta dispositio subjecti movere potest Deum, ut id concedat; ad quod videt esse bene dispositum ipsum subjectum.) Asserit autem ista conclusio nullam talem dari creatam hujus mysterij causam quoad omnes ejus effectus; sed Deum sua solâ voluntate motum esse ad quosdam eligendos; itaut nulla potuerit alia esse causa quoad omnes Prædestinationis effectus. Ratio clara est. Nam inter omnes illos effectus reperitur prima Gratia: Certum autem est ante primam Gratiam nullam dari posse causam ex parte nostra. Si enim aliquis posset esse causa movens Deum ad concedendam sibi primam Gratiam, seu primum effectum Prædestinationis; ille seipsum à reprobis discerneret; essetque verè causa moralis omnium aliorum ab illa prima Gratia causatorum effectuum; ut constat ex conclusione sequenti.

7. Dico secundò. Quamvis nequeat ex parte nostra dari moralis vlla causa primi effectus Prædestinationis, atque adeo nec omnium ejus effectuum collectivè sumptorum; dubium tamen non est, quin aliquis post acceptam solo Dei placito primam Gratiam possit eâ adjutus esse causa cæterorum effectuum; nempè receptionis Gratiæ justificantis, quæ sequetur post primam vocationem efficacem; sicut post justificationem perseverantem sequitur tandem glorificatio. Est, inquam, indubitatum posse nos post primam vocationem causare in nobis justificationem, & post hanc causare merita, per merita verò causare absolutam electionem ad Gloriam, & ipsam glorificationis tanquam meritæ mercedis receptionem. Vnde Augustinus & post hunc Suares constituentes primo electionem ad Gloriam non præsuppositis meritis; coguntur tamen post intuitionem meritorum admittere secundam & iteratam Electionem ad Gloriam, & executionem glorificationis, velut causatam vi liberi arbitrij operantis post primam vocationem efficacem. Quòd porrò prædicti effectus subordinati vnus post alium ex actu Divino Prædestinationis & vocatione sequantur (non vtique sine meritis nostris) constat ex Paulo seriem illius subordinationis explicante Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit; quos autem vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, hos & glorificavit.*

8. Ex hac secunda conclusione potest fundari contra primam objectio, atque hujusmodi argumentum. Si ille qui post acceptam Gratiam, quæ sit primus effectus Prædestinationis, potest deinde cùm fuerit justificatus mereri cæteros effectus, & totam eorum seriem subordinatè sequentium vsque ad glorificationis tanquam promeritæ mercedis receptio-

nem; ergo non repugnat casus propositus ab Ariaga disp. 57. sect. 2. num. 22. in quo aliquis possit esse causa meritoria, etiam de condigno; primæ suæ vocationis, & Gratiæ illius quæ sit initium Prædestinationis seu prima causa pertinens propriè ad suam ipsius Prædestinationem, atque ita sit initium sequentium Prædestinationis effectuum. Casus autem hic, quem esse possibilem prædictus author affirmat, talis est: Si Deus supponeretur dedisse Paulo; verbi gratiâ, inspirationem ad bene operandum cum perfecta charitate seu contritione, non ex intentione Prædestinationis, sed ob alium finem. Tunc enim Paulus post acceptum tale contritionis beneficium, cum jam esset in Gratia, posset petendo obtinere ut eligeretur ad Gloriam & esset causa meritoria primi actus ad Prædestinationem pertinentis. Respondetur illum casum seu suppositionem non videri esse possibilem. Vix enim fieri posset, ut Deus prædictum auxilium & inspirationem congruam daret Paulo, prævidens per Scientiam Mediam fore ut inde sequeretur facienda & effectum habitura petitio Prædestinationis Pauli ipsius ad Gloriam; quin ipse Deus haberet simul intentionem Prædestinandi illum: Atque ita in ea inspiratione inciperet Gratia prima Prædestinans, & eatenus non cadens sub meritum. Facilior posset esse suppositio, si non ipsi Paulo facta esset prædicta inspiratio, sed alteri, putà Stephano; qui à Deo non ex intentione Prædestinationis Paulo procurandæ; sed ex intentione movendi Stephanum ad benignitatis actum, & ad petendam à Deo justificationem sui persecutoris, ut exponemus infrà numero 14.

9. Dico tertiò. Christus fuit causa primæ Gratiæ per quam Prædestinati secernuntur à reprobis, & consequenter omnium Gratiarum seu effectuum illam primam Prædestinationis Gratiam sequentium, ac tandem Electionis ad Gloriam. Vt hæc stabiliatur conclusio, suppono, quod probatum est superiùs, Electionem ad Gloriam non fieri nisi post salvandorum prævisa merita, atque ita posteriorem esse primâ Gratia efficaci. Suppono secundò Prædestinationem hominum ad Gloriam antecessisse prævisionē peccati Adæ. Suppono item tertiò Christum non fuisse decretum ut Redemptorem simpliciter, sed ob alias item anteriores considerationes. His præsuppositis conclusionem sic probo. Cùm Christus in illo priori, in quo ante lapsum Adami facta est Prædestinatio Electorum, supponeretur esse venturus & infinitatem meritorum habiturus; clarum est potuisse tunc ex illius certò futuris quocumque modo (sive per susceptam passionem, sive absque passibilitate) meritis prædestinari cùm Angelos tùm homines. Confirmatur, nam cum (ut supposui) Prædestinatio non facta fuerit primò ad Gloriam; sed ad Gratiam efficacem, per quam acquirantur infallibiliter merita, ex quibus prævisis fiat deinde absoluta electio ad Gloriam, manifestum est ex Scriptura sacra prædictam Gratiam efficacem non fuisse decretam, nisi ex meritis Christi. Ait enim Paulus ad Ephes. cap. 1. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi; qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Vbi per omnem benedictionem intelligit omnem Gratiam, & eam primò quæ sit Prædestinationis initium primumque donum in cœlestibus & ad cœlestia spectans quæ non potest esse nisi in Christo & per Christum. Gratiam enim per ipsum nobis concessam, intelligi debere. Prædestinationem disertè ipse statim Apostolus explicat: *Qui Prædestinavit nos in adoptionem Filiorum per Iesum Christum in ipsum. In quo etiam* (ut paulo post ipse addit) *nos sorte vocati sumus* (vocatione scilicet illâ primâ efficaci, quæ non potest esse nisi per illum & in illo) *Prædestinati secundum propositum.* Habemus itaque ex Scriptura Christum esse causam, ut docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. meritoriam nostræ justificationis & primæ Gratiæ, atque omnium sequentium meritorum ad Prædestinationem pertinentium; & per consequens esse causam ipsius absolutæ Prædestinationis ad Gloriam.

10. Est verò notandum, diversam hic inter authores esse rationem opinandi quoad Christi causalitatem meritoriam respectu absolutæ Prædestinationis ad Gloriam. Quod enim spectat Prædestinationem ad Gratiam quamcumque, & nominatim primam, nullus est qui non sentiat Christum esse meritoriam ejus causam. At inter illos, qui volunt & Christum fuisse decretum, & omnium salvandorum electionem esse factam ante prævisum originale peccatum, Scotus & Suares à se invicem in eo quoad Gloriam discrepant; quòd Scotus omnem sivè hominum, sivè Angelorum electionem ad Gloriam putet independentem esse omninò à meritis Christi; doceatque in 3. dist. 19. quæst. 1. non fuisse prærordinatum Christum ad merendum nisi post omnium Prædestinatorum electionem. Verùm Suares lib. 2. de causa Prædest. cap. 24. etsi cum Scoto censeat in constituenda tum Christi tùm aliorum Prædestinatione ante prævisum Adami casum: Ab eo tamen differt, quòd in hominum Angelorumque Prædestinatione duo consideret; nempè rationem dilectionis seu benevolentiæ & rationem electionis aliquorum præ alijs. Et quidem sentit merita Christi fuisse causam Prædestinationis ut habentis rationem benevolentiæ, non tamen ut habentis rationem electionis & discretionis à reprobis. Nam Deus in priori quàm ipse eligeret; prævidere quidem poterat futuram benevolentiam Christi erga omnes vniversim electos; non autem prævidere poterat ejus merita ut applicata ad unos præ alijs eligendos. Cùm enim Christus aliquando sua merita, sivè orationem suam pro quibusdam applicuit excludendo cæteros, Ioan. 17. dicens, *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi*: Ait Suares illum id non fecisse nisi præsupponendo factam esse electionem à Deo, & hos, non illos sibi à Patre datos fuisse.

11. Porrò hæc jam explicata difficultas, num efficax ad Gloriam electio adjudicanda sit necne meritis Christi; apud eos solos cum dubitatione potest habere locum, qui totum Prædestinationis negotium sumere initium putant ab electione ad Gloriam. Qui enim Prædestinationis initium nobiscum ponunt in prima Gratia efficaci, illi necessariò asserunt merita Christi esse causam ipsius ad Gloriam electionis, ut potè pendentis à prima Gratia, quam Christi merita causaverunt. Atque ita manifestè apparet probata nostra tertia conclusio. Attende hic etiam illos qui Prædestinationem cum Augustino volunt esse factam post Adæ prævaricationem, adscribere meritis Christi hominum Prædestinationem; quam nempè asserunt in sola consistere prærogativâ qua Deus extrahit aliquos ex massa corruptionis.

12. Suppositâ veritate hujus tertiæ conclusionis, quòd Christus fuerit causa meritoria primæ Prædestinationis ad Gratiam & consequenter vltimæ electionis ad Gloriam; Dubium se offert quomodò Christi merita fuerint ad id destinata & applicata; an scilicet, quave ratione voluntas Christi merita sua id

eum finem obtulerit Patri? Nùm in communi solùm & indifferenter pro salute quorumcumque hominum, an verò pro salute singulorum seu nominatim horum & illorum. Atque hinc ortus est conflictus inter duos insignes Theologos, Suarem lib. 2. de Prædest. cap. 4. & Vasquem 1. p. disp. 94. cap. 3. Isto quidem asserente Deum reliquisse integrum Christo ut designaret, quos vellet in hoc beneficio præferri alijs. Suare autem aliunde contendente sufficere ut Christus offerret Patri sua merita pro vniverso indiscriminatim genere humano; nec fuisse conveniens, ut ea offerret sub formali respectu & comparatione electionis, & horum præ illis dilectionis sicut supra jam indicavi num. 10. sub finem. Non vacat rationes hinc & inde illorum authorum proferre, quas poteris apud ipsos videre. Vno tantùm verbo assero probabiliorem videri Suaris sententiam quidquid dicat Herice disp. 29. cap. 3. num. 26.

13. Dico quartò. Iuxta sententiam quæ asserit Prædestinationem à prima Gratia seu vocatione inchoari, potest vnius personæ Prædestinatio causari & obtineri per vnius alterius puræ creaturæ preces & merita. Conclusio indubitata est. Et potest probari ex eo quod apud Augustinum aliosque Patres Prædestinatio Pauli tribuatur meritis orationique Stephani. Nullus item Catholicus ambigit, quin Sancti in terra, & in cœlo Beati possint juvare nos ad primam Gratiam justificationemque, & ipsam consequenter glorificationem obtinendam. Neque vlteriori probatione opus est; quàm quotidiana praxi & ordinarijs precibus totius Ecclesiæ, quibus Sanctorum in eum finem suffragia postulantur.

14. Dubitari tantum potest, nùm quando primam Gratiam Stephanus obtinuit Paulo, initium Prædestinationis Pauli sumatur à Gratia quam Deus inspiravit Stephano ut pro suis lapidatoribus oraret; an potius ab ea prima efficaci Gratia, quâ Paulus vi prædictæ orationis vocatus interiùs conversusque fuit. Potest verò considerari Gratiam prædictam, quâ Sanctus Martyr ad orationem impulsus fuit, potuisse illi varijs motivis à Deo infundi, vel ex intentione directa Prædestinandi salvandique Paulum, vel tantùm ex intentione inducendi Stephanum, ut exerceret seu actum benignitatis erga inimicos, seu actum patientiæ, imitationis Christi, charitatis in Deum, &c. Si secundo hoc modo; clarum est Prædestinationem Pauli cæptam non fuisse à Gratia inclinante ad actum Martyris meritorium, qui fuit eatenùs intentus in favorem ipsius martyris. Si priori modo; posset aliquatenùs dici ab illa sumendum esse Prædestinationis dictæ initium. Veruntamen non ita dicendum judico. Nam primò non videtur consentaneum ut alicujus Prædestinatio reperiatur & incipiat in alio subjecto quàm in ipso Prædestinato. Deinde si hoc esset, deberet dici eodem modo passionem & orationem Christi esse omnium electorum Prædestinationem, non autem ejus causam.

15. Advertendum est, id quod hæc quarta conclusio asserit (nimirùm posse vnius personæ Prædestinationem obtineri per alterius puræ creaturæ preces & merita) non debere æquè intelligi in eorum opinione, qui volunt cum Suare primam à reprobis discretionem consistere proximè & immediatè in electione ad Gloriam nullis prævisis meritis. In illa enim opinione omnes debent dici electi simul in eodem signo rationis. Quare secundùm hoc, nulla persona præter Christum potuit præsupponi per Gratiam & vocationem sanctificata, ut posset esse sufficiens causa ad obtinendam suis meritis Prædestinationem vllius alterius.

CAPVT IX.

Qui sint Prædestinationis effectus.

1. ID vocamus Prædestinationis effectum, quod post illam præsuppositam conducit ad Prædestinati salutem; & quod ad præsuppositæ ipsius executionem à Deo intenditur. Quare beneficia supernaturalia, quæ communia sint Prædestinatis & reprobis non sunt effectus Prædestinationis, quam ut talia nullam supponunt; nec ad salutem, quæ in reprobis nulla futura est, conducunt. Præterea licèt non rarò suum peccatum sit in Prædestinatis salutis occasio: Quia tamen id per accidens est, & quia nec à Deo peccatum per se intenditur, nec per se valet ad salutem promerendam; non debet inter Prædestinationis effectus numerari. Quia porrò, ut jam indicavi, effectus Prædestinationis debet ipsam præsupponere; notandum est illos qui Prædestinationem ad Gloriam ante prævisa merita collocant; numerare inter ipsos illius effectus primam Gratiam seu vocationem efficacem cæterasque Gratias, quæ sequuntur vsque ad acquisitionem Gloriæ; quam & ipsam Suares numerat inter effectus velut eorum clausulam. Qui verò juxta nostram sententiam volunt Prædestinationem consistere in prima Gratia; talem Gratiam non ponunt in numero effectuum. His prænotatis.

2. Dico primò. Gratiæ omnes supernaturaliaque beneficia, quæ post primam vocationem, in qua Prædestinationis ratio consistit, sequuntur juxta Dei intentionem ita continuatâ serie, ut nulla interveniat per peccatum lethale interruptio; censeri debent ipsius Prædestinationis effectus. Etenim si Deus omnino intendat primam Gratiam & vocationem perseverare vsque ad Gloriæ consecutionem, dubitari non potest, quin omne supernaturale donum quod consequenter tribuitur, censeri debeat effectus primæ Divinæ intentionis, & vocationis jam dictæ. In eo autem perseverantiæ intervallo primùm occurrit justificatio per consensum quem homo tunc præbuit. Ita ut ipse consensus, quatenùs liber & actus vitalis (quidquid Molina contra dicat) censeri debeat effectus Prædestinationis ipsius. Deinde verò post justificationem & juges prævenientes inspirationes bona sequuntur opera, & merita comparantur. Præterea multa possunt accedere Dei auxilia etiam externa, & impedimentorum amotiones, præservationes, occasiones occurrentes variarum exercendarum virtutum.

3. Objicies. Omnia illa merita, quæ in perseverantiæ decursu acquiruntur, non videntur effectus Prædestinationis, cùm ad salutem necessaria non sint. Nam post primam justificationem Gloria jam promerita est, & homo sine sequentibus Gratijs est sufficienter prædestinatus. Respondeo. Totum, id quod post primam Gratiam adijcitur non aliunde nascitur, quàm ab illa; atque ideo ipsius est evidenter effectus. Quòd autem plures gradus Gloriæ acquirantur, quàm præcisè necessarium sit ad evitandam reprobationem, id non impedit, quin totum ab intentione Dei Prædestinantis oriatur. Alioqui

nec prima justificatio, cùm non possit non habere aliquem gradum supra infimam & indesignabilem intensionis partem, nequiret tota ad Prædestinationem pertinere.

4. Dico secundò. Quamvis accidat, ut justificatio, quæ per primam vocationem efficacem obtinetur, non sit perseveratura usque ad mortem, & post quoddam tempus per peccatum extinguatur: Videtur tamen in eâ primâ Gratiâ seu vocatione contineri veram Prædestinationis rationem; & ejus Prædestinationis censeri debere effectum illam ipsam justificationem primò obtentam; dummodò Gratia justificans sive physicè, sivè moraliter eadem, per pœnitentiam recuperetur, & sublato impedimento peccati reviviscat penitùs (ut mihi quidem videtur integrè reviviscere:) Et insuper, dummodò Deus, quando illam primam vocationem concessit, prævideritatque intenderit justificationem ut recuperandam, & salutis causam futuram. Eodem modo asserendum est alias Gratias omnes (etiam per sacramenta & ex opere operato acquisitas) dum reviviscunt, esse effectum Prædestinationis. Sic etiam Gratia originalis, cum qua fuit creatus Adam, & quam perdiderat, censeri debet pertinere ad ejus Prædestinationem. Adverte Gratiam omnem actualem quam rejecit Prædestinatus, non reputari inter effectus Prædestinationis.

5. Dico tertiò. Cùm juxta nostram sententiam Prædestinatio in prima Gratia efficaci consistat, & hominis creationem, atque cætera per naturalem resultantiam annexa præsupponat, non potest esse causa ipsius creationis, nec eorum quæ ad illam consequuntur. Potest tamen esse causa eorum omnium donorum, quæ posteriora creatione, & primâ Gratiâ, licèt sint entitatis naturalis, conceduntur; non ut simpliciter naturalia, sed ut à Deo diriguntur ad salutem. Atque ita multæ res, multique casus naturales per directionem Divinam sunt effectus Prædestinationis: Quales sunt contrahere amicitiam cum homine sancto, invitari à socio ad ingressum templi sub concionis tempus, &c. Eodem pertinent dona naturalia ad virtutes morales; eodem res adversæ vel etiam prosperæ; eodem morbi, persecutiones, & similes virtutum exercendarum occasiones; in quibus ad humilitatem subtractio Gratiæ temporaria, necnon permissio peccati. Quæ omnia Prædestinatis cooperantur in bonum. Ita & ipsa etiam peccata serviunt Deo facienti de tenebris lumen splendescere. Non tamen peccata, ut eorum permissionem, amat; neque cum amat pœnitentiam, quæ sine illis esse non potest.

CAPUT X.

De Reprobatione & ejus causis.

1. QVAM certum est Divinâ fide plurimos esse damnatos, tàm certum est eos fuisse Divinæ reprobationis objectum. Reprobatio autem, provt est intra Deum, in tribus consistit actibus; duobus quidem intellectus, & tertio voluntatis. Nam ut Deus reprobet aliquem, necesse est primò illum intelligere ejus sive hominis, sivè Angeli pravitatem. Secundò est opus ut habeat judicium quo illam pravitatem dignam esse pœnâ existimet; eoque sensu dicatur eam reprobare quo nos propositiones quæ videntur falsæ dicimur nostro judicio reprobare; quomodò dicitur Psalmo 31. *Deus reprobat cogitationes Principum.* Quia verò suppositis illis duobus intellectus Divini actibus, posset Deus absolutè loquendo vel parcere vel punitionem negligere propter altiores rationes: Ideo ad reprobationem, quam infallibilis sequatur æterna damnatio, efficacem oportet addi voluntatis actum, quo talis tantaque constituatur apud inferos pœna. Sicut enim ad Prædestinationem non sufficit judicium de Sancti alicujus meritis, sed ea completur decreto voluntatis: Reprobatio pariter decreto perficitur voluntatis. Nota quòd ad nomen reprobationis attinet, vim illius esse; ut quandam ab ijs qui & probati & ad Gloriam electi sunt discretionem significet; quemadmodùm electio connotat post aliquos assumptos cæterorum omissionem atque repudiationem.

2. Quod diximus sufficit ad reprobationis naturam, & vim ipsius nominis intelligendam. Sequitur ut hujus mysterij causas isto capite exponamus. Quod ut dilucidè fiat, distinguenda est quæ duplex intelligi potest, reprobatio; negativa, & positiva. Negativa nihil aliud est, quàm non Prædestinari. Positiva est (ut suprà diximus) post cognitam alicujus pravitatem, voluntas efficax fontem illam creaturam damnandi. Incipiamus à reprobationis positivæ causis indagandis. Et primò quidem contemnenda, verèque reprobanda est aliquorum hæreticorum de reprobationis causa opinio, non minùs impia quàm stulta. Qualis Manichæorum; qui vnicam reprobationis causam repetebant à Deo quodam malo: Qualis & Priscillianistarum, qui fato constellationumque affectioni necessitatem reprobationis tribuebant. Sed longè Calvinus illos impietate superavit, qui Deum verum & optimum facit primum authorem pravitatis perditionisque omnium reproborum; quos ipse nullo eorum præviso demerito ad sempiterna supplicia destinarit; & in eum finem crearit, ut ad ea facta impelleret ob quæ dæmonibus traderet excruciandos.

3. Dicendum primò est, nullam positivæ reprobationis ex parte Dei reperiri causam; sed eam ex parte sola reproborum sumi. Ratio petitur ex infinita Dei bonitate, quem ipsi etiam Ethnici vocarunt Optimũ Maximum; & quidem priùs Optimum quàm Maximum. Eumque, de fide Christianorum est, *velle omnes homines salvos fieri*; qui & per vitam suam juravit nolle se mortem peccatoris: *Vivo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, sed ut convertatur & vivat.* Ezech. 33. Quam Divinam in electionis præcipuè reprobationisque mysterio bonitatem egregiè Damascenus lib. 1. de fide cap. 29 sic explicat. *Quin vos quoque illud ne fugiat, Deum ut bonitate præstantem primariè quidem omnes servari ac regni sui compotes esse velle; neminem supplicij aut cruciatus causâ, verùm ad hoc ut bonitatis ipsius participes simus, nos effinxit.* Idem habet Valentinum sub Lothario Concilium cap. 4. *Fidenter, inquit, profitemur Prædestinationem Electorum ad vitam & Prædestinationem impiorum ad mortem. In electione tamen salvandorum misericordiam præcedere meritum bonum: In damnatione periturorum meritum malum præcedere justum judicium.*

4. Contra veritatem hujus conclusionis censuere quidam Theologi recentiores, quos reprehendit Herice disp. 33. cap. 1. & seqq. Quorundam asperas in hac materia sententias libro superiori retulimus. Alvares libro de auxilijs cap. 110. invenisse putat ex parte Dei causam primam positivæ reprobationis in permissione primi peccati ob beneplacitum

Divinum absque vlla occasione ex parte creaturæ; hoc est, nullo præsupposito peccato, neque actuali, neque originali, neque vtroque simul. Illam severitatem secutus est Granadus tractatu 6. disp. 2. & alibi, cum illa tamen diminutione absurditatis, quòd saltem libertati reproborum consulüit per Scientiæ Mediæ usum; quem non agnoscit Alvares; coactus inducere physicam prædeterminationem, quâ Deus reprobatos in priori, posteà determinet ad physicam entitatem actuum malorum, propter quos pœnam æternam decreverit.

5. Sed nec admittenda est etiam cum usu Scientiæ Mediæ hæc sententia. Eam enim non tantùm defectus libertatis reproborum, sed etiam attributa Deo velut crudelitas facit vel ipsis auribus repudiandam. Mirum verò est quòd Ariaga disp. 39. num. 8. illam dicat; licèt veritate, non tamen omni probabilitate esse destitutam. Quasi nempè Deus, sicut post peccatum commissum potest ei pœnam statuere ex honesto motivo justitiæ; ita ex eodem motivo possit peccatum futurum punire velle; cùm ejus fœditatem atque demeritum ratio futuritionis non excuset: Quemadmodùm ejusdem est honestatis destinato, prævisoque actui meritorio, atque eidem præterito, mercedem præmiumque decernere. Verùm ex adverso constat, non eandem esse hic rationem futuri boni & futuri mali operis. Etenim quàm gloriosum Deo esse posse tactui meritorio nondum absolutè futuro decernere antecedente liberalitate per usum Scientiæ Mediæ vitam æternam (quamvis ex Augustini & communi Catholicorum sensu certum sit contra Semipelagianos Deum numquam id facere) tàm dirum & crudele foret velle punire peccatum per usum Scientiæ Mediæ, antequam absolutè prævideatur futurum, & ei pœnam æternam efficaciter & absolutè constituere. Omitto censuras quibus hanc sententiam aliqui afficiunt; ut quòd Catharinus lib. 2. de Prædest. horribilem & pias aures verberantem dicat; Stapletonus in caput 9. ad Rom. execrabilem, &c.

6. Dicendum est secundò reperiri ex parte reproborum causam damnationis & positivæ reprobationis; mortale scilicet peccatum, sivè originale, sivè actuale, sivè vtrumque simul perseverans vsque ad mortem. Hæc conclusio manet plusquàm certa ex dictis num. 3. ut enim aït in terminis Oseas cap. 13. *Perditio nostra ex nobis est.* Dixi, peccatum perseverans absque remissione vsque ad mortem; quandoquidem, ut est in Epist. ad Rom. cap. 2. *Benignitas Dei omnes peccatores invitat ad pœnitentiam.* Vnde certum est nullum à Deo reprobari ante prævisam vsque ad mortem impœnitentiam. Hinc sequitur contra quosdam; peccatum originale contractum non posse esse causam reprobationis, sivè infantium quandiu vivunt; sivè eorum adultorum quibus non fuit remissum. Idemque dicendum est de quolibet actuali peccato, nisi prævisa sit illius perseverantia vsque ad mortem.

7. Sed neque placet quod Suares lib. 5. de reprobatione cap. 5. num. 9. & seq. fatetur posse probabiliter dici, peccatum originale sufficientem causam fuisse cur Deus adultis aliquibus Gratiam prævenientem congruam, seu infantibus quibusdam opportunitatem baptismi dare noluerit. Cùm enim præparatio Gratiarum ejusmodi facta supponatur post præscientiam noxæ Adami, existimari potest peccatum originale contractum rationem esse cur his & illis prædictam Gratiam negaverit; cùm potuisset æquè etiam alijs omnibus, quibus illam concessit, denegare. Id, inquam, displicet. Nam statim atque Deus communem omnium hominum, Adamo peccante, miseriam cognovit, statuit illis per sui Filij Incarnationem subvenire. Quomodò ergo consequens est, ut plurimos deinde propter illud solum peccatum vellet tali remedio privare?

8. Similiter non placet quod concedit idem Suares loco citato, Deum postquam peccatum originale homini baptizato remissum est, posse propter solam illius peccati culpam inferre pœnam hanc, ut tali homini deneget Gratiam efficacem, defectu cujus incidat ante mortem in peccatum lethale & damnetur. Id alienum puto ab effectu Baptismi. Quamvis enim & post Baptismum pœna mortis temporalis aliæque pœnalitates in omnibus remaneant; & in adultis post actualia peccata gravia remissa Deus in eorum pœnam cesset à pristina familiaritate, & eâ quæ forte prius erat Gratiarum profusione. Videtur tamen repugnare Baptismi effectui copioso; & Divinæ benignitati, & naturæ peccati non propriâ voluntate commissi, &c. Vt Baptizatus homo qui forsitan valde sanctus evasit, & actualia peccata sivè per Baptismum, sivè per pœnitentiam & confessionis Sacramentum delevit, eo animadversionis genere puniatur quod prævideatur esse damnationis occasio.

9. Dicendum est tertiò reprobationis negativæ, seu Prædestinationis denegatæ non dari ullam causam ex parte creaturæ; sed totam sumi ex parte Dei volentis primam alicui Gratiam seu vocationem tribuere sufficientem quidem, sed non efficacem: Eam tamen quam illi reprobo dat Gratiam non ideo eligit quia videt inefficacem, nec ex decreto ullo secuturæ reprobationis positivæ; sed quia videt in ea tantam inesse vim & entitativam efficaciam ut ne habeat effectum per solam stet creaturæ libertatem. Quòd autem prævidens eventum infelicem non aliam det magis congruam Gratiam, solius est illius arbitrij æternique consilij rationes habentis altissimas & nobis incomprehensas. Atque hac in re consistit, quòd magis eos Deus dilexerit quos elegit infallibiliter salvandos, quàm eos, quos prævidens perituros negativâ quadam velut immisericordiâ suæ ipsorum voluntati suoque periculo permisit.

CAPVT XI.

De Reprobationis effectibus.

1. QVEMADMODVM ea prima Gratia quâ Deus electos suos efficaciter prævenit & secundum propositum vocatos discernit à cæteris, non est juxta nostra principia effectus Prædestinationis, sed est ipsamet Prædestinatio: Cùm nullam præsupponat anteriorem Gratiam ex qua oriri possit. Eodem modo asseri debet, negationem Gratiæ primæ efficacis, & incongruam reproborum inspirationem dici non posse reprobationis effectum; cùm reprobatio ipsa negativa quæ positivam reprobationem antecedit, consistat formaliter in illa efficacis Gratiæ negatione. Notandum verò est, ex hac prima reprobatione oriri permissionem finalis peccati, eo modo quo effectus aliquis potest oriri ex negatione tanquam removente prohibens. Ex illo autem peccato finali sequitur reprobatio positiva, Divinum scilicet decretum absolutum & efficax supplicijs addicendi peccatorem æternis.

2. Dixi reprobationem positivam sequi ex pec-

cato finali, nempè illo, quòd vel in ipsa morte committitur per formalem impœnitentiam, vel alio quocumque habituali, quod ad finem vsque durat non remissum. Nam sæpe accidit ut illi qui tandem reprobi sunt peccata committant quæ ipsis per pœnitentiam remittantur. Quare talia peccata quæ absolutè remissa fuerunt non debent censeri negativæ reprobationis effectus; quemadmodum neque positivæ possunt causa esse reprobationis.

3. Quæ positiva reprobatio, quia sequitur post ultimum & finale peccatum, non potest vlterioris peccati esse alicujus causa, cum post ultimum nullum sit ulterius: Potest tamen propter cordis obstinatam in extremis indurationem, esse causa quorundam aliorum effectuum: Nempè cur Deus permittat nullum ipsi homini, dum jàm reprobatur, Sacerdotem qui illum ad pœnitentiam hortetur & à peccatis absolvat, præsto esse; & cur ei nullam congruam de salute cogitationem inijciat, juxta illud Proverb. cap. 1. *vocavi, & renuistis; despexistis omne consilium meum; & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo.* Præterea ipsius positivæ reprobationis effectibus accenseri potest, quòd Deus velut in crudelem mutatus, peccatorem illicò morte mulctet pessimâ: Quæ non ex communi Providentia, nec ex sola mortalitatis conditione proveniat; sed quam vigil & sanctus ipse de cœlo infligat.

4. Quali morte percussus fuit Dathan & Abiron, numerorum cap. 16. Atque Herodes ille, quem actorum cap. 12. percussit Angelus Domini, & qui consumptus à vermibus expiravit. Potest etiam fieri, ut Deus non tantùm repentinam mortem prædicto modo in pœnam peccati, propter quod secuta reprobatio positiva fuerit, immittat; sed etiam morbos & cruciatus extraordinarios, non solùm ad posteritatis documentum, sed ex affectu vindicativæ justitiæ: Ut videtur contigisse prædicti Herodis Patri Ascalonitæ; Antiocho item quem summa illustrem fecit impietas.

5. Denique vltimus est positivæ reprobationis effectus, & hujus totius funestissimi negotij catastrophe; ut dæmonibus anima reprobi dedatur & ad inferos detrudatur. Nec verò si suis mali ipsi Angeli loquantur linguis, omnia pœnarum quarum hominibus infligendarum ministri sunt poterunt comprehendere genera nominave percurrere. *Omnipotentia Domini* (ut est in cap. 16. libri Iudith) *vindicabit in eis: Dabit vermes in carnes eorum, ut vrantur & sentiant vsque in sempiternum. Ignem eorum, succendet furor Domini; inextinguibilia sufflabit incendia Spiritus iracundia ejus.* Illorum vstulatis ipsis etiam animabus, nullâ per omnem æternitatem spe solatij; dum blasphemas edent ejulationes nihil profuturas. Atque sic numquam cessabit positivæ reprobationis effectus.

CAPVT XII.

De Libro Vitæ & Mortis.

1. METAPHORICÈ Librum vitæ dicimus notitiam æternam qua Deus cognoscit illos qui electi aut prædestinati fuere. Nam ut ait Augustinus lib. 10. de civit. cap. 15. *Non nescit Deus; nec in hoc Libro legit, ut sciat; sed potius illa ejus scientia de Prædestinatis, quæ falli non potest, Liber est vitæ.* Vbi Librum vitæ distinguit aliquatenùs à Prædestinatione; dum illum ad Prædestinatos quasi ad ejus objectum comparat. Adde inde etiam augeri distinctionem quod Prædestinatio ad Dei voluntatem, Liber vitæ ad intellectum pertineat. Et quamvis Divus Thomas quæst. 24. art. 1. ad 4. Prædestinationem ponat etiam in Divino intellectu; eam tamen ut scientiam practicam agnoscit; Librum autem vitæ, ut notitiam posteriorem & merè speculativam. Porro nomē hoc metaphoricum Libri vitæ sumptum est ex Scriptura sacra: *Quicumque non est inventus in Libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis*, Apoc. cap. 20. Item, *Non intrabit in eam nisi qui scriptus est in Libro vitæ agni*, cap. 21. Nonnunquam pro Libro vitæ dicitur, *Liber justorum*; ut Iosué 20. aut *Liber viventium*, Psal. 68. *aut Liber Dei*, Psal. 138. *In Libro tuo omnes scribentur*: Et Exodi c. 32. *aut si non facis dele mè de Libro tuo.* Cui respondit Dominus. *Qui peccaverit mihi delebo eum de Libro meo.* Etiam in plurali dicuntur Libri, ut Danielis 7. *Iudicium sedit & Libri aperti sunt.* Quos aliqui interpretantur conscientias hominum *non atramento scriptas, sed flagitiorum inquinamento*; ut loquitur Ambrosius in Psal. 1. Alij cum Hieronymo libros hic agnoscunt duos Librum vitæ, & Librum mortis: Alij tres distingunt, Librum demonum accusantium; alterum Angelorum defendentium; tertium eum ex quo judex proferat sententiam; ut Refert Cornelius à lapide in eum locum Danielis. Dicuntur item in plurali Libri Apoc. 20.

2. Quæri potest, nùm in Libro vitæ intelligatur aliquid aliud exaratum præter ipsorum Prædestinatorum personas seu nomina? Ad quod respondendum est; cum nos Prædestinationem ad Gloriam, velimus esse factam ex prævisione meritorum, non possumus concipere electorum nomina describi; nisi in eadem pagina, ut ita loquar, præsupponantur scripta esse illorum merita. Suares tamen, qui electionem personarum ad Gloriam ponit ante prævisionem meritorum, debuit asserere consequenter Librum vitæ seu electionis ad Gloriam, solas continere personas; alterum autem dari Librum deinde priori respondentem, in quo bona opera describantur. Insuper ipse advertit posse in hoc secundo subdividi duos Libros; in quorum uno contineatur jus, in altero scribantur opera recta; & secundum quod facta sint juris præscriptum. Addo pertinere ad Librum vitæ, ut sit non tantum notitia eorum qui electi fuerunt ad Gloriam, & scripti in eo indelebiliter; sed etiam illorum qui Prædestinati sint ad Gratiam & Gloriæ meritum, licet delebiliter ob defectum perseverantiæ: Vt sumitur ex D. Thoma quæst. 24. art. 3.

3. Quod autem ait ibi Sanctus Doctor, posse deleri de Libro vitæ eos, qui ratione Prædestinationis ad Gratiam in eo sunt scripti, non autem eos qui sunt scripti ratione electionis ad Gloriam; id non ita intelligendum est, quasi illi qui ad Gratiam Prædestinati sunt possint à Libro Prædestinationis sic deleri, ut Gratiam ad quam Prædestinati sunt non accipiant; sed quòd possint ab illâ acceptâ excidere: Cum è contra qui Prædestinati sunt ad Gloriam non possint ab hac excidere, aut nullo modo deleri. In nostris autem principijs cùm electio ad Gloriam fiat post libertatis prævisam cooperationem, clarum est illos qui ad eam scripti sunt, potuisse non scribi, si ipsi scribi noluissent, libertatis suæ cooperationem denegando. Similiter cum Prædestinatio ad Gratiam vocantem, quæ prævidetur efficax fore si detur, sic fiat antece-

denter, ut præsupponat Scientiam Mediam; patet eos qui ad hujusmodi Gratiam efficacem Prædestinati sunt, potuisse antecedenter facere ut talis Gratia non esset efficax; & consequenter ut ipsi non possent dici ad eam Gratiam Prædestinati. Negari tamen non potest, quin ex suppositione quod aliquis semel scriptus fuerit, impossibile sit impossibilitate consequente ut deleatur.

4. Porrò controversia est inter Doctores; num quemadmodum vitæ, sic etiam detur Liber mortis. Non displicet quod asserit D. Thomas quæst. 24. art. 1. ad 3. non esse consuetum eos conscribi qui repudiantur, hoc est qui, verbi gratiâ, non admittuntur in Senatum aut in aliquem exercitum, &c. sed eos qui eliguntur. Vnde dici potest cum eodem Sancto Doctore non dari Librum mortis tam speciali ratione, ac datur Liber vitæ. Nihilominùs dubium etiam non est, quin Deus habeat distinctissimam notitiam omnium reproborum, & quin eorum nominatim sigillatimque meminerit. Quapropter cùm reprobi non quocumque modo relinquantur, sed propter demerita, & post exactam causæ cognitionem latâ sententiâ reijciantur, & condemnentur, atque inter ipsos homines (à quibus ducta est hæc metaphora Libri Divini) soleat reperiri Liber, in quo respublica conscribat eorum nomina qui ad mortem damnantur, non videtur esse inconveniens, si Deum asseramus habere Librum etiam mortis. Qui certè Liber fundamentum habet in Scriptura: Quæ ut supra retulimus, aït Deum habere Libros in plurali, & quibus omnes homines judicentur. Clarius habet fundamentum in Patribus.

5. Disertè Basilius in quartum Isaïæ, *Duo* (inquit) *debent intelligi scriptiones: Vna eorum est, qui ad vitam; altera eorum est, qui scribuntur ad perditionem.* Et Nazianzenus Orat. 9. ad Iulianum sic aït: *Nisi fortè de quodam viventium, pereuntiumque Libro nihil vnquam audisti. Illic omnes scribemur, vel ut rectiùs dicamus jam inscripti sumus.* Addi potest Eutychius in illud Psalmi 6. *in Libro tuo omnes scribentur*; vbi dicit metaphoram Libri absolutè positam in Scriptura significare præscientiam, in qua tam boni quam mali scribuntur. Eodem modo Cornelius à lapide in caput 4. Epistolæ ad Philipp. in illa Apostoli verba, *quorum nomina sunt in Libro vitæ*, refert Theophylactum asserere, Librum mortis esse præscientiam & notitiam in qua Deus illos describit quos prævidet in peccato morituros atque damnandos.

6. Eodem referendum est quod aït Hieronymus in cap. 7. Danielis, duos esse libros, *Nempè Librum bonorum, & Librum malorum.* Et quia Scriptura non tribuit speciatim Deo Librum mortis, propterea subjungit *Librum bonorum esse in Deo; Librum malorum & mortis esse in Diabolo, ut accusatore. Atque inde nomina bonorum dici Luca 10. scripta in cælis. De malis autem legi Ieremia 10. Recedentes à te in terra scribentur.* Consimile ijs est quod de bonis asseritur Psalmo 1. *Novit Dominus viam justorum.* Malos autem Deus in Scriptura dicitur aliquo modo nescire & ignorare. Non est 1. omittendum Christum venientem ad judicium vocari à Gregorio 33. Moral. c. 6. Librum vitæ eo sensu, ut sit idem atque Liber mortis respectu malorum: Quia cum hi videant in Christo quasi scriptum omne mandatum, intelligunt statim, suâ teste conscientiâ, quid facere debuerint & omiserint.

7. Illa locutio ut Liber vitæ attributus Christo sumatur etiam pro Libro mortis, est minus propria. Verùm ita sumi potest ut in eo vox hæc (vitæ) non accipiatur pro objecto Libri nec referatur ad impios in eo scriptos; sed significet increatam ipsam Dei vitam & intellectum, qui est subjectum ac velut charta & tabella ejus scriptionis; quam dum reprobi vident & attendunt, fiant illicò eorum conscientiæ totidem Libri mortis. Nam cum intuentur (ut anteà Gregorius dicebat) velut scriptum in ipso Christo mandatum omne virtutis, *veniunt in cogitationem peccatorum suorum timidi, & traducunt illos ex adverso iniquitates ipsorum*, Sap. c. 4. Quæ iniquitates & peccata legi ab omnibus poterunt in ipsorum conscientijs apertis atque patentibus. Et ex eo quod in ijs ipsi scripserint judicabuntur, atque omnium quà hominum quà Angelorum suffragijs damnabuntur.

CAPVT XIII.

Circa Prædestinationis reprobationisque mysterium ad tranquillandos aliquorum nimio inde terrore commotorum animos.

PIA CONSIDERATIO.

1. CVM Sanctorum ad æternam Gloriam electio fundetur in ea charitate quâ Deus antecedenter & ex seipso vult omnes homines salvos fieri: Antecedentem illam Dei voluntatem Apostolus 2. ad Timoth. cap. 2. testatur duplici obsignari munitique signaculo. Prius est, *cognovit Dominus qui sunt ejus*; alterum autem est, *& discedat ab iniquitate qui invocat nomen Domini.* Quo vtroque signaculo continetur intelligiturque modus, quo jam nos probavimus Prædestinationem non prius fieri, quàm is qui ad Gloriam eligitur ab iniquitate discesserit; nomenque Domini, ut par est, coluerit; & præsupponatur à Deo cognosci per Præscientiam; ut talis, qui ab impietate sejunctus, & sanctis perfunctus operibus, ad Gloriam eligi mereatur æternam.

2. Atque sic ex doctrina quam stabilire conati sumus asserendo Prædestinationem non esse factam nisi post præmissum examen cognitionemque meritorum; Patet non debere quorundam, piorum etiam atque Doctorum animum angi, propter illam aliam gravium Theologorum à nobis rejectam sententiam: Quæ asserit Prædestinationem atque reprobationem fieri nulla operum nostrorum à Deo facta disquisitione. Non est ita; justus est Deus ut gloriam nec decernat immeritis, nec deneget insontibus; tantùmque abest à crudelitate in reprobos, ut dum cogitur ab illis pœnas expetere, non ad id se nisi invitum dolentemque descendere testetur; *Heu consolabor* (inquit Isaïæ cap. 1.) *super hostibus meis & vindicabor de inimicis meis.*

3. Quieto igitur erit, atque tranquillo animo, quisquis cogitabit Deum (ut est in Libro Sapientiæ) *Nos magnâ reverentiâ disponere nostraque singularem libertatis rationem habere.* Cumque sibi persuadebit ipsum Deum nolle quicquam de æterna hominum sorte decernere illis inconsultis; sed priùs velle cognoscere libertatis nostræ motus; ut qualem se quisque reperiri voluerit, talis esse judicetur. Itaut priùsquàm de vllo statuatur, spectetur voluntatis illius (ut ita loquar) prærogativa; & quilibet suæ

bonæ

bonæ vel malæ sortis electionem sanciat, certus nihil de se tandem quam quod ipse quo par est efficaci modo, prius elegerit decretum iri.

4. Quapropter omnes ratiocinationem illam abigant quæ se probi etiam doctique nonnulli cruciant, & ut ait Lessius in desperationem quasi adigunt: *Si antecedente absolutoque Dei placito sum electus ad Gloriam; atque si aliquo modo, vel positivo, vel negative reprobatus, non possum jam æternum illud mutare decretum, nec ejus fatalem executionem, qualiscumque futura sit, impedire.* Argumentetur quilibet in meliori forma: *Si colvero virtutem; fuisse me ab æterno Prædestinatum & electum inveniam; è contra verò fuisse reprobum ac ejectum, si flagitiosè vixero. Alterutrum etiam nunc positum est in mea potestate.* Quod dilemma ferè simile est ei, quo Deus Cainum ut frugi esse vellet admonebat; *Si bene egeris accipies, sin autem male, statim in foribus peccatum aderit; sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Ita scilicet vnusquisque suæ fortunæ Architectus ædificat sibi quam sit habiturus domum æternitatis suæ.

5. Quod cum ita certissimè sit, habent omnes vbi quiescant; si considerent, in hoc tam ancipiti negotio nihil quàm quod pro se quisque voluerit factum iri. Quare qui salvi esse volunt, ne obsistant voluntati suæ, certi Deum idem cum ijs & ardentiùs quàm ipsos velle. In idque tales parari & offerri Gratias, cum quibus omnia possumus omnes. Nec enim seipsum ille fallebat, cùm diceret; *Omnia possum in eo qui me confortat.* Semet igitur quisque ita compellet. Quid est cur non possim oblatæ mihi Gratiæ confidere; cùm tot pueri, tot puellæ non alijs quam ego insigniti Sacramentis, nec aliâ quam oblatâ mihi Gratiâ suffulti steterint, ut est in libro Sapientiæ; *contra Reges etiam horrendos*, &c. *Non poteris* (suggerebat sibi Augustinus sub suam in conversione hæsitationem) *quod hi, & illa?* Nec solis adest præsens Dei Gratia iis qui fidei religionisque causam de hac optimè edocti, agunt in extremis martyrij luctationibus. Illos etiam passim qui omni Prædicationis institutionisque auxilio videntur esse humanitùs destituti, cœlestis Gratia, quæ nulli deest, summo prosequitur studio: Vt plura ejus rei suppetunt exempla.

6. Quorum unum non gravabor ponere, quod Herice disp. 34. cap. 8. refert ex vita Iosephi Auchietæ, viri ex nostra Societate mirabilis. Hic dùm Apostolico suo more Brasiliam obiret; à socijs (nesciens quò, aut quare) divertit. Et sylvas ingressus, in senem Brasilum incidit: Qui Patrem compellans eminùs; adesdum, inquit; jamdiu te Pater præstolor. Ex longinquioribus ille Brasiliæ partibus Divino quodam instinctu venerat; & itineris labore (utpote id ætatis decrepitæ) fractus, ibi procubuerat, Divini promissi fidem expectans, ut vitam æternam (sic ille Brasilorum linguâ Divinam legem significabat) perciperet. Scrutatus Pater exactè vitam hominis illius, cognovit, nullo unquam ipsum lethali crimine legem naturalem violasse. Quid plura? De Christianæ fidei mysterijs sufficienter edoctum aquâ pluviâ ex carduo collectâ baptizavit, Adamique nomen illi indidit. Denique eundem (postquam sublatis in cœlum manibus expirasset) composito in arena sepulchro condidit.

7. Ex dictis constat Deum tanto studio salutem hominum procurare; ut nulli suâ ope desit. Atque ita quæ de Prædestinationis naturâ duodecimo libro disputata sunt valent ad eorum tranquillandas mentes; quos illa multorum alioqui Doctorum sententia, quæ vndecimo libro confutata est, offendit; cum deinde benigniorem nostram sententiam percipient, suadentem, nihil de vllo in futuram æternitatem decretum esse, quàm quod ipse jam eligere optareque voluerit quandiu ei adhuc relicta sunt omnia ad eligendum integra.

Cum Deo Spei colloquium
Ιλαςήριον.

8. Quod cùm ita sit, Domine Iesu, sperent in te quicumque noverunt Nomen tuum suavissimum, salutem omnibus annuncians. Ego quidem, ex quo istud tuum Iesu Nomen agnovi, spes omnes meas in te uno defixi; *Deo scilicet spei* (qualem te vocat Apostolus cap. 13. scribens ad Romanos) *Qui repleat nos omni Gaudio & pace, ut abundemus in spe. Vnam petij à te rem Domino meo; hanc sperans requiram omnibus diebus vitæ meæ, vt tandem habitem in domo æternitatis tuæ; & me spes hæc non confundat; quæ reposita est in sinu meo*; Et quæ summa quondam Iobi securitas erat. Eadem spes fovere nos omnes debet; *vt resumptâ in carne oculi nostri videant te Deum salvatorem nostrum.* Quando electis tuis manifestabis te ipsum: ut comprehensores per lumen Gloriæ intueantur aperte quidquid viatores obscurè per fidei lumen crediderunt. Cujus ego fidei ductum vniversim sequi conatus sum in his duodecim libris, vni indivisæ simplicissimæque consecratis Essentiæ, quæ ipsorum fuit argumentum.

FINIS.

Quæ in hoc παντοδαπῶν Indice notantur sic ut indicantur restituenda sunt.

PAgina 2. columna 1. numero 1. lineâ vltimâ appeat. lege. appetat. pag. 4. col. 1. num. 3. lin. 4. contra quas fas erat. lege. contra quàm. ibid. col. 2. num. 9. impitatem, lege. impietatem. pag. 7. col. 1. num. 2. intellitur. lege. intelligatur. ibid. col. 2. lin. 4. deffectus. lege. effectus. pag. 15. col. 1. num. 1. itinere decoremus. lege. decerremus. pag. 16. in proœmio lib. 2. conditois. lege. conditoris. ibid. col. 2. in fine. pertinet sapientiæ. lege. pertinet id sapientiæ. pag. 19. col. 1. num. 6. naturaque. lege. naturæque. pag. 21. col. 1. num. 4. geneiationem. lege. generationem. ibid. col. 2. in fine producendi. lege. procedendi. pag. 24. col. 2. num. 3. fundamentum. lege. fundamentum. pag. 38. col. 1. initio. [illegible] lege. [illegible] pag. 41. col. 2. num. 4. [illegible] lege. [illegible] pag. 50. col. 2. num. 10. [illegible] (Θεοῦ) lege. [illegible] (Θεὸς) pag. 54. col. 1. num. 2. omni dilatione. lege. dilatatione. pag. 55. col. 2. num. 2. adversam ostenderat. lege. adversam manum ostenderat. pag. 62. col. 2. lineâ 1. supereminente. lege. superveniente. pag. 66. col. 2. lin. vlt. num. 3. docet. adde Paulus 1. Corinth. c. 14. pag. 75. col. 1. num. 9. sui videndo. lege. videndi. pag. 83. col. 1. num. 7. ipsamet. lege. ipsomet. pag. 98. col. 1. num. 4. Scriptura commodat. lege. commendat. pag. 101. col. 2. num. 3. lin. 2. esse actum. lege. aptum. pag. 117. col. 2. num. 4. sed rationem. lege. ad rationem. pag. 125. col. 1. num. 4. quos non experimur. lege. nos experimur. pag. 130. num. 8. col. 2. consideratrum. lege consideratarum. pag. 131. col. 1. num. 9. propteiea. lege. propterea. ibid. num. 10. supra cirato. lege. citato. ibid. col. 2. num. 11. iufluere. lege. influere. pag. 133. col. 1. num. 2. neque avesativus. lege. aversativus. pag. 137. col. 1. num. 6. Prædestiniatorum. lege. Prædestinatorum. pag. 137. col. 2. num. 2. sedem in Deo, dele, in Deo. pag. 139. col. 1. cap. 10. num. 1. voluntas singi. lege. signi. pag. 148. col. 1. num. 2. Herite. lege. Heriçe. pag. 152. col. 1. num. 41. facit Deus. lege. facit Deus. ibid. col. 2. num. 2. immitit. lege. immittit. pag. 160. col. 2. cap. 5. num. 1. ad veram conconversi. lege. conversi. pag. 163. col. 1. num. 11. nemine exclusio. lege. excluso. pag. 164. col. 2. num. 1. instituri lege. instituturi. pag. 169. col. 1. num. 6. lineâ vlt. fundatum. lege. fundamentum. pag. 172. col. 1. num. 5. summepero. lege. summopere. ibid. enuclate. lege. enucleate. ibid. sub finem. posmus. lege. possimus. pag. 173. col. 1. num. 5. anüdotalem. lege. antidoralem. ibid. col. 2. lin. 1. afferi. lege. afferri. pag. 176. col. 2. num. 6. voluntati discrimine. lege. voluntatis. pag. 178. col. 2. num. 3. nobis regnum. lege. vobis. pag. 179. col. 1. num. 6. juratus protulerint. lege. protulerit. ibid. col. 2. num. 4. homila. lege. homilia. pag. 181. col. 1. num. 5. arbitri. leg. arbitrij. grariam. lege. gratiam. pag. 183. col. 2. lin. 2. præsceuntia. lege. præscientia. pag. 186. col. 1. num. 5. quostquam. lege. postquàm. ibid. col. 2. num. 7. vocationam. lege. vocationem. pag. 190. Deo esse posse tactui. lege. posset actui. pag. 192. col. 1. num. 4. sub finem. & quibus. lege. ex quibus.